

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/tractatusdesacra0000alex

TRACTATUS

DE

SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS

ET

DE SACRAMENTO ORDINIS

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

INSTITUTIONES THEOLOGIAE SPECULATIVAE
AD TEXTUM S. THOMAE CONCINNATAE

TRACTATUS
DE
SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS
(S., XXIX-XXXIII)
ET
DE SACRAMENTO ORDINIS
(S., XXXIV, XL)

AUCTORE
ALEXIO HENRICO MARIA LÉPICIER, O. S. M.
ARCHIEPISCOPO TIT. TARSENSI
ACADEMIAE ROMANAE S. THOMAE AQUINATIS SODALI
IN PONT. COLLEGIIS DE PROPAGANDA FIDE, S. ALEXII FALC. ET S. BEDAE DE URBE
SACRAE THEOLOGIAE PROFESSORE, ETC.

Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros ecclesiae, et orant super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.
IAC., V, 14.

Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.
HEBR., V, 1.

ROMAE
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA « BUONA STAMPA »
VIA EZIO 19
1928

Omnia iura proprietatis auctor sibi vindicat

IMPRIMATUR

† Iosephus Palica, Arch. Philippen., Vic. Ger.

TRACTATUS

DE

SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS

INDEX RERUM

PAG.

PRAEFATIO 1

PROOEMIUM.

1. Novissima utiliter saepius consideranda 5
2. Doctrinam de extrema unctione pastores populo tradere debent 6
3. Ordo tractationis 6

QUAESTIO I.

(S., XXIX, 1-3).

DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS SECUNDUM SE.

Prologus.

1. Nomina ad hoc sacramentum designandum usurpata . . 8
2. Ordo quaestionis 8

ART. I. — *Utrum extrema unctio sit Ecclesiae sacramentum.*

1. Errores 9
2. Ecclesiae anglicanae positio 10
3. Modernistica de extrema unctione positio 10

PAG.

4. Prop. — Extrema unctio est verum novae legis sacramentum 11
5. Auctoritas 11
6. Adumbratio sacramenti extremae unctionis in Sacra Scriptura 11
7. Auctoritas Sacrae Scripturae 12
8. Explicantur verba S. Iacobi 13
9. Traditio Ecclesiae. — I. Testimonium Origenis . . . 13
10. II. Testimonium Innocentii I 14
11. III. Testimonium S. Ioannis Chrysostomi 15
12. IV. Testimonium S. Caesarii Arelatensis 15
13. Antiqua praxis 16
14. Cur Patres de hoc sacramento amplius locuti non sint . . 16
15. Confirmatur. — I. Ex consensione Ecclesiae graecae schismaticae 17
16. II. Ex antiquorum Conciliorum declarationibus . . . 18
17. Ratio theologica 18
18. Confirmatur argumento S. Bonaventurae 19
19. Verba Concilii Tridentini 19
20. Quaestio. — *Utrum sacramentum extremae unctionis fuerit praefiguratum in veteri Lege?* 20
21. Solvuntur difficultates 20
22. Scholion. — Mos olim vigens infirmos in extremo vitae inungendi 21

Art. II. — *Utrum extrema unctio sit unum sacramentum.*

1. Quo modo unum hic accipitur 22
2. Prop. — Sacramentum extremae unctionis, licet sit multa materialiter, est unum formaliter et perfective . . . 22
3. Probatur 22
4. Verba Catechismi romani 23
5. Solvuntur difficultates 23
6. Unica unctio sufficit ad valorem sacramenti 24
7. Solvitur tacita obiectio 25
8. Quaestio. — *Quid faciendum, si quando post primam unctionem factam, moriatur sacerdos?* 25

Art. III. — *Utrum hoc sacramentum fuerit a Christo institutum.*

1. Ratio articuli 26
2. Prop. — Christus immediate per seipsum extremam unctionem instituit 27
3. Auctoritas 27

PAG.
4. Suadetur 27
5. Ratio theologica 28
6. Solvuntur difficultates 28
7. Sententia S. Bonaventurae 29
8. Scholion. — Criterium pro intelligendis aliquibus scriptis Patrum 30

QUAESTIO II.

(S., XXIX, 4-9).

DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTI EXTREMAE UNCTIONIS.

Prologus.

Ratio et ordo quaestionis 31

Art. I. — *Utrum oleum olivae sit conveniens materia sacramenti extremae unctionis.*

1. Ratio articuli 31
2. Prop. I. — Materia conveniens sacramenti extremae unctionis est oleum olivae, cui nihil admiscendum est . . . 32
3. Auctoritates 32
4. Sacra Scriptura 32
5. Oleo olivae nihil debet admisceri 32
6. Ratio theologica 33
7. Auctoritas Catechismi Romani 34
8. Solvuntur difficultates 34
9. Quaestio circa necessitatem benedictionis olei ad sacramenti validitatem 35
10. Prop. II. — Ad validitatem sacramenti extremae unctionis requiritur ut oleum ab episcopo, vel a presbytero de licentia Summi Pontificis, benedicatur 35
11. Auctoritates 35
12. Traditio Ecclesiae 35
13. Ratio theologica 36
14. Explicatur 36
15. Scholion I. — Duplex sanctificatio materiae in hoc sacramento 37

PAG.

16. Oleum vel ab episcopo, vel a presbytero tamen de licentia Summi Pontificis benedici debet 37
17. Scholion II. — Consuetudo Ecclesiae graecae, ut a presbyteris oleum infirmorum benedicatur 38
18. Triplex olei benedictio 38
19. Quaestio I. — *Utrum necesse sit ut oleum fuerit benedictum praecise in ordine ad extremam unctionem?* 39
20. Solvitur difficultas 39
21. Refelluntur haereticorum interpretationes de oleo a S. Iacobo recensito 39
22. Quaestio II. — *Quomodo intelligenda sunt verba*: Ungentes eum oleo in nomine Domini? 40

Art. II. — *Utrum hoc sacramentum habeat determinatam formam.*

1. Forma sacramenti extremae unctionis 41
2. Prop. — Sacramentum extremae unctionis habet convenientem formam determinatam 41
3. Probatur 41
4. Explicatur 41
5. Solvuntur difficultates 42
6. Forma huius sacramenti est oratio deprecativa . . . 42
7. Cur forma extremae unctionis debeat esse deprecativa . . 43
8. Quaestio. — *Utrum oratio deprecativa sit de necessitate sacramenti extremae unctionis?* 43
9. Explicatur 44
10. Solvitur tacita obiectio 44
11. Convenientia verborum formae 45
12. Non omnia verba sunt essentialia 45
13. Cur in hoc sacramento tot preces adhibentur 46

QUAESTIO III.

(s., xxx).

DE EFFECTIBUS SACRAMENTI EXTREMAE UNCTIONIS.

Prologus.

1. Ratio quaestionis 47
2. Gratia sacramentalis 48
3. Ordo quaestionis 48

ART. I. — *Utrum confortatio moribundi sit effectus sacramenti extremae unctionis.*

PAG.
1. Ratio articuli 49
2. PROP. — Confortatio moribundi est principalis effectus sacramenti extremae unctionis 50
3. Auctoritas 50
4. Exponitur 50
5. Relatio huius sacramenti ad confirmationem 50
6. QUAESTIO. — *Utrum qui nunquam post baptismum peccasset, hoc sacramentum posset percipere?* 51
7. Doctrina Catechismi Romani 51
8. SCHOLION. — Hic effectus insinuatur in verbis S. Iacobi: *Et alleviabit eum Dominus* 52

ART. II. — *Utrum sanitas corporalis sit effectus huius sacramenti.*

1. Ratio articuli 53
2. Novatorum errores 53
3. PROP. — Extrema unctio potest etiam, secundario, sanitatem corporalem restituere, si nempe hoc expediat animae . . 54
4. Auctoritates 54
5. Sensus verborum S. Iacobi 54
6. SCHOLION I. — Sub sanatione corporali, comprehenditur etiam quaelibet, vel modica morbi relevatio 54
7. Solvitur tacita difficultas 55
8. Refellitur Calvini positio 55
9. Suadetur propositio 55
10. Ratio theologica 56
11. SCHOLION II. — Defectus fidei, ratio cur extrema unctio hoc effectu saepe frustretur 56
12. QUAESTIO I. — *Cur S. Iacobus, inter effectus extremae unctionis, primo loco recenset corporis sanitatem?* 56
13. QUAESTIO II. — *Utrum effectus sanationis corporalis, qui huic sacramento tribuitur, resultet ex alleviatione spirituali ab hoc sacramento producta?* 57

ART. III. — *Utrum restitutio sanitatis corporalis, per sacramentum extremae unctionis, habeat rationem miraculi.*

1. Ratio praesentis dubii 57
2. PROP. I. — Sanationes, per sacramentum extremae unctionis obtentae, ordinarie loquendo, miracula non sunt . . . 58

PAG.

3. Ostenditur 58
4. Morbi sanabiles et insanabiles 59
5. Sanitatis restitutio, per extremam unctionem, quando in infirmo adhuc est spes vitae 59
6. Solvitur tacita obiectio 59
7. Prop. II. — Extrema unctio de se non valet ad restituendam sanitatem, quando infirmo non amplius adest spes vitae . 60
8. Exponitur 60
9. Quomodo sacramentum extremae unctionis sanitatem restituit 61
10. Quomodo medicina corporalis operatur 61
11. Ratio medicinae spiritualis et corporalis in extrema unctione . 62
12. Comparatio inter extremam unctionem et medicinam corporalem 62
13. Quomodo huiusmodi therapeutica virtus residet in extrema unctione 63
14. Quandonam sanatio attribuenda est extremae unctioni, quandonam intercessioni Sanctorum 64
15. Conclusio 65

Art. IV. — *Utrum extrema unctio valeat ad remissionem peccatorum.*

1. Ratio articuli 66
2. Prop. I. — Extrema unctio non est directe ordinata ad delenda peccata, sive mortalia, sive venialia, nec eorum poenam, sed nec ad tollendum habitum vitiosum . . . 66
3. Exponitur 66
4. Quid sint peccatorum reliquiae 67
5. Prop. II. — α) Effectus indirectus sacramenti extremae unctionis est remissio peccatorum quoad reliquias peccati; β) et ex consequenti etiam quoad culpam, si eam inveniat . . 67
6. Primam partem declarat Angelicus 67
7. Solvitur difficultas 68
8. Secunda pars ostenditur 68
9. Solvitur difficultas 69
10. Quo pacto remittit extrema unctio peccata venialia . . . 70
11. Quomodo extrema unctio remittit poenam temporalem . . 70

ART. V. — *Utrum extrema unctio producat effectum ex opere operato.*

PAG.
1. Ratio articuli 71
2. PROP. — Non solum deletionem reliquiarum peccati et ablationem ipsorum peccatorum, sed etiam sanitatem corporalem, extrema unctio producit tanquam ex opere operato . . 71
3. Exponitur 71
4. Sensus verborum S. Iacobi 71
5. SCHOLION. — Verba: *Oratio fidei salvabit infirmum*, accipienda sunt ex opere operato 72
6. QUAESTIO I. — *Utrum sacramentum extremae unctionis ficte susceptum reviviscat?* 73
7. Solvitur tacita difficultas 73
8. QUAESTIO III. — *Utrum sacramentum extremae unctionis possit sub conditione ministrari?* 74

QUAESTIO IV.

(S., XXXII-XXXIII).

DE SUBIECTO EXTREMAE UNCTIONIS.

Prologus.

1. Ratio quaestionis 75
2. Ordo quaestionis 75

ART. I. — *Utrum mortaliter peccet negligens suscipere sacramentum extremae unctionis.*

1. Ratio articuli 77
2. PROP. — Gravis adest per se obligatio suscipiendi sacramentum extremae unctionis 77
3. Auctoritates 77
4. Ratio theologica 78
5. Explicatur 78
6. Confirmatur ex verbis Apostoli Iacobi 78
7. COROLLARIUM. — Hoc sacramentum non potest sine gravi culpa aut contemni, aut cum aliorum scandalo negligi . . . 79

PAG.

8. Scholion. — Contemptus huius sacramenti cedit iniuriae Spiritus Sancti 79
9. Quaestio. — *Utrum peccent graviter parochi huius sacramenti collationem usque ad ultimum vitae tempus differentes?* 79

Art. II. — *Utrum in suscipiente extremam unctionem requiratur motus contritionis.*

1. Ratio articuli 80
2. Error Hermanni Schell 80
3. Prop. — Extrema unctio peccata mortalia non remitit, nisi praevio motu saltem attritionis 81
4. Auctoritas 81
5. Probatur ratione theologica 81
6. Qua ratione sufficit attritio ad iustificationem in hoc sacramento 81
7. Scholion. — Merito Ecclesia statuit hoc sacramentum esse administrandum post poenitentiam et viaticum . . . 82
8. Quaestio. — *Utrum homo conscius peccati mortalis, possit aliquando, cum sola attritione, mediante extrema unctione, recipere remissionem peccati mortalis?* 82
9. Quibusnam animi dispositionibus debeat infirmus hoc sacramentum suscipere 83

Art. III. — *Utrum parvulis usum rationis nondum adeptis conferendum sit sacramentum extremae unctionis.*

1. Ratio articuli 83
2. Prop. — Parvuli et ratione perpetuo carentes sacramentum extremae unctionis percipere non debent 83
3. Auctoritates 83
4. Ratio theologica 84
5. Solvitur tacita difficultas 84
6. Quaestio I. — *Utrum valida, etsi illicita, esset extrema unctio parvulis ac perpetuo dementibus collata?* 84
7. Confirmatur 85
8. Solvitur difficultas 85
9. Quaestio II. — *Quid causae fuit cur parvulis prohiberetur dari Eucharistiam et extremam unctionem?* 86

PAG.
10. Solvitur tacita difficultas 86
11. Corollarium. — Carentia peccati actualis non officit per se receptioni sacramenti extremae unctionis 86

Art. IV. — *Utrum hoc sacramentum sit solis infirmis administrandum.*

1. Ratio articuli 87
2. Prop. — Sacramentum extremae unctionis dari valide non potest, nisi infirmis periculose decumbentibus . . . 87
3. Auctoritas 87
4. Ratio theologica 88
5. Scholion. — Norma tenenda relate ad huius sacramenti collationem 88
6. Quibusnam negari hoc sacramentum debeat 89
7. Solvuntur tacitae difficultates 89
8. Quaestio. — *Utrum licite possit sacramentum extremae unctionis homini apparenter mortuo administrari?* . . . 90
9. In quibusnam casibus vita latens, admitti possit . . . 91
10. Sententia de latente vita in homine, post ultimi spiritus exhalationem, ordinarie loquendo figmentum est 91
11. Adnotandum circa mortem Domini nostri 92
12. Testimonium Ecclesiae 92
13. Relatio animae ad corpus 93
14. Solvitur tacita difficultas 93
15. Novitas huius sententiae 94
16. Conclusio 94

Art. V. — *Utrum convenienter determinentur partes corporis ungendae.*

1. Cur totum corpus inungi non debeat 95
2. Prop. — Extrema unctio convenienter fit in quinque sensibus et in pedibus 95
3. Auctoritates 95
4. Ratio theologica 96
5. Unctio quinque sensuum non est de necessitate sacramenti . 97
6. Confirmatur 97
7. Solvuntur tacitae obiectiones 98
8. Quaestio I. — *Utrum mutilati debeant inungi in dictis partibus?* 98
9. Quaestio II. — *Quandonam extrema unctio producit gratiam?* 99

ART. VI. — *Utrum hoc sacramentum debeat iterari.*

PAG.
1. Ratio articuli 99
2. PROP. — α) Sacramentum extremae unctionis iterari potest, β) pro diversa infirmitate, aut diverso eiusdem infirmitatis statu 100
3. Auctoritates 100
4. Prob. 1ª Pars. 100
5. Solvitur tacita difficultas 100
6. Prob. 2ª Pars. 101
7. QUAESTIO I. — *Utrum hoc sacramentum imprimat characterem?* 101
8. QUAESTIO II. — *Utrum extrema unctio ab infirmo suscipi debeat post acceptum viaticum?* 102

QUAESTIO V.

(S., XXXI).

DE MINISTRO EXTREMAE UNCTIONIS.

Prologus.

Ratio et ordo quaestionis 103

ART. I. — *Utrum ad presbyterum pertineat administrare sacramentum extremae unctionis.*

1. Error 103
2. PROP. — Ad presbyteros proprie pertinet administrare sacramentum extremae unctionis 104
3. Auctoritas 104
4. Sacra scriptura 104
5. Ratio theologica 105
6. Episcopalis dignitas non requiritur in ministro huius sacramenti 105
7. Solvitur difficultas 106
8. Nec laici, nec ministri inferiores huius sacramenti administrandi aliquam habent potestatem 106
9. Solvuntur obiectiones 107
10. QUAESTIO. — *Utrum liceat sacerdoti hoc sacramentum sibimet ministrare?* 109

ART. II. — *Utrum hoc sacramentum a pluribus presbyteris debeat ministrari.*

PAG.

1. Ratio articuli 110
2. PROP. — α) Unus presbyter sufficit pro administranda extrema unctione, β) etsi possint plures presbyteri illud sacramentum simul conferre 110
3. Prima pars 110
4. Confirmatur 110
5. Ratio theologica 111
6. Solvitur tacita difficultas 111
7. Secunda pars 111
8. QUAESTIO. — *Qua ratione plures sacerdotes concurrere possunt in extrema unctione uni infirmo ministranda?* . . 111
9. SCHOLION. — In Ecclesia latina, ab uno sacerdote, parocho scilicet, ungi debet infirmus 112

EPILOGUS 112

TRACTATUS

DE

SACRAMENTO ORDINIS

INDEX RERUM

PAG.

PRAEFATIO 119

PROOEMIUM.

1. Ratio huius tractationis 123
2. Utilitas doctrinae de ordinis sacramento 124
3. Dignitas sacerdotii novae Legis 124
4. Gravia sacerdotum officia 125
5. Ordo tractatus 125

QUAESTIO I.

(S., XXXIV, 1-3; XXXVII; XL, 4-6).

DE SACRAMENTO ORDINIS SECUNDUM SE.

Prologus.

1. Spiritualis potestas sub lege naturae et sub lege mosaica 127
2. Spiritualis potestas sub lege evangelica 127
3. Ordo quaestionis 128

ART. I. — *Utrum ordo sit novae legis sacramentum.*

PAG.

1. Quid significat nomen ordo 129
2. Ordo et ordinatio 130
3. Errores 130
4. Generale novatorum principium 131
5. Modernistarum errores 131
6. PROP. — Ordo, seu sacra ordinatio, est vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum 132
7. Auctoritates 132
8. Canones de ordine 132
9. Probatur ex Sacra Scriptura 132
10. Evolvitur argumentum 133
11. SCHOLION. — Nomen *presbyterii* sumptum pro coetu episcoporum 135
12. Traditio 135
13. Ratio theologica 137
14. Ad quaenam se extendit potestas ordinis 137
15. Definitio ordinis 138
16. SCHOLION. — Nomen *signaculum* ponitur pro eo quod exterius geritur 138
17. Solvuntur difficultates 139
18. Differentia inter ordines ecclesiasticos et ordines angelicos . 140
19. SCHOLION. — Nullo modo dici potest ordo angelicus sacramentum 141

ART. II. — *Utrum debeant plures ordines distingui.*

1. Ratio articuli 141
2. PROP. — Conveniens fuit ut plures ordines in Ecclesia constituerentur 141
3. Auctoritas 142
4. Notandum 142
5. Suadetur propositio 142
6. Probatur ratione theologica 143
7. Quo pacto ordo in plures dividatur 143
8. Solvitur difficultas 144

ART. III. — *Utrum septem ordines convenienter distinguantur.*

1. Sententiae non probandae 144
2. PROP. — Septem ordines convenienter distinguuntur, sumpta ratione ab eorum relatione ad sanctissimam Eucharistiam . 145

PAG.
3. Auctoritas 145
4. Testimonium ex Sacra Scriptura 146
5. Testimonium ex traditione. — I. De superioribus ordinibus . 146
6. II. De ordinibus inferioribus 147
7. Ratio theologica 148
8. Scholia. — I. Sacerdotibus competit homines proxime disponere ad sacramenti Eucharistiae susceptionem. — II. Diaconis committitur annuntiandum Evangelium. — III. Minoribus ordinibus insigniti ex officio peragunt omnia eisdem annexa 149
9. Officia psalmistarum et fossariorum 150
10. Distinctio inter ordines sacros et non sacros 151
11. Ordinum distinctio penes Orientales 151
12. Synodi Pistoriensis impia doctrina 152

Art. IV. — *Utrum singuli ordines participent rationem sacramenti.*

1. Ratio articuli 153
2. Prima tonsura sacramentum non est 153
3. Corona clericalis 154
4. Prop. — α) Nulli dubium esse potest, quin tum in sacerdotio, tum in diaconatu, ratio sacramenti habeatur, β) probabilissime etiam tenetur subdiaconatum necnon quatuor minores ordines pariter sacramenti rationem participare . 155
5. 1ª Pars. — Sacerdotium verum est novae Legis sacramentum 155
6. In diaconatu pariter ratio est sacramenti 155
7. Confirmatur 155
8. Traditio circa diaconatum 156
9. Solvuntur difficultates 156
10. Diaconissae 158
11. 2ª Pars. — Subdiaconatus et ordines minores 160
12. Explicatur qua ratione subdiaconatus et ordines minores rationem sacramenti participent 161
13. Scholion. — In sacramento ordinis imprimitur character, non solum quantum ad sacerdotium, sed etiam quantum ad ceteros ordines, tum maiores, tum minores 162
14. Quaestio I. — *Qua ratione ceteri ordines, tum maiores, tum minores, continentur in sacerdotio?* 162
15. Quaestio II. — *Quare subdiaconatus aliquando habitus fuerit ordo non sacer?* 163

PAG.

16 Quaestio III. — *Quandonam subdiaconatus inter ordines maiores adnumeratus est?* 163
17. Quo pacto minores ordines Ecclesia instituerit . . . 164
18. Scholion. — Ordines minores per se instituit Christus, quatenus virtute continentur in presbyteratu; prout singillatim explicati sunt, eos instituit Ecclesia 164
19. Solvitur tacita difficultas 165

Art. V. — *Utrum episcopi iure divino presbyteris superiores sint.*

1. Errores 165
2. Prop. — Episcopatus iure divino praestat presbyteratu . 166
3. Auctoritas 166
4. Sacra Scriptura 166
5. Ecclesiae traditio. — I. Patres apostolici 167
6. II. Patres aevi subsequentis 168
7. Confirmatur I. II. III. 168
8. Ratio theologica 169
9. Explicatur in quonam haec superioritas consistat . . . 170
10. Corollarium. — Episcopus habendus est tamquam christianae communitatis praeses 170
11. Significatio nominum *Episcopus et Presbyter* in novo Testamento 171
12. Nominum extensio 171
13. Sententiae variae 172
14. Dionysii Petavii de episcopis-presbyteris sententia . . . 172
15. Critica huius sententiae 173
16. Reiicitur sententia de episcopatu collegiali 175
17. Solvuntur difficultates ex Sacra Scriptura 175
18. Doctrina S. Hieronymi de distinctione inter episcopos et presbyteros 177
19. Explicantur loci dubii apud S. Hieronymum 178
20. Primus locus 178
21. Sententia S. Thomae 180
22. Alter locus difficilis apud S. Hieronymum 180
23. Scholion. — Normae ad solvendos locos difficiles Patrum . 181
24. Modernisticus error de episcoporum et presbyterorum institutione 182
25. Sacerdos et episcopus diverso modo Christum repraesentant 182
26. Nomina *Sacerdos* et *Presbyter* 183
27. Quaestio. — *Cur in novo Testamento non sacerdotis, sed presbyteri nomen ministris novae Legis tribuitur?* . . 183

ART. VI. — *Utrum episcopatus sit ordo specialiter a sacerdotio distinctus.*

PAG.

1. Ratio articuli 184
2. Duplex modus considerandi episcopatum 184
3. PROP. — Episcopatus, in ratione sacramenti, non est ordo specialis, a sacerdotio distinctus 185
4. Declaratur 185
5. Auctoritas 185
6. Ratio theologica 186
7. Verba Ferrariensis 186
8. Episcopatus specialem characterem non imprimit, distinctum a charactere sacerdotali 187
9. SCHOLION. — Inconveniens est ut qui potestatem habet in corpus Christi verum, novo sacramento, tamquam characterem imprimente, indigeat, ut potestatem accipiat in corpus Christi mysticum 187
10. Invalidus est episcopatus homini non sacerdoti collatus . . 188
11. Mens S. Thomae 188
12. S. Leo Magnus 189
13. Quo sensu posset diaconus ordinari episcopus 189
14. Character presbyteralis est ipse character episcopalis, sed restrictus 190
15. Solvuntur difficultates 190
16. De Chorepiscopis 192
17. SCHOLION. — Fusius exponitur doctrina de relatione episcopatus ad presbyteratum 193

ART. VII. — *Utrum supra episcopos debeat esse aliquis superior in Ecclesia.*

1. Petri Primatus supra ceteros Apostolos 194
2. Sententia non probanda 195
3. PROP. — Supra episcopos debet esse aliquis superior in Ecclesia 195
4. Dispositio contenta in Iure 195
5. Promissio primatus 195
6. Primatus collatio 196
7. Explicatur 197
8. Notandum 197
9. Verba SS. Ambrosii et Bernardi 198

PAG.

10. Ecclesiae Concilia 199
11. Traditionis vox 200
12. Voces quibus Patres utuntur ad primatum Romani Pontificis designandum 200
13. Verba S. Francisci Salesii 202
14. Nomen *Papa* 202
15. Scholion. — Cum tota Ecclesia unum corpus constituat, oportet ut sit aliqua potestas regitiva respectu totius . . . 203
16. Ratio theologica 203
17. Haec potestas respicit episcopos, non solum singillatim, sed etiam collective acceptos 204
18. Solvuntur difficultates 204
19. Quaestio. — *Utrum papatus specialem ordinem costituat?* . 207
20. Gradus dignitatum inter episcopum et papam 208

APPENDIX.

Utrum suam iurisdictionem episcopi immediate a Romano Pontifice vel a Christo repetant.

1. Status quaestionis 209
2. Praenotandum 209
3. Prop. — Iurisdictio episcopis, non immediate a Deo, sed mediante Romani Pontificis actu iniunctivo, obvenit, actu scilicet quo superior alicui imponit officium seu munus alios regendi et gubernandi 210
4. Suadetur 210
5. Probatur 211
6. Confirmatur 211
7. Oeconomia veteris Testamenti 212
8. Solvuntur difficultates 212
9. Corollarium. — Tum ordo, tum iurisdictio episcoporum est a Deo, aliter tamen et aliter 214
10. Scholion. — Non idem dicendum est de episcopis relate ad Summum Pontificem, quod de Apostolis relate ad Petrum 215

QUAESTIO II.

(S., XXXIV, 4-5).

DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTI ORDINIS.

Prologus.

PAG.

1. Ratio et ordo quaestionis 216
2. Advertendum 216

ART. I. — *Utrum sacramentum ordinis habeat determinatam materiam.*

1. Distinctio inter ordines hierarchicos et ordines inferiores . 217
2. Nihil eorum, quae Ecclesiae praescripserit, praetermittendum est 218
3. Verba Concilii Florentini 218
4. Explicantur haec verba 218
5. Duplex porrectio instrumentorum in ordinum collatione . 219
6. Usus communis prioribus Ecclesiae saeculis et usque nunc apud Graecos vigens 219
7. Instrumentorum exhibitio in ordinatione penes Orientales . 220
8. Validitas ordinationis, apud Orientales, absque instrumentorum usu traditivo 221
9. Manuum impositio 221
10. PROP. — Materia ordinum hierarchicorum in manuum impositione reponenda est, cum aliqua instrumentorum porrectione vel exhibitione 222
11. Sententiae 222
12. Impositio manuum in Sacra Scriptura 222
13. Manuum impositio in traditione 223
14. Manuum impositio in libris liturgicis 223
15. Concilium tridentinum 224
16. Verba Leonis XIII 224
17. Materia sacrae ordinationis non est sola manuum impositio, nec prima, nec secunda 225
18. Impositio manuum coniuncta cum instrumentorum traditione 225
19. Solvitur tacita obiectio 226
20. Refellitur sententia dicentium Decretum Eugenii IV esse erroneum 227

PAG.

21. Scopus Decreti Eugenii IV 227
22. Quaestio I. — *Utrum instrumentorum usus, in sacra ordinatione, pertineat ad essentiam, vel solum ad integritatem materiae* 229
23. Doctrina S. Thomae 229
24. Explicatur 230
25. Doctorum hac de re sententia 231
26. Quaestio II. — *Quid retinendum sit de manum impositione quae fit post communionem, cum dicitur ab Episcopo*: Accipite Spiritum Sanctum, etc.? 231
27. Materia propria diaconatus 232
28. Materia propria ordinum inferiorum 232
29. Scholia ad pleniorem huius rei intelligentiam 233

Art. II. — *Utrum sacramentum ordinis habeat determinatam formam.*

1. Forma ostiariatus, lectoratus, et exorcistatus 234
2. Forma acolythatus et subdiaconatus 234
3. Advertenda 235
4. Forma sacri ordinis diaconatus 235
5. Verba in collatione sacri ordinis presbyteratus adhibita . 236
6. Quaenam ex verbis praedictis habenda sint tanquam forma presbyteratus 237
7. Ritus in consecratione electi in episcopum 238
8. Notanda 239

APPENDIX.

Materia et forma diaconatus, presbyteratus et episcopatus in Graecorum liturgia.

1. Materia et forma diaconatus penes Graecos 241
2. Materia et forma presbyteratus penes Graecos . . 242
3. Ritus in consecratione episcopi penes Graecos . . 243

QUAESTIO III.

(S., XXXVIII).

DE MINISTRO SACRAMENTI ORDINIS.

Prologus.

PAG.
1. Ratio quaestionis 245
2. Dignitas, excellentia et sanctitas ministri sacrae ordinationis 245
3. Verba Dionysii Cartusiani 246
4. Ordo quaestionis 246

ART. I. — *Utrum episcopus solus sit ordinarius minister sacramenti ordinis.*

1. Variae de hac re sententiae 247
2. PROP. — Minister ordinarius sacramenti ordinis est solus episcopus consecratus 247
3. Notandum 247
4. Auctoritas 247
5. Sacra Scriptura 248
6. Traditio 248
7. Confirmatur 249
8. Ratio theologica 249
9. Solvuntur difficultates 250

ART. II. — *Utrum simplex sacerdos possit esse minister extraordinarius sacramenti ordinis.*

1. Ratio articuli 251
2. PROP. I. — Ex Summi Pontificis commissione, simplex sacerdos seu presbyter, est minister extraordinarius ordinum inferiorum 251
3. Auctoritas 251
4. Traditio 252
5. Ratio theologica 252
6. Consecratio episcoporum 253
7. Episcopalis consecratio ab uno tantum episcopo facta, est valida 253
8. Iuris dispositio 254

APPENDIX I.

UTRUM DIACONORUM ORDINATIO
A SIMPLICI PRESBYTERO POSSIT PERFICI.

PAG.
1. Ratio dubitandi 255
2. Privilegium Innocentianum 255
3. Discutitur privilegium 255
4. Solvitur dubitatio 256
5. Duplex episcopalis iurisdictio 257
6. Conclusio 257

APPENDIX II.

UTRUM ORDO PRESBYTERATUS A SIMPLICI SACERDOTE,
DE MANDATO SUMMI PONTIFICIS, EXTRAORDINARIE POSSIT CONFERRI.

1. Variae de hac re sententiae 259
2. Probabilis responsio 260
3. Est in sacerdote radicalis potestas ministros Ecclesiae ordinandi 260
4. Quales nanciscatur patronos haec sententia 260
5. Confirmatur haec sententia ex concessione facta a Bonifacio IX 261
6. Admitti nequit Bonifacium IX ex inadvertentia egisse . . 261
7. Ius Canonicum 262
8. Generativa potestas 262
9. Solvitur tacita difficultas 262

ART. III. — *Utrum haeretici aliique ab Ecclesiae unitate praecisi possint ordines conferre.*

1. Ratio articuli 263
2. Dubium 263
3. Variae hac super re sententiae 264
4. PROP. — Ordinatio ab illegitimo ministro, servato Ecclesiae ritu, collata, valida est 265
5. Sententia Joannis Morinii et Hyacinthi Sbaraglia . . . 265
6. Traditio Ecclesiae 265
7. Ratio theologica 266
8. Confirmatur 267

PAG.
9. Scholion. — Promoti ab haereticis, quamvis ordinem valide suscipiunt, non tamen obtinent ordinis executionem . . 267
10. Solvuntur difficultates 267
11. Criteria ad difficultates solvendas 268

APPENDIX.

De ordinationibus anglicanis.

1. Novi ritus introductio penes Anglicanos 270
2. Reformatorum mens 270
3. Ordinatio Matthaei Parker 271
4. Ecclesiae decisiones de ordinationibus anglicanis . . . 272
5. Res ad trutinam, iubente Leone XIII, revocata 272
6. Defectus debitae formae in ordinationibus anglicanis . . 273
7. Solvuntur tacitae difficultates 274
8. Defectus debitae intentionis 275
9. Definitio Leonis XIII 276
10. Solvuntur difficultates 276

QUAESTIO IV.

(s., xxxvi; xxxix).

DE SUSCIPIENTIBUS SACRAMENTUM ORDINIS.

Prologus.

1. Ordo late et stricte sumptus 278
2. Sacerdotium proprie acceptum 278
3. Quaenam in subiecto ad sacramenti ordinis susceptionem requiruntur 279
4. Intentio praesentis quaestionis 279
5. Ordo quaestionis 280

Art. I. — *Utrum sexus femineus impediat susceptionem sacramenti ordinis.*

1. Errores 281
2. Prop. — Nequit mulier sacramentum ordinis valide suscipere 282
3. Propositionis natura 282
4. Sacra Scriptura 282
5. Traditio 283

PAG.

6. Ratio theologica 283
7. Solvuntur difficultates 284
8. Scholion. — Simpliciter naturae iuri non obstat quin mulier sacerdotio fungatur 285
9. Quaestio I. — *Quaenam fuerint presbyterae et episcopae?* . 285
10. Quaestio II. — *Utrum diaconissae aliquo speciali ritu consecrarentur?* 286
11. Quaestio III. — *Utrum, et quo sensu possit Beata Virgo dici sacerdos?* 286
12. Beata Virgo appellatur sacerdos metaphorico sensu, gradu tamen excellentissimo 287
13. Verba Benedicti XV 287

Art. II. — *Utrum pueri et carentes usu rationis ordines possint suscipere.*

1. Quorumdam sententia minus probanda 288
2. Prop. — Infantes et rationis usu carentes valide, etsi non licite, possunt ordinari 288
3. Auctoritates 288
4. Suadetur 289
5. Ratio theologica 289
6. Scholia. — I. Congrua aetas postulatur pro dignitate sacramenti. — II. Sacramentum ordinis adulto in somno collatum 290
7. Quaestio. — *Utrum parvuli, ante usum rationis ad ordines promoti teneantur obligatione adimplendi onera ordinationi adnexa?* 291
8. Consuetudo parvulos ecclesiastico statui devovendi . . 291

Art. III. — *Utrum possit homo ordinari invitus.*

1. Involuntarium dupliciter acceptum 292
2. Prop. — α) Qui simpliciter est invitus, ordinationem suscipit invalide: β) non autem qui est secundum quid tantum invitus 293
3. Prob. 1ª Pars 293
4. Ratio theologica 293
5. Corollarium. — Gravis sacrilegii reus esset, qui invitum omnino ordinare praesumeret 294
6. Prob. 2ª Pars 294
7. Ordinationem ob humilitatem suscipere renuentes . . . 294
8. Ordinationem ob metum suscipientes 295
9. Scholion. — Iuris dispositio 295

ART. IV. — *Utrum ad susceptionem sacramenti ordinis requirantur speciales animi dotes.*

PAG.
1. Differentia inter ordinem et cetera sacramenta . . . 296
2. Verba Catechismi Romani 296
3. PROP. — Ad rite suscipiendum ordinis sacramentum, requiruntur et morum integritas, et competens scientia . . 297
4. Sacra Scriptura 297
5. Ecclesiae praxis 298
6. Patrum effata 298
7. Ratio theologica 299
8. Morum integritas in sacerdote requisita 299
9. Solvitur tacita difficultas 300
10. Error Synodi Pistoriensis 300
11. Error Wicleffi et Ioannis Huss de ministrorum electione . . 301
12. Scientia in sacerdote requisita 301
13. Quaenam scientia in sacerdote requiratur 302
14. QUAESTIO. — *In quodnam studiorum genus sacerdotem incumbere oportet?* 303

ART. V. — *Utrum illicita sit ordinatio per saltum.*

1. Quid sit ordinatio per saltum 303
2. PROP. — Illicitae sunt ordinationes per saltum . . . 304
3. Auctoritates 304
4. Pseudosynodus Pistoriensis 305
5. Ordinatio per saltum non est irrita 305
6. QUAESTIO. — *Cur aliquando Ecclesia iusserit ut ordinatis per saltum ordo praetermissus suppleretur?* 305
7. Interstitia a sacris canonibus praescripta 306
8. Titulus ordinationis 307

ART. VI. — *Utrum sine divina vocatione possit quis ad ordines ascendere.*

1. Gravitas huius quaestionis 307
2. Praenotanda 308
3. PROP. I. — Ad ordines ascendere illis solis permittitur, qui a Deo legitime vocati sunt 309
4. Auctoritas 309
5. Confirmatur 309
6. In quonam consistat divina haec vocatio 309

PAG.

7. Vocatio ecclesiastica non consistit in sensibili inspiratione interna Spiritus Sancti 311
8. Prop. II. — Ad episcopum pertinet iudicium ferre de candidati idoneitate 311
9. Probatur 311
10. Prop. III. — Bonitas vitae, citra divinam vocationem, ius non dat sacerdotalem ordinationem accipiendi 312
11. Prob. I. — Ex comparatione inter res naturales et res supernaturales 312
12. Prob. II. — Ex comparatione inter Christum et ministros Ecclesiae 312
13. Prop. IV. — Episcopus, in ministrorum ordinatione, respicere debet ad necessitatem aut utilitatem Ecclesiae . . . 313
14. Exponitur 313
15. Indigni non sunt ordinandi, etiam praetextu deficientiae dignorum 313
16. Quo pacto manifestetur vocatio ad statum sacerdotalem . . 314
17. Signa divinae vocationis. — I. Firma voluntas hunc statum amplectendi 315
18. II. Animus ad pietatem proclivis 315
19. III. Bona mentis indoles 316
20. Quam sancta res sit in opus vocationum sacerdotalium incumbere 316
21. Homo sub gravi non tenetur vocationem ad statum ecclesiasticum sequi 317
22. Quaestio. — *Utrum episcopus candidatum ad sacerdotium vocet vi potestatis ordinis, an potestatis iurisdictionis?* . . 318
23. Cura in seligendis atque educandis clericis 319

Art. VII. — *Utrum ad electionem Ecclesiae ministrorum, requiratur suffragium cleri, populi aut magistratuum.*

1. Error 319
2. Ratio cur olim suffragium in electione sacrorum ministrorum requireretur 319
3. Verba Pontificalis Romani 320
4. Prop. — Ad electionem ministrorum Ecclesiae, minime requiritur assensus seu suffragium cleri, populi aut magistratuum 321
5. Auctoritas 321
6. Ratio theologica 321

PAG.
7. Confirmatur 321
8. Praedicta facultas iure ab Ecclesia sublata est . . . 322
9. Solvuntur difficultates 322

QUAESTIO V.

(S., XXXV).

DE EFFECTIBUS ORDINIS.

Prologus.

1. Catechismus Romanus, circa excellentiam ministerii sacerdotalis 324
2. Ordo quaestionis 324

ART. I. — *Utrum sacramentum ordinis conferat gratiam sanctificantem.*

1. Sacramenta gratiam producunt 325
2. PROP. — Sacramentum ordinis confert gratiam sanctificantem 325
3. Auctoritas 325
4. Probatur ratione theologica 326
5. Praestantia huius gratiae 326
6. Confirmatur 326
7. Gratia sacramentalis in ordine collata 327
8. Gratia singulis ordinibus adnexa 327

ART. II. — *Utrum sacramentum ordinis imprimat characterem.*

1. Quid sit character 329
2. PROP. — In omnibus ordinibus imprimitur character . . 330
3. Auctoritas 330
4. Suadetur 330
5. Ratio theologica 330
6. Character ordinis praesupponit de necessitate characterem baptismi 331
7. Solvuntur difficultates 331
8. Character ordinis non praesupponit de necessitate, sed solum de congruitate, characterem confirmationis 333
9. Verba P. Monsabré 333

APPENDIX.

DE COELIBATU ECCLESIASTICO.

Prologus.

PAG.
1. Ratio appendicis 337
2. Materialistarum indigna placita 337
3. Ordo huius appendicis 337

CAPUT I.

De coelibatu christiano in communi.

1. Quid sit coelibatus 338
2. Prop. — Status coelibatus christiani perfectior existit statu matrimoniali 338
3. Auctoritates 338
4. Notandum 339
5. Ratio theologica 339
6. Excellentia virginitatis 340
7. Solvuntur difficultates. — I. Ex Sacra Scriptura . . . 340
8. II. Ex Patribus 342
9. III. Ex ratione theologica 342

CAPUT II.

De coelibatu ecclesiastico.

1. Excellentia status coelibatus 344
2. Quotuplici modo potest quis coelibatum suscipere . . . 344
3. Coelibatus ecclesiasticus 345
4. Ordo dicendorum 345

§ I. — *De obligatione pro clericis maioribus coelibatum servandi.*

1. Errores 345
2. Ecclesiae catholicae doctrina 347
3. Minores clerici lege perpetuae continentiae non adstringuntur 347
4. Subdiaconi non semper nec universe continentiae lege fuerunt adstricti 348

PAG.

6. Obligatio coelibatus relate ad clericos maiores . . . 349
7. Consuetudo circa coelibatum ecclesiasticum ab apostolica traditione descendit 349
8. Tertullianus 350
9. S. Hieronymus 351
10. Concilia 352
11. Conclusio 352
12. Solvitur tacita difficultas 352
13. Continentiam clerici maiores ob consuetudinem potius quam expressa et formali lege adstricti, observabant . . . 354
14. Solvuntur tacitae difficultates 355
15. Bigami ab ordinibus sacris arcebantur 355
16. Quaestio I. — *An ordo sacer semper fuerit impedimentum dirimens?* 356
17. Quaestio II. — *Quonam iure coelibatus ecclesiasticis viris praescribitur* 356

§ II. — *De obligatione coelibatus ecclesiastici apud Latinos.*

1. Lex coelibatus ecclesiastici in Occidente 358
2. Praescriptum S. Siricii Papae 358
3. Conciliorum praescripta 359
4. Testimonia SS. Augustini, Ambrosii et Leonis Magni . . 360
5. Olim non vetabantur maiores ministri cum uxoribus ante ordinationem ductis, continenter vivere 361

§ III. — *De coelibatu ecclesiastico penes Graecos.*

1. Ratio differentiae coelibatus inter Latinos et Graecos . . 363
2. Natura coelibatus penes Graecos 360
3. Synodi Ancyrana et Trullana 364
4. Olim sacrorum ministri, apud Graecos, ab uxoribus ante ornationem ductis, sese abstinere consueverunt . . . 365
5. Testes antiquae praxeos apud Graecos 365
6. Solvitur tacita difficultas 366
7. Lex apud Graecos hodie vigens 367
8. Scholion. — Agendi ratio Gregorii X, Eugenii IV et S. Nicolai I 367
9. Quaestio I. — *Cur Graeci maiorem exigunt continentiam ab episcopis quam ab aliis sacris ministris?* 367
10. Quaestio II. — *Cur Graeci presbyteris potius permittunt uxores antea ductas retinere, quam post ordinationem accipere?* 368

§ IV. — *De rationibus convenientiae, relate ad coelibatum ecclesiasticum.*

PAG.

1. Sanctitas et sublimitas status sacerdotalis 368
2. Eminentia sacrificii novae Legis 369
3. Officium orandi in sacerdote 370
4. Sacerdos aliis vivendi norma esse debet 370
5. Coelibatus sacerdoti necessarius, ut muneribus suis convenienter satisfaciat 371
6. Scholion 373
7. Quantum coelibatus ecclesiasticus laudi cedat Ecclesiae catholicae 373

§ V. — *Difficultates quae contra coelibatum ecclesiasticum moveri solent.*

1. Difficultates ex Sacra Scriptura 374
2. Solvuntur difficultates ex ratione 377

EPILOGUS.

Pii sacerdotis oratio 382

PRAEFATIO

Cum hominem, per originale peccatum e suo innocentiae et iustitiae statu deiectum atque in profundam malorum abyssum miserabiliter prolapsum, Deus salvare decrevisset, inter caetera redemptionis remedia, Verbi incarnati benignitate nobis comparata, septem voluit esse Sacramenta, quorum virtus, ex Christi passione derivata, in omnibus nos vitae necessitatibus mirabiliter adiuvaret. Haec nimirum sunt septem illa sacra signa, quae cum Ecclesiae nomine administrantur, aquam gratiae, septiformi virtute praegnantem, atque in vitam aeternam salientem, scaturire faciunt.

Porro, ex multis, quae vitae spiritus parantur periculis, illud unum eminet, quod unicuique hominum instat in fine, cum anima, a vinculis carnis mox evasura, in eo iam est ut coram iudice Christo sistatur, totius anteactae vitae rationem redditura, atque ab eo sententiam vel aeternae vitae, vel perpetuae mortis perceptura. Quo quidem momento, antiquus humani generis hostis, qui a damnum hominibus inferendo nunquam desistit, vires aggerit, mendaces nectit astus, et nil intentatum relinquit, si possit animam Sanguine Christi redemptam aut in inanem efferre praesumptionem, aut in tetram desperationem praecipitem dare, tantum ut ei victoriae palmam eripiat, eamque secum in infernum pertrahat.

Cui omnium luctuosissimo malo benigna succurrit dulcissimi Salvatoris incommensurabilis misericordia, dum Sanguinis sui pretio, validissimum nobis, contra supremum hoc periculum, remedium comparavit in sacramento extremae

unctionis, quo munitus homo et peccatorum suorum reliquias sibi deletas habet, et iucunda ei infunditur animo virtus, qua Dei benignitati confisus, quieto, imo hilari corde, iudici divino obviam pergat, quo etiam, si ita animae saluti expediat, corporis valetudinem, aut totaliter, aut partim, quantum, videlicet Deus sapientissime disposuerit, recuperet.

Porro, dum tantam Dei in nos perspectam habemus misericordiae largitatem, nequit profecto mens nostra grato animi sensu, erga Conditorem nostrum ac Salvatorem Iesum Christum, non erigi, simulque firmo proposito non exstimulari, ut conetur, adventante mortis hora, sacramenti illius beneficio ita frui, ut mirabiles eius effectus plenius valeat percipere.

Sed illos maxime, quibus animarum cura commissa est, condecet ut altissimam de extrema unctione confoveant existimationem, cum ad eos pertineat per illius sacramenti virtutem aeternae fidelium saluti providere.

Sane, nihil ipsis magis esse cordi debet, quam ut nulla, ex ovibus sibi commissis, ex hoc mundo proficiscatur, quae salvifico oleo, iuxta Ecclesiae ritum, uncta non fuerit: ad quod efficacius praestandum, multum eisdem iuverit accuratum de hoc tractatu studium, quod tamen interdum in scholis, tanquam esset res levis ac pene inutilis, superficie tenus transcurritur, cum e contra multae et graves theologicae quaestiones eidem tractatui adnectantur, ex quarum solutione, clarior apparet huius sacramenti utilitas, mirabiliorque Dei providentia erga homines relucet.

Quapropter, sanctum fuit nobis, in hoc argumento, doctrinam catholicam profundius rimari, propositis, discussis atque solutis pluribus elegantibus quaestionibus, quae passim in auctoribus desiderantur.

Cum autem S. Thomas, hanc Summae theologicae provinciam, morte praeventus, absolvere minime potuerit, sed illam antummodo in libro quarto Sententiarum, ex quo Supplementum confectum est, adumbratam reliquerit, hinc ne quid disquisitionibus nostris de hoc sacramento deesset, debuimus ad cetera Angelici Doctoris opera recurrere, ut tutam inde dicendorum normam colligeremus; sed et probatiores sacrae theologiae auctores percontati sumus, ut ex eisdem ea pro

ingenioli nostri modulo exponeremus, ex quibus tractatus omnibus numeris, ut optabamus, absolutus prodiret.

Donet Deus, tum benevolo lectori, tum humili scriptori, ut salvificum hoc sacramentum, ante vitae exitum, cum fide et pietate, percipere valeant, quatenus, in exequiis cum veritate illud Ecclesiae de nobis cantari valeat: *In Paradisum deducant te angeli.*

Romae, in festo S. Leonis Papae I, 1927.

TRACTATUS

DE

EXTREMA UNCTIONE

PROOEMIUM

1. — **Novissima utiliter saepius consideranda.** — Quanta vis sit, in frequenti ac seria novissimorum consideratione, ad fraenandas animi cupiditates atque homines a peccatis retrahendos, ipse testatur Spiritus Sanctus, dicens [1]: *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis.* Re quidem vera, fieri vix potest ut ille in vitia praeceps ruat, quem tenet cogitatio, debere se aliquando, mortalitate exuta, apud severum iudicem omnium factorum, dictorum, atque vel occultissimarum cogitationum rationem reddere. Similiter pronum est ut qui conscientiam peccatis onustam se habere sentiat, memorata poenarum mensura, quae illum post mortem manet, congruam pro sceleribus poenitentiam peragat, qua divinam possit vindictam evadere. Denique, iustus ad colendam iustitiam, ac praesentis vitae mala patienter sufferenda, magis incitatur, si in memoriam recolat bona quae, post aerumnosae huius vitae certamina, victor in caelis obtinuerit. Quapropter, praestat ut animarum pastores fidelis populi auribus doctrinam de morte et iis quae mortem necessario sequuntur, saepius inculcent [2].

[1] Eccl., VII, 40. — [2] Cat. Rom., P. I, de VII Symb. articulo, n. 11.

2. — Doctrinam de extrema unctione pastores populo tradere debent. — Porro, cum memoria diei supremae cum extremae unctionis sacramento stricte maneat coniuncta, nemo non videt quam utiliter de hoc salutis remedio a pastoribus agi debeat, scilicet in iis explicandis, quae ad tam utile sacramentum pertinent. Quae quidem tractatio dum omnibus necessitatem moriendi ob oculos ponit, virtutem simul animo ingerit pravas coercendi cupiditates et aerumnas huius vitae fortiter tolerandi. Ex hac quippe consideratione hoc obtinebitur, ait Catechismus Romanus [1], *ut in ipsa mortis exspectatione se minus perturbari sentiant* (fideles); *sed immortales Deo gratias agant, qui, ut baptismi sacramento aditum nobis ad veram vitam patefecit, ita etiam, ut ex hac mortali vita decedentes, expeditiorem ad caelum viam haberemus, extremae unctionis sacramentum instituit.*

3. — Ordo tractationis. — Qua in re, quatuor illas quaestiones ordinatim resolvemus, quae ad rei penitiorem cognitionem animum ducunt: videlicet, primo, quaeremus an sit hoc sacramentum (I); secundo, quid sit, scilicet secundum principia cuiusque sacramenti constitutiva, quae sunt materia et forma (II); tertio, qualiter sit, et quidem primo, secundum causam finalem (III), seu secundum effectus quos aptum natum est producere in anima; secundo, secundum causam materialem in qua, seu subiectum illud sacramentum suscipiens (IV): tertio, secundum causam efficientem, seu ministrum, cuius est hoc sacramentum conferre (V). — In quibus omnibus discutiendis, tutissimam, ut moris nostri est, sequemur S. Thomae doctrinam, aliunde, ut diximus, supplentes ea quae in illius nimis brevi tractatione deesse inveniuntur.



[1] P. II, c. VI, de Sacr. extr. unct., n. 1.

Quapropter quinque in hoc tractatu quaestiones proponunt.

Primo. De sacramento extremae unctionis secundum se. (S., Quaest., XXIX, art. 1-3).

Secundo. De materia et forma sacramenti extremae unctionis. (S., Quaest., XXIX, art. 4-9).

Tertio. De effectibus sacramenti extremae unctionis. (S., Quaest. XXX).

Quarto. De subiecto extremae unctionis. (S., Quaest., XXXII, XXXIII).

Quinto. De ministro extremae unctionis. (S., Quaest., XXXI).

QUAESTIO I.

(S., XXIX, 1-3).

DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS SECUNDUM SE.

PROLOGUS.

1. — **Nomina ad hoc sacramentum designandum usurpata.** — Ad rectam huius sacramenti notitiam assequendam, iuverit imprimis potissima nomina recensere, quibus a sacris scriptoribus passim insignitum fuit. Variis quippe nominibus, ratione desumpta vel ex materia, vel ex forma, vel ex subiecto, interdum designatum fuit: dictum est nimirum, a latinis *oleum sanctum, olei oratio, oleum infirmorum*; a Graecis vero, ἅγιον ἔλαιον, *oleum sanctum*, et frequentius, εὐχέλαιον, *oleum cum oratione coniunctum*. — Ex omnibus tamen nominibus, potiorem habet usum et significationem nomen *extrema unctio*, eo quod, ait Catechismus Romanus [1], *haec omnium sacrarum unctionum, quas Dominus Salvator noster Ecclesiae suae commendavit, ultima administranda sit. Quare haec ipsa unctio a maioribus nostris sacramentum etiam unctionis infirmorum et sacramentum exeuntium dicta est: quibus vocabulis fideles in memoriam novissimi illius temporis facile redire possunt.* Hac etiam ratione sacramentum hoc interdum dictum est, *sacramentum exeuntium* [2].

2. — **Ordo quaestionis.** — Acturi modo de extrema untione secundum se, primo, de hoc sacramento quaeremus prout consideratur in facto esse (1-2), et secundo prout consideratur in fieri, seu secundum illius institutionem (3). Rur-

[1] P. II, de Extrema Unctione, nn. 3, 4. — [2] Praef. in sect. 1 Benedict. n. 98.

sus, sub priori consideratione, de hoc sacramento agi debebit absolute, seu secundum ipsam sacramenti rationem (1), necnon secundum rationem unitatis, cum prima uniuscuiusque rei passio sit unitas (2).



Hinc tria in hac quaestione investiganda proponuntur.

Primo. Utrum extrema unctio sit Ecclesiae sacramentum.

Secundo. Utrum sit unum sacramentum.

Tertio. Utrum hoc sacramentum fuerit a Christo institutum.

Articulus I. — *Utrum extrema unctio sit Ecclesiae sacramentum* [1].

1. — **Errores.** — Censent nonnulli, praeeunte Beato Bellarmino [2], sacramentum extremae unctionis ab Albigensibus, Waldensibus atque Wicleffitis primum reiectum fuisse: at rite demonstrat Bossuet [3], hos haereticos, quibuscum Hussitas coniungit, nihil circa septenarium numerum sacramentorum, in quo extremam unctionem recensebant, innovasse. Igitur Lutheri facinus est, quod sacramentum hoc, etsi verbis forsan retineat, admiseritque caeteroquin ab Apostolis hunc ritum fuisse adhibitum, tamen tanquam verum novae Legis sacramentum haberi noluerit, ut patet ex eius libro de *Captivitate Babylonica* [4], ubi ait nusquam insignius esse deli-

[1] S. Quaest. XXIX, art. 1. — [2] De Sacr. Extr. Unct., l. unicus, c. I, Opp. t. II, col. 1179. Ingolst., 1688. — [3] *Histoire des variations*, l. XI, § 108, 109, et 180. — [4] Cap. de Extr. Unct.

ratum a theologis, quam in hoc sacramento administrando: licet hic, sicut in ceteris, inconstantem se exhibuerit. Huic mox consensit Calvinus, cum veritus non fuerit hoc sacramentum tanquam rem fictitiam habere, immo histrionicam hypocrisim [1]: idipsum, post Calvinum, tenuit et Chemnitius [2].

2. — Ecclesiae anglicanae positio. — Quod ad anglicanam ecclesiam attinet, primo quidem sciendum est, ab illa extremam unctionem, non secus ac confirmationem, poenitentiam, ordinem et matrimonium, pro sacramentis evangelicis minime haberi, utpote quae, sicut ista a prava Apostolorum imitatione profluxerit, et signum aliquod visibile, seu caerimoniam a Deo institutam non habeat [3]. — In quo tamen differentiam aliquam instituit praedicta ecclesia inter quatuor priores ritus et extremam unctionem, in hoc consistentem, quod illos quidem in magna retinet aestimatione, et pro eisdem ritum aliquem institutum habet; hanc vero nihil omnino in ritualibus ordinationibus supplet: qua in re, ceterae protestanticae sectae conveniunt.

3. — Modernistica de extrema unctione positio. — Porro, huic protestanticarum confessionum opinioni affine omnino est modernistarum figmentum, qui tenent olei unctionem primitus quidem ordinatam fuisse ad corporalem infirmi sanitatem; postmodum vero gradatim assumptam fuisse tanquam partem illius ritus, quo graviter decumbentes ad mortem praeparabantur, et tunc tantum subministratam fuisse, cum iam omnis spes recuperandae sanitatis evanuiset; ideoque id quod in origine *extrema* unctio vocabatur, propterea quod unctiones baptismi et confirmationis sequebatur, tandem nomen et significationem habuit unctionis *in extremis* [4].

[1] In stitut., l. IV, cap. XIX, § 18. — [2] In 2ª Parte Exam. — [3] *Confirmation, penance, orders, matrimony and extreme unction are not to be counted for sacraments of the Gospel, being such as have grown... of the corrupt following of the apostles.* (and)... *have not any visible sign or ceremony ordained of God.* Art. XXV. Vide, The thirty nine articles of the Church of England. Edgar C. S. Gibson, D D. London, 1902. p. 605. — [4] Sic quippe scribit praedictus E. Gibson (pp. 607, 608): *Whereas the original intention of the unction had been primarily*

Theoriae huic omnino cognata est sequens propositio a Pio X condemnata [1]: *Iacobus in sua epistola* [2] *non intendit promulgare aliquod sacramentum Christi, sed commendare pium aliquem morem, et si in hoc more forte cernit medium aliquod gratiae, id non accipit eo rigore, quo acceperunt theologi qui notionem et numerum sacramentorum statuerunt* [3]. — Contra hos omnes pronum est statuere sequentem

4. — PROP. — **Extrema unctio est verum novae Legis sacramentum.**

5. — **Auctoritas.** — Hanc propositionem tanquam de fide tenendam nobis exhibent Concilia tum Florentinum [4], tum Tridentinum, cuius haec sunt verba [5]: *Si quis dixerit, extremam unctionem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino nostro institutum, et a Beato Iacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum receptum a Patribus, aut figmentum humanum, A. S.*

6. — **Adumbratio sacramenti extremae unctionis in Sacra Scriptura.** — Imprimis, praeeunte Concilio Tridentino [6], dicere

---

for the saving of the sick person's life, by degrees this dropped out of sight, and the rite came to be regarded as part of the preparation for death, and was only administered when all hope of recovery seemed to have passed away; and thus that which had been originally simply « the last unction » (extrema unctio), as being (presumably) applied after the unctions in Baptism and Confirmation, came to be looked upon as nothing but « unctio in extremis », and was deferred until death seemed imminent.

[1] Decr. *Lamentabili*, 3 Iul., 1907, prop. 48. — [2] V, 14, 15. — [3] Propositio haec extracta est ex libro Alfr. Loisy, *Autour d'un petit livre*, Paris, 1903, p. 251: *L'auteur* (Jacques) *ne manifeste pas l'intention de promulguer un sacrement du Christ, mais de recommander une pieuse coutume: s'il voit dans cet usage un moyen de grâce, il ne l'entend pas avec la même rigueur que les théologiens qui ont fixé la notion et le catalogue des sacrements. Le rite appartient à la tradition chrétienne et peut s'autoriser même de l'Evangile. Son application sacramentelle peut être considérée comme une détermination particulière du pouvoir de remettre les péchés.* — [4] Decret. pro Armenis. — [5] Sess. XIV, can. 1. — [6] Loco cit., cap. I.

possumus, adumbrationem quamdam, vel insinuationem huius sacramenti, haberi in hoc loco S. Marci [1]: *Et exeuntes* (Apostoli) *praedicabant, ut poenitentiam agerent*; *et daemonia multa eiiciebant, et ungebant oleo multos aegros, et sanabant.* ἤλειφον ἐλαίῳ πολλοὺς ἀῤῥώστους, καὶ ἐθεράπευον. — Quibus utique verbis expresse significata non habetur extrema unctio, prout est novae Legis sacramentum, cum Apostoli nondum essent sacerdotes, et promiscue aegrotos quoslibet ungerent; sed unctio hic pertinet ad donum miraculorum, χάρισμα ἰαμάτων, et potius ad corpus, quam ad animam sanandam ordinabatur [2]. At, cum haec sit Dei oeconomia, ut extraordinarios favores praenuntiare atque obumbrare consuescat, hinc merito in unctionibus istis aliqua deprehendi potest figura illius specialis unctionis quam Christus, ad salutem animae et corporis eorum qui in extremo vitae positi sunt, instituit atque perficiendam ordinavit. *Hanc quidem unctionem*, ait Catechismus Romanus [3], loquens de unctione apud S. Marcum recensita, *non ab Apostolis inventam, sed a Domino praeceptam, non naturali aliqua virtute praeditam, sed mysticam, potius ad sanandos animos, quam ad corpora curanda institutam fuisse credendum est.*

7. — Auctoritas Sacrae Scripturae. — At locus ad sacramenti extremae unctionis existentiam evincendam proprius desumitur ex his verbis Epistolae S. Iacobi [4]: *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum, et allevabit eum Dominus; et si in peccatis sit; remittentur ei* [5]. — Notandus est graecus textus: ἀσθενεῖ τις ἐν ὑμῖν; προσκαλεσάσθω τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλη-

[1] VI, 12, 13. — [2] Cf. B. Bellarmin., l. I, c. 2. — [3] P. II, C. VI de Extr. Unct., n. 8. — [4] V, 14, 15. — [5] Nos non fallit, a Luthero et nonnullis ex eius asseclis, mota fuisse dubia de canonicitate S. Iacobi epistolae, quam ille stramineam vocitare non erubuit: spernenda autem esse haec dubia, Scripturae Sacrae periti, imo plures ex protestantibus auctoribus, iamdudum ostenderunt. Ceterum notum est Reformatorem nisum fuisse reiicere S. Iacobi epistolam, quod per doctrinam inibi traditam totum suum de iustificatione systema everti rite deprehenderet.

σίας, καὶ προσευξάσθωσαν ἐπ᾽ αὐτὸν, ἀλείψαντες αὐτὸν ἐλαίῳ ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου· καὶ ἡ εὐχὴ τῆς πίστεως σώσει τὸν κάμνοντα, καὶ ἐγερεῖ αὐτὸν ὁ κύριος· κἂν ἁμαρτίας ᾖ πεποιηκώς, ἀφεθήσεται αὐτῷ. — Ex quibus verbis, ita argumentari licet: Sacramentum novae Legis est signum sensibile, a Christo Domino stabiliter institutum, ad gratiam homini conferendam. Atqui haec tria, ex supra inductis verbis, relate ad ritum extremae unctionis, aperte inferuntur. Ergo extrema unctio est verum novae Legis sacramentum.

8. — **Explicantur verba S. Iacobi.** — I. Et primo quidem, nulli dubium esse potest, in hoc ritu, signum sensibile deprehendi: prostant quippe, pro materia, unctio olei, et pro forma, oratio fidei.

II. Pariter dubitari nequit, ritum huiusmodi Christum ipsum habere auctorem, utcumque illum instituerit, sive per se, sive per alios, de qua re inferius sermo recurret: cum expresse S. Iacobus ad nomen Domini sese referat: *Ungentes eum in nomine Domini.* Sed et inconditionata promissio salutarium effectuum indicio est illum a Christo esse repetendum: id enim tam indubitanter S. Iacobus repromittere non potuisset, nisi Christus ipse ritum illum instituisset, et administrari iussisset. Denique, haec institutio per modum legis stabilis traditur, cum nulla, in citatis verbis, temporis limitatio apponatur, et institutio ipsa cuiusvis aetatis necessitatibus respondeat.

III. Denique, praedictum signum exhibetur tanquam specialis gratiae productivum, ut patet ex verbis immediate subnexis: *Oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei:* quod quidem absque gratia sanctificante fieri non potest: sine enim gratia non fit peccatorum remissio.

9. — **Traditio Ecclesiae.** — **I. Testimonium Origenis.** — Potest imprimis praedicta veritas ex eo comprobari, quod Patres, in verbis S. Iacobi, efficax medium agnoscunt ad peccatorum remissionem consequendam. Sic quippe Origenes, postquam de sacramento poenitentiae egit, haec de extrema unctione, tanquam de ritu a poenitentia distincto, quo haec

veluti perficiatur et consummetur, subiungit [1]: *Est adhuc septima* [2], *licet dura et laboriosa per poenitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator in lacrymis stratum suum, et fiunt ei lacrymae suae panes die ac nocte, et non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum... In quo impletur et illud quod Iacobus Apostolus dicit:* SI QUIS AUTEM INFIRMATUR, VOCET PRESBYTEROS ECCLESIAE, ET IMPONANT EI MANUS, UNGENTES EUM OLEO IN NOMINE DOMINI, ET ORATIO FIDEI SALVABIT INFIRMUM, ET SI IN PECCATIS FUERIT, REMITTENTUR EI — Ad quem locum rite intelligendum, sciendum est Origenem ibi agere tum de poenitentia, tum de extrema unctione; duplex vero inter utrumque sacramentum discrimen assignat: unum, quod haec per oleum, et quidem solis infirmis administretur, illa vero non ita; alterum, quod poenitentia ad graviora, extrema vero unctio, ad leviora peccata remittenda ordinatur.

10. — II. Testimonium Innocentii I. — Expressiora autem sunt quae habet Innocentius I qui, cum a Decentio, Eugubino episcopo, interrogaretur, utrum verba S. Iacobi intelligi deberent de infirmis a sacerdotibus oleo inungendis, et utrum haec unctio esset poenitentibus concedenda, respondit [3]: *Non est dubium* (verba S. Iacobi) *de fidelibus aegrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt, quod ab episcopo confectum non solum sacerdotibus, sed omnibus uti christianis licet in sua aut suorum necessitate inungendum. Ceterum, illud superfluum videmus adiectum, ut de episcopo ambigatur, quod presbyteris licere non dubium est... Poenitentibus istud* (chrisma) *infundi non potest, quia genus est sacramenti. Nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?*

Ubi tria sedulo adnotanda veniunt: primum, rem de

[1] Homil. II in Levit., n. 4. — [2] Sex iam enumeraverat peccatorum remissiones, scilicet, baptismum, martyrium, eleemosynam, dimissionem alienorum peccatorum, procurationem conversionis peccatoris, caritatis exercitium. — Quo sensu ista dicantur peccatorum remissiones, explicuimus in tr. DE POENITENTIA, Quaest. LXXXIV, art. 1, n. 7.
[3] Epist. XXV, cap. 8. 19, Mart. 416. D.-B., n. 99.

qua agimus, fuisse, tunc temporis apud omnes compertam: ait enim: *Non est dubium:* secundum, nulla cunctatione unctionem illam dici esse sacramentis connumerandam, cum poenitentibus publicis nondum absolutis, non secus ac cetera sacramenta, negari debeat; tertium, haberi hic clare significata tum subiectum huius sacramenti, scilicet aegrotos, tum ministrum, nempe episcopum vel presbyterum, tum materiam, id est oleum ab episcopo confectum. — Adverti etiam debet, in citato textu, chrisma generice dici, videlicet pro omni genere unguenti.

Denique opportune notabitur, Decentium non de sacramenti veritate dubitasse, sed de eius ministro ac subiecto, ut ex Innocentii responsione patet [1].

11. — **III. Testimonium S. Ioannis Chrysostomi.** — Praetermittendus quoque non est S. Ioannes Chrysostomus, qui ita scribit [2]: *Neque enim tantum cum nos regenerant* (sacerdotes), *sed etiam post regenerationem admissa peccata condonare possunt. Nam,* INFIRMATUR, *inquit Apostolus.* QUIS IN VOBIS? ADVOCET PRESBYTEROS ECCLESIAE, ET ORENT SUPER EO, UNGENTES, etc., οὐ γὰρ ὅτ' ἂν ἡμᾶς ἀναγεννῶμεν μόνον, ἀλλὰ καὶ τὰ μετὰ ταῦτα συγχωρεῖν ἔχουσιν ἐξουσίαν ἁμαρτήματα. Ἀσθενεῖ γάρ τις, φησὶν, ἐν ὑμῖν, κ. τ. λ. — Patet autem Chrysostomum ibi de extrema unctione, non de poenitentia loqui, eo quod iam antea fuerat locutus de remissione peccatorum per poenitentiam, allatis testimoniis ex Matthaeo [3] et Ioanne [4], ex quo deducitur hanc ab eo tanquam ab extrema unctione distinctam haberi; deinde supponit, ex Iacobi testimonio, extremam unctionem solis aegrotis dandam esse, cum tamen poenitentiam omnibus ministrari debere concedat.

12. — **IV. Testimonium S. Caesarii Arelatensis.** — Denique, praestat audire S. Caesarium Arelatensem (470-543), qui ait [5]: *Quoties aliqua infirmitas supervenerit, corpus et san-*

[1] Solutionem ultimorum verborum S. Pontificis reperies infra. quaest. V, art. 1. — [2] L. III, de Sacerdotio, n. 6. — [3] XVIII, 18. — [4] XX, 22, 23. — [5] Sermo CCLXV, de Temp., n. 3. Cf. Enchir. Patrist. R. de J., n. 2234.

guinem Christi ille qui aegrotat, accipiat, et inde corpusculum suum ungat (quod est, ungi curet), *ut illud quod scriptum est, impleatur in eo:* INFIRMATUR ALIQUIS, etc. *Videte, fratres, quia, qui in infirmitate ad ecclesiam cucurrerit, et corporis sanitatem recipere et peccatorum indulgentiam merebitur obtinere.*

13. — Antiqua praxis. — Confirmari haec doctrina potest ex praxi, de qua plura apud scriptores legimus. Sic de S. Augustino scribit eius biographus Possidius [1]: *In visitationibus modum tenebat ab Apostolo definitum, ut nonnisi pupillos et viduas in tribulationibus constitutos visitaret. Et si forte ab aegrotantibus ob hoc peteretur, ut pro eis in praesenti Dominum rogaret, eisque manus imponeret, sine mora pergebat.*

Ad rem quoque sunt quae habet S. Cyrillus Alexandrinus, cum fideles ad gentilium superstitiones pro salute recuperanda recurrentes, ab hoc facinore perpetrando, occasione praecise ex hoc sacramento desumpta, nitebatur avertere [2].

Praeterea, refert S. Gregorius, Turonensis episcopus [3], apud Avernos, a sancto Nepotiano episcopo visitatum fuisse Artemium quemdam infirmum, qui oleo sancto perunctus, tribuente Domino, redditus est sanitati. Addi potest quod in Actis S. Clotildis reginae legitur, scilicet ipsam inunctam esse a sacerdotibus oleo sancto, deinde Eucharistia refectam [4]. Denique, ut ceteros omittam, S. Bernardi, ex Patribus postremi, auctoritas congrue hic potest introduci, qui, in vita S. Malachiae [5], miraculum refert a Deo patratum, scilicet de muliere defuncta, et ad huius Sancti preces et lacrymas ad vitam excitata, ut hoc sacramentum posset percipere.

14. — Cur Patres de hoc sacramento amplius locuti non sunt. — Sciscitanti autem quare non uberiora suppetunt de hoc sacramento apud Patres testimonia, respondetur, primo, illius notionem ex iis rebus fuisse, quae primitus vulgi cognitioni subtrahebantur, et de qua, ob arcani disciplinam, nefas erat publice disserere. Praeterea,

[1] In Vita, cap. 27. — [2] In op. *de Adorat. in spiritu et verit.*, l. VI, Parisiis 1638, t. I, p. 211. — [3] Hist. Eccles. Franc., l. I, cap. 41. — [4] Histoire de l'Extr. Onction, par Chardon, p. 400. — [5] Cap. 24.

non ea est haec doctrina, quae ad publicam christianae societatis vitam pertineat, maxime cum hoc sacramentum nonnisi decumbentibus aptum natum sit subministrari. Deinde, cum solum in fine vitae daretur, et sic quodammodo cum sacramento poenitentiae, quod tunc morituri recipiebant, coniungeretur, non erat unde de illo, tanquam de re speciali, amplior sermo haberetur: siquidem, tanquam complementum poenitentiae habebatur [1].

His addi potest, a Patribus rem hanc, tanquam usitatam et sufficienter cognitam, praeteriri potuisse, quemadmodum de ipsa Eucharistia non aeque apud omnes sacros scriptores frequens recurrit mentio. Enimvero, nonnisi nacta occasione de mysteriis fidei nostrae loqui solebant, ut etiam colligitur ex citato testimonio Innocentii I, quem Decentii dubitatio movit ad praedicta verba facienda.

Specialiter vero advertendum est, primis duobus Ecclesiae saeculis, diris vigentibus persecutionibus, hanc saepe fuisse fidelium sortem, ut non naturalem mortem incurrerent, sed neci occumberent, adeo ut fidem catholicam amplecti et se morti devovere una atque eadem res esset, unde non tam frequens certe erat casus hoc sacramentum, quod solis in periculo mortis, naturaliter secuturae, constitutis confertur, administrandi.

15. — Confirmatur. — I. Ex consensione Ecclesiae graecae schismaticae. — Cum a tempore separationis Graecorum ab Ecclesia Catholica, huic illi se constanter infensissimos exhibuerint, non est censendum eos utcumque voluisse dogmata et praxes Latinorum, si qua novissent ab eisdem instituta, recipere: vicissim, multo minus dicenda est Ecclesia Romana quicquam novi ab haereticis mutuo accepisse. Cum

[1] *Die Väter reden verhältnissmässig selten von der letzten Oelung. Dies hat seinen Grund neben der Arcandisciplin besonders darin, dass dieselbe infolge ihrer Spendungsweise weniger in das öffentliche Leben der Kirche eingreift, sowie dass sie von jeher als Ergänzung der Busse beim Abschluss des Lebens in gefährlicher Krankheit betrachtet und früher in der Regel im Anschluss an das Bussacrament gespendent wurde.* Scheeben-Atzberger, Handbuch der Kath. Dogm. IV B. III Abt., s. 743.

igitur Graeci ultro agnoscant extremam unctionem tanquam verum sacramentum, ut ex eorum libris liturgicis constat, hinc concludere licet, praxim de infirmis periclitantibus oleo ungendis, schismate orientali antiquiorem esse.

Graecorum vero insigne hac de re fidei testimonium prostat in Concilio Florentino, in quo haec doctrina, nemine contradicente, proclamata est. — Ad rem quoque facit, inter alia, responsum Ieremiae, Constantinopolitani Patriarchae, ad Lutheranos, quo septenarium numerum sacramentorum contra illos aperte vindicat.

16. — II. Ex antiquorum Conciliorum declarationibus. — Adsunt quoque, in hanc rem, Conciliorum declarationes, inter quas illud adferri potest, quod in Concilio Cabillonensi II legitur [1]: *Secundum Beati Iacobi documentum, cui etiam documenta Patrum consonant, infirmi oleo, quod ab episcopis benedicitur, a presbyteris ungi debent. Sic enim ait*: INFIRMATUR QUIS IN VOBIS, etc. *Non est itaque parvipendenda huiusmodi medicina, quae animae corporisque medetur languoribus* [2].

17. — Ratio theol. — Ut autem clare pateat, ex praedicis S. Iacobi verbis, extremae unctioni sacramenti dignitatem competere, iubet Angelicus rem ad distinctionem inter sacramentum et sacramentale revocari. — Differentia, ait ille, inter sacramentum et sacramentale, in hoc sita est, quod sacramentum dicitur illa actio Ecclesiae quae attingit ad effectum principaliter intentum in administratione sacramentorum, ut baptismus; sacramentale vero dicitur illa actio Ecclesiae, quae quamvis non pertingat ad effectum principaliter intentum in administratione sacramentorum, ad illam tamen aliquo modo ordinatur, ut exorcismus. Porro, effectus intentus in administratione sacramentorum est cu-

[1] Cf. RENAUDOT, in op. *Perpétuité de la foi*, t. v, l. v, chap. 1, seq.; Martène, de *antiquis Ecclesiae ritibus*, l. I, p. II, c. 7, art. 1, seqq. — [2] D. 813, can, 48 Mansi, t. XIV, col. 104 — [3] Cf. S. Gregorius Magnus, in Sacramentario, ubi praescribit modum administrandi hoc sacramentum; cf. etiam Syn. Moguntin., a. 847, cap. 26, Mansi, ibid. col. 910; etc. Vide B. Card. Bellarmin., loco cit.; Martène, etc. — [4] S. Quaest. XXIX, art. 1.

ratio morbi peccati; et ideo, cum ad hunc effectum pertingat extrema unctio, ut ex verbis S. Iacobi patet, nec ordinetur ad aliud sacramentum, quasi aliquid sacramento adnexum, constat quod extrema unctio non est sacramentale, sed sacramentum.

18. — Confirmatur argumento S. Bonaventurae. — Praestat praedictam veritatem ipso Seraphici Doctoris ratiocinio confirmare, qui ex hoc sacramenti huius rationem deducit, quod Christus acceptam unctionis gratiam in alios per sacramenta derivare potest. Porro anima, ad hoc quod perfecte sanetur, triplici genere sanitatis indiget, scilicet ad strenuitatem actionis, ad suavitatem contemplationis, et ad felicitatem comprehensionis. Igitur, prima unctio est intrantium in aciem Ecclesiae, ad quod Dominus instituit primam unctionem sacramentalem, scilicet in confirmatione; secunda est praesidentium in Ecclesia quorum est alios erudire, ad quod Christus instituit mediam unctionem, nempe in ordine pontificali; tertia demum est exeuntium de hoc mundo per mortem, ad quod instituta est extrema unctio, imminente videlicet mortis periculo.

19. — Verba Concilii Tridentini. — En quomodo ratio institutionis sacramenti extremae unctionis a Concilio Tridentino exponitur[1]: *Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversus omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in sacramentis aliis praeparavit, quibus christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviori spiritus incommodo, possint: ita extremae unctionis sacramento finem vitae, tanquam firmissimo quodam praesidio, munivit. Nam etsi adversarius noster occasiones per omnem viam quaerat et captet, ut devorare animas nostras quoquo modo possit, nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes suae versutiae nervos intendat, ad perdendos nos penitus, et a fiducia etiam, si possit, divinae misericordiae deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitae prospicit.*

[1] Sess. XIV de Extr. Unct. — [2] Hebr., VII, 19.

20. — Quaestio. — *Utrum sacramentum extremae unctionis fuerit praefiguratum in veteri Lege?*

Resp. Proprie loquendo, hoc sacramentum dici non potest fuisse praefiguratum in veteri Lege, quia hominem immediate ad gloriam disponit, cum detur exeuntibus a corpore: porro, in veteri Lege non erat tempus adhuc perveniendi ad gloriam, quia neminem ad perfectum adduxit lex, ut ait S. Paulus [1]; unde istud sacramentum praefigurari non debuit per aliquod sacramentum sibi respondens, sicut per figuram eiusdem generis. Late tamen hoc sacramentum dici potest fuisse quodammodo praefiguratum, tanquam per remotas figuras, in omnibus curationibus quae in veteri Testamento leguntur factae.

21. — Solvuntur difficultates. — I. Cardinalis Caietanus, in Commentariis in epistolam S. Iacobi, expresse negat praedicta Apostoli verba ad unctionem sacramentalem posse transferri.

Resp. Caietanus, etsi utique de sacramenti extremae unctionis veritate nunquam dubitaverit, hac tamen in re, sicut in nonnullis argumentis ubi Scripturam commentatur, catholicae veterum expositioni suam sententiam praefert, unde mirum non est, si in hoc a theologis universaliter deseratur; unde sententia haec, sicut etiam aliae non paucae, in romana eiusdem operum editione, iusu S. Pii V, expuncta est. Quo loci facit illa Cardinalis Pallavicini animadversio, scilicet, Caietani commentaria in Sacram Scripturam ad cetera illius opera se habere, non secus ac pedes relate ad pennas pavonis [3]. Ceterum, aliqua Caietano venia debetur, quod ante Tridentinum Concilium, in quo praefata Iacobi interpretatio tanquam authentica proposita est, scripserit.

II. Unctio de qua S. Iacobus, in sua epistola loquitur,

[1] S., Quaest. XXIX, art. 2, ad 2[m]. — [2] Istoria del Concilio di Trento, l. VI, cap. 17, § 2. — [3] *Quanto appartiene al Gaetano, il parlar dei suoi Commenti sopra la Scrittura è un parlare, non delle penne, ma dei piedi di un bellissimo paone...* Attamen multa prostant, vel in eius scripturisticis commentariis, egregie omnino dilucidata et expensa.

differt essentialiter ab unctione quae est in usu in Ecclesia Romana: nam Apostolus loquitur indiscriminatim de omnibus infirmis; at soli laborantes extremo morbo inunguntur ab Ecclesia Romana.

Resp. Nego: de iis quippe infirmis loquitur S. Iacobus, qui iam in mortis periculo versantur: tales quippe imprimis censeri possunt, qui per se ad Ecclesiae presbyteros ita accedere nequeunt, ut ad illos potius necesse sit presbyteros accersiri, qui eos inungant. Quod praeterea ipsis graecis vocibus comprobatur: ubi enim in Vulgata nostra habetur *infirmatur*, graece est ἀσθενεῖ, quae vox, ex contextu biblico et usu ecclesiastico, graviter decumbentem significat. Sic quippe videmus in Actibus Apostolorum illos ἀσθένουντας vocitari, ad quos Pauli semicinctia deferebantur ut convalescerent [1], et S. Ioannes Chrysostomus ea quae habet Apostolus [2]: *Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles.* διὰ τοῦτο ἐν ὑμῖν πολλοὶ ἀσθενεῖς καὶ ἄῤῥωστοι, de graviter decumbentibus exponere non dubitat [3]. Quod si cui adhuc dubitatio supersit, Apostolum non de omnibus indiscriminatim infirmis, sed proprie de graviter decumbentibus agere, satis ei erit ad vocem τὸν κάμνοντα, *infirmum*, attendere, quae utique aegrotum designat, sed gravi morbo laborantem.

22. — Scholion. — Pro huius articuli coronide, adverti potest, forsitan non tam frequentem, sicut modo, morem obtinuisse infirmos in extremo vitae ungendi. Enimvero, teste Innocentio I, oleum sanctum omnibus poenitentiae stadia percurrentibus denegabatur; praeterea, recolendum est, multos baptismum in finem usque vitae differre consuevisse; item, per ea tempora, innumerabiles christifideles ex hac vita, per gloriosam martyrii ianuam, ad caelos convolasse, et hos quidem, sicut illos, huius sacramenti auxilio minime indiguisse. Pariter, indubia prostant indicia, iis tantum consuevisse extremam unctionem conferri, quos novissent peccatis fuisse coinquinatos, ut colligi potest ex vita Adhelhardi, Corbeiensis abbatis, in qua legitur: *Cum coepisset idem episcopus a nobis percontari utrum benedictionis oleo,*

[1] Act., XIX, 12. — [2] 1 Cor., XI, 30. — [3] Homil. XXVII, n. 1.

sicut a Beato Iacobo sancitum est, deberet perungi. interrogavimus eum, utrumne vellet quem proculdubio scieramus peccatorum oneribus non detineri [1]. Porro, ut scite advertit Perrone, inanis fuisset huiusmodi interrogatio, si tunc temporis mos obtinuisset ut vel ii, quos credebant peccatis non fuisse maculatos, infirmorum unctionem acciperent. Addit autem, post citata verba, Radbertus: *Quod ille audiens, erectis oculis in caelum, cominus obsecrabat ut fieret.* Porro, huc certe non refert, utrum sic operantes recte tunc se gesserint: at, ex eorum agendi ratione, veritas huius sacramenti, utique ab indirecto comprobatur.

Articulus II. — *Utrum extrema unctio sit unum sacramentum.*

1. — **Quo modo unum hic accipitur.** — Ex Aristotele accipimus [2], unum numero, per se loquendo, dici tripliciter: uno modo, sicut indivisibile quod nec actu nec potentia est plura, sicut punctus et unitas; alio modo, sicut continuum quod quidem actu est unum, sed plura potentia, ut linea; tertio modo, sicut perfectum aliquod, quod ex partibus pluribus constituitur, sicut dicitur una domus et unus homo: sunt enim domus et homo multa quodammodo etiam in actu; sed illa multa conveniunt in aliquo uno, cum ad illorum integritatem plura concurrant, quae requiruntur ad eorum finem, sicut homo integratur ex omnibus membris necessariis ad operationem animae, et domus integratur ex omnibus partibus quae sunt necessariae ad habitandum [3].

2. — PROP. — **Sacramentum extremae unctionis, licet sit multa materialiter, est unum formaliter et perfective.**

3. — **Prob.** — Sacramentum significando causat. Ergo quodlibet sacramentum, etsi materialiter ex pluribus partibus constet, formaliter tamen dicitur unum, inquantum

[1] Vita a Paschasio Radberto edita. Sirmondi, col. 1681. — [2] C. I, de verit. sacr. Extr. Unct., II, obiect., 1, nota ad 1[am] diff. — [3] L. V, Metaphysic., text. 9, seq. — [4] 3, Quaest. LXXXIII, art. 2.

multa, quae sunt in uno sacramento, adunantur ad unum significandum et causandum. Quocirca, quando una actio sufficit ad perfectam significationem, unitas sacramenti consistit in illa actione tantum, sicut patet in confirmatione. Quando autem significatio sacramenii potest esse et in una et in multis actionibus, tunc sacramentum perfici potest et una actione et pluribus, sicut baptismus una immersione et tribus, quia ablutio quae significatur in baptismo, potest esse per unam immersionem et per multas. Quando autem perfecta significatio non potest esse nisi per plures actiones, tunc plures actiones sunt de perfectione sacramenti, sicut patet in Eucharistia; quia refectio corporalis, quae significat spiritualem, non potest esse nisi per cibum et potum. Atqui simile est quod habetur in sacramento extremae unctionis, quia curatio interiorum vulnerum non potest perfecte significari, nisi per oppositionem medicinae ad diversas vulnerum radices [1]. Quocirca, facta una unctione, necesse est, ad perfectionem sacramenti, quod aliae unctiones peragantur.

4. — **Verba Catechismi romani.** — Hanc veritatem ita Catechismus Romanus dilucide commonstrat [2]: *Unum est* (sacramentum extremae unctionis) *non partium continuatione quae dividi non possunt, sed perfectione; cuiusmodi sunt cetera omnia, quae ex pluribus rebus constant. Nam, quemadmodum domus, quae ex multis et diversis rebus composita est, una tantum forma perficitur; ita hoc sacramentum, etsi ex pluribus rebus et verbis constituitur, unum tamen signum est, et unius rei, quam significat, efficientiam habet.*

5. — **Solvuntur difficultates.** — I. Unitas rei est ex sua materia et ex sua forma. Atqui forma in extrema unctione frequenter iteratur etiam eadem vice, et materia pluries inuncto adhibetur secundnm diversas partes. Ergo extrema unctio non est unum sacramentum.

Resp. *Dist. mai.*: unitas rei est ex sua materia et forma seorsim consideratis, *nego*; ex sua materia et forma qua-

[1] S., Quaest. XXIX, art. 2. — [2] P. II, de Sacr. extr. unct., n. 7.

tenas utrumque ordinatur ad unum quid perfectum significandum et constituendum, *conc. Dist. min.:* iteratio formae et materiae fit in ordine ad unum perfectum, *conc.;* ad plura, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Cum ex eodem res habeat esse et unitatem, esse autem habeat ex materia et forma, ideo res quaecumque composita unitatem habet similiter ex materia et forma, at non ex materia et forma utcumque consideratis, sed quatenus conveniunt ad unum quid perfectum constituendum. Igitur, unitas totius perfecti non tollitur propter diversitatem materiae aut formae quae est in partibus totius, sicut constat quod non est eadem materia carnis et ossis ex quibus constituitur unus homo, nec eadem forma, scilicet accidentalis; et similiter in sacramento Eucharistiae et in sacramento extremae unctionis, pluritas materiae et formae unitatem sacramenti non tollit [1].

II. — Unctio est sacramentum. Atqui in extrema unctione sunt plures unctiones. Ergo extrema unctio non est unum sacramentum.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.:* materialiter, *conc.;* formaliter et in ratione cuiusdem perfecti, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Quamvis illae unctiones sint simpliciter plures, cum tamen uniantur in una perfecta actione, quae est unctio omnium sensuum exteriorum quibus morbusin terior hauritur, ideo non plura, sed unum tantum sacramentum constituunt [2].

6. — Unica unctio sufficit ad valorem sacramenti. — Porro, licet sacramenti perfectio consistere non possit absque variis sensuum unctionibus, dubium tamen esse non potest, ipsummet sacramentum, ut sic, consistere cum unica unctione, quemadmodum graves advertunt auctores. Enimvero, S. Iacobus simplicem recenset unctionem: *ungentes eum oleo;* in tridentino pariter Concilio de una tantum unctione fit mentio: *haec sacra unctio* [3]; unde sat esse videtur, ad hoc ut homo dicatur unctus, si in una tantum parte ungatur. Unde, urgente necessitate, potest una unctio in aliquo sensu, et consultius in capite, quod sensuum sedes censetur, adhiberi, ut ait Be-

[1] Ibid. ad 1[m]. — [2] Ibid., ad 2[m]. — [3] Sess. XIV, cap. 1.

nedictus XIV [1]; quo casu dicetur: *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per sensus, visum, auditum, gustum, odoratum et tactum*; repetendae autem erunt unctiones in singulis sensibus, si aeger supervivat. Pari ratione, sufficit in necessitate ut alteruter organorum, altero transmisso, ungatur: verbi gratia, alter oculus, altera auris aut manus.

7. — **Solvitur tacita obiectio**. — Nec obstat quod ait S. Doctor [2]: *Illa unctio ab omnibus observatur, quae fit ad quinque sensus, quasi de necessitate sacramenti:* hic enim aliud non arguit S. Thomas, nisi, comparato triplici unctionum genere, scilicet in organis cognitionis, quae sunt sensus, in organis vis appetitivae necnon in organis motus, prius genus, potius quam alia duo genera, ad sacramenti significationem et essentiam pertinere. Quocirca, unctio renum, quam olim praescribebat Rituale romanum [3], in mulieribus semper omitti honestatis gratia, atque etiam in viris quando infirmus commode moveri non potest, nunc semper, id est in utroque casu, iubetur omitti [4]; unctio vero pedum non est de necessitate sacramenti, et ex qualibet rationabili causa omitti potest [5], etsi, ordinarie loquendo, servanda sit iuxta consuetudinem Ecclesiae; quae etiam consuetudo observari debet quoad ordinem inter unctiones partium, licet hic ordo non sit de necessitate sacramenti, cum ordinis inversio minime impediat sacramenti significationem [6].

8. — **Quaestio.** — *Quid faciendum, si quando post primam unctionem factam, moriatur sacerdos?*

Resp. Alius sacerdos, si adsit, procedere debet, quin ab initio incipiat, alias unctiones peragendo: peracta enim unctio repeti nullatenus debet. Huic rei simile est quod in Missali Romano praescribitur [7]: *Si* (sacerdos) *post consecrationem corporis tantum* (moriatur), *ante consecrationem sanguinis, vel utroque consecrato id accidit, missa per alium sa-*

[1] De Syn., l. VII, c. 18. — [2] S., quaest. XXXII, art. 6. — [3] Tit. V, c. 1, n. 15. — [4] Can. 947, § 2. — [5] Ibid., § 3. — [6] Ibid., § 1. — [7] Tit. X, de defectibus in ministerio ipso occurrentibus.

cerdotem expleatur ab eo loco ubi ille desiit [1]. Porro, nec in hoc casu, quando videlicet unctiones a pluribus perficiuntur, extrema unctio desinit esse sacramentum unum: huiusmodi enim plures ministri instrumentaliter tantum operantur; pluralitas autem ministrorum non tollit unitatem sacramenti, sicut mutatio et substitutio martellorum non tollit unitatem operationis fabri [2].

Articulus III. — *Utrum hoc sacramentum fuerit a Christo institutum.*

1. — **Ratio articuli.** — Licet catholici omnes quovis tempore rationem sacramenti extremae unctioni tribuerint, nonnullis tamen ex antiquis scriptoribus visum est, illud, sicut etiam sacramentum confirmationis, non ab ipso Christo Domino per se, sed vel ab Apostolis [3] vel ab Ecclesia fuisse institutum [4]. Signanter vero, quod attinet ad extremam unctionem, illam dixerunt ab Apostolo Iacobo, accepta ad id a Christo speciali potestate, originem habuisse. — Ad quod inferendum hac ratione ducebantur, quod hoc sacramentum, sicut etiam confirmatio, propter plenitudinem gratiae quae in eo confertur, non potuit ante plenissimam Spiritus Sancti missionem, quae fuit post Christi resurrectionem, institui; unde, addunt, ita est sacramentum novae Legis, ut in veteri

[1] C. S. Thomas tamen, S., Quaest. XXIX, art. 2, ad 3[m], discrimen, ex hoc capite, instituit inter extremam unctionem et Eucharistiam: dicit enim quod, in Eucharistia, si post consecrationem panis moriatur sacerdos, alius sacerdos potest procedere ad consecrationem vini, incipiens ubi ille dimisit, vel etiam potest incipere a capite supra aliam materiam; sed in extrema unctione non potest a capite incipere, sed debet semper procedere, quia unctio in eadem parte facta tantum valet, ac si consecraretur bis eadem hostia, quod nullo modo faciendum est. Hoc tamen cum praesenti Ecclesiae praescripto non cohaeret. — [2] Loco cit. — [3] Haec est sententia tum Magistri Sententiarum, 4, Dist. XXIII, tum S. Bonaventurae, cuius verba inferius (n. 7) referentur. — [4] Vide tr. n. de sacram. Confirm., Quaest. LXXII, art. 1, n. 16, p. 314.

Lege figuram non habuerit. — At, statim advertit Angelicus [1], rationem hanc non multum cogere; quia, sicut Christus ante passionem suam promisit plenam Spiritus Sancti missionem, ita potuit tunc instituere sacramenta magnam gratiam conferentia, suscipienda tamen post suam resurrectionem.

2. — PROP. — Christus immediate per seipsum extremam unctionem instituit.

3. — Auctoritas. — Propositio haec dicenda est saltem fidei proxima; cum in superius citato canone Concilii Tridentini [2], expresse dicatur sacramentum istud institutum quidem a Christo, a Beato Iacobo vero tantummodo promulgatum. – Circa vocem *insinuatum*, qua utitur Concilium Tridentinum [3] in relatione ad unctiones a S. Marco recensitas [4], scite advertit Card. Pallavicinus [5], quam opportune fuerit adhibita, ex hoc quod si, in illo loco S. Marci, sermo fuisset de institutione huius sacramenti, non fuisset cur a S. Iacobo postea debuisset promulgari.

4. — Suadetur. — I. Potest autem huius veritatis ratio deprehendi in eo quod a S. Iacobo dicitur: *Ungentes eum oleo* IN NOMINE DOMINI: quae sane verba immediatam Christi institutionem innuere videntur: quandoquidem iubere ut sacramentum aliquod administretur in alicuius nomine, est illum ipsum tanquam sacramenti institutorem agnoscere.

II. Sacramenta novae Legis sunt digniora quam sacramenta veteris Legis. Atqui omnia sacramenta veteris Legis sunt a Deo immediate instituta. Ergo multo magis omnia sacramenta novae Legis habent immediatam institutionem ab ipso Christo.

III. Eiusdem est instituere et statutum removere. Sed Ecclesia, quae in successoribus Apostolorum eamdem auctoritatem habet quam Apostoli habuerunt, non posset auferre

[1] S., Quaest. XXIX, art. 3. — [2] Supra, art. 1, n. 5. — [3] L. cit. — [4] VI, 13. — [5] Dell'Istoria del Concilio di Trento, P. II, p. 337. Roma, 1717.

sacramentum extremae unctionis. Ergo hoc sacramentum non est ab Apostolis, sed ab ipso Christo Domino institutum [1].

5. — Ratio theol. — Sacramenta ad fundamentum legis pertinent. Ergo eorum institutio ad nullum alium, nisi legislatorem, pertinet. Atqui Christus Dominus est ipse per se immediatus lator novae Legis. Ergo ad ipsum immediate et per se competit instituere sacramenta. — Accedit quod efficacia sacramentis divinitus inest: solus enim Deus est, qui gratiam potest producere. Atqui sacramenta ex ipsa sua institutione efficaciam derivant. Ergo Christus omnia sacramenta, non exclusa extrema unctione, per seipsum instituit, licet non omnia per se promulgaverit, sed ea tantum quae sunt maioris difficultatis ad credendum, cetera Apostolis promulganda reservans, sicut extremam unctionem et confirmationem [2]. Igitur concludere oportet, cum Catechismo Romano [3]: *Cum demonstratum sit, extremam unctionem vere et proprie in sacramentorum numero habendam esse, illud etiam sequitur, eius institutionem a Christo Domino profectam esse.*

6. — Solvuntur difficultates. — I. De institutione sacramentorum, quae Christus ipse instituit, mentio fit in Evangelio, sicut de Eucharistia et de baptismo. Atqui nulla fit de extrema unctione mentio in Evangelio. Ergo extrema unctio non est a Christo instituta.

Respondet S. Thomas [4], multa a Christo facta et dicta fuisse, quae in Evangelio non continentur, cum de illis praecipue tradendis solliciti fuerint Evangelistae, quae ad necessitatem salutis et ecclesiaticae dispositionis pertinent. Quapropter potius institutionem baptismi, poenitentiae, Eucharistiae et ordinis factam a Christo narraverunt, quam extremae unctionis vel confirmationis, quae neque sunt de necessitate salutis, neque pertinent ad dispositionem vel distinctionem Ecclesiae. — Attamen, advertit idem Ange-

[1] S., Quaest. XXIX, sed contra 1[m] et 2[m]. Cf. tr. n. DE SACRAMENTIS IN COMMUNI, Quaest. LXIV, art. 2, App. I, n. 4, p. 189. — [2] S. Thom., l. cit. — [3] P. II, c. VI, n. 8. — [4] Ibid., ad 1[m].

licus, de olii unctione fit mentio in Evangelio, ubi dicitur quod Apostoli *ungebant oleo* multos aegros et sanabant [1].

II. Sacramentum quod Christus per se instituit, etiam ipse per se exhibuit. Atqui nulli exhibuit sacramentum extremae unctionis. Ergo illud sacramentum non per se instituit.

Resp. Dist. mai.: si illud accepit, *conc.;* secus, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Christus non exhibuit aliquod sacramentum, nisi quod ipse accepit in exemplum, excepto baptismo, quem non accepit, sed, probabiliter quibusdam exhibuit. Accipere autem poenitentiam et extremam unctionem ei non competebat, quia sine peccato erat, et ideo ipse non exhibuit [2]. Igitur, dicendus est Christus omnia quidem sacramenta instituisse; horum autem unum accepit, ut Eucharistiam, et illud quoque exhibuit; baptismum vero non accepit, nec per se exhibuit, sed per discipulos [3], quanquam non est negandum illum quibusdam personis, ut dilectae Matri et Apostolis, exhibuisse.

7. — Sententia S. Bonaventurae. — Iuverit hic ipsa verba referre, quibus Seraphicus Doctor sententiam exponit, quae tenet hoc sacramentum ab Apostolis fuisse institutum. — *Quaedam sunt,* ait ille [4], *sacramenta communia veteris et novae, quaedam* propriissima *legis novae, quaedam* medio modo. — Communia *sunt illa quae sunt quodammodo ex dictamine naturae, quod quia semper idem manet, illa sacramenta ab initio cucurrerunt, ut matrimonium et poenitentia, secundum quod Deo reconciliat; et haec quidem Dominus Iesus consummavit et confirmavit in lege nova, non evacuavit. — Quaedam sunt* propriissima *legis novae, et haec sunt quae significant gratiam in tali statu, quae proprie competit legi norae; haec autem duo sunt: confirmatio et unctio, ubi significatur gratia Spiritus Sancti, secundum quam inungitur quis in* pugilem, *ut pro Christo audeat mori, et in* regem, *ut in regnum caelorum possit introire tanquam in suum. Hoc est novae legis* proprium; *ideo in veteri non habuerunt certam*

[1] Marc., VI, 13. — [2] Ibid., ad 3[m]. — [3] Io., III, 22; IV, 2. — [4] In 4, Dist. XXIII, art. 1, Quaest. II, concl. Ad Claras Aquas, 1889, t. IV, p. 591.

figuram haec duo Sacramenta. Et quia significant Spiritus Sancti gratiam in aliqua abundantia; et Spiritus Sanctus abundanter non fuit datus *quousque* Iesus non fuit glorificatus, *sicut dicitur Ioannis septimo: ideo haec duo Sacramenta a Christo fuerunt* insinuata, *sed post a Spiritu Sancto fuerunt* instituta. — *Quaedam sunt Sacramenta* media, *quae in veteri lege non fuerunt in* veritate, *fuerunt tamen in* figura *et significatione, sicut* baptismum, eucharistia *et* ordo. *Et quia Christus legem implevit et figuras evacuavit, haec tria Sacramenta per se ipsum instituit.* - Attamen, ratio quam pro secundi generis sacramentis adducit Seraphicus Doctor, nihil aliud, ut videtur, demonstrat, nisi quod Apostoli ipsi illud promulgaverint, quod Christus instituerat.

8. — Scholion. — Circa loquendi modum plurium ex antiquis Patribus, sequens criterium est observandum. Si nonnulli interdum unctionem hanc haereticorum adinventis videntur adscribere, hoc est intelligendum non de extrema unctione, qualis in catholica Ecclesia habetur, sed de quadam superstitiosa unctione, ignotis barbarisque vocibus collata, quam illi ad certa quaedam bona consequenda adhibebant.

Cui rei testimonio sint quae de Valentinianis scribit S. Irenaeus [1]: *Sunt alii qui iam iamque ex hac vita excessuros redimant, oleum aquae immixtum in eorum capita iniicientes, una cum iis invocationibus, quas superius commemoravimus. Quod quidem eo faciunt, ut a superioribus principatibus et potestatibus apprehendi et teneri nequeant, atque ut internus eorum homo invisibili modo ulterius ascendat: perinde nimirum ac corpora eorum inter res conditas relinquantur.* Nomina vero ab ipsis adhibita huius erant generis: *Basema, chamassi, mystadia, mada*, etc. — Simili ratione S. Epiphanius [2] et S. Augustinus [3] unctionem adscribunt heracleonitis, et Theodoretus archonticis [4]. Nec de hoc mirandum, cum haereseos mos sit catholicas praxes ac fidei documenta foede deturpare.

[1] L. I, contra Haeres., c. 21, n. 5. — [2] Haeres. XXXVI, n. 2. — [3] L. de Haeres., n. 16. — [4] L. I, Haeret. fabul., n. 11.

QUAESTIO II.

(S., XXIX, 4-9).

DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTI EXTREMAE UNCTIONIS

PROLOGUS.

Ratio et ordo quaestionis. — Acto de sacramento extremae unctionis secundum se, sequitur ut de illius partibus essentialibus agatur, de qua re haec in Catechismo Romano leguntur [1]: *Docebunt parochi quae sint huius sacramenti partes: elementum, inquam, et verbum; haec enim a S. Iacobo* [2] *praetermissa non sunt; in quibus singulis sua mysteria licet animadvertere.* — Quocirca primo hic quaeretur de materia huius sacramenti; secundo, de forma.

Duo igitur hic investiganda erunt.

Primo. Utrum oleum olivae sit conveniens materia sacramenti extremae unctionis.

Secundo. Utrum hoc sacramentum habeat determinatam formam.

Articulus I. — *Utrum oleum olivae sit conveniens materia sacramenti extremae unctionis.*

1. — Ratio articuli. — Duplex solet in quolibet sacramento materia distingui, remota scilicet, quae est res ex Christi ordinatione in sacramento adhibenda, ut, puta, aqua in baptismo, panis et vinum in Eucharistia, et materia proxima, quae est applicatio seu adhibitio huius materiae. Porro, de materia proxima sermo inferius recurret, ut videlicet de

[1] P. II, de extr. unct., n. 7. — [2] V, 14.

unctionibus ex professo agetur [1]; unde hic proprie de remota materia tractabimus. At ulterius huiusmodi materia, quam mox dicemus esse oleum, potest considerari absolute in se, vel prout est benedictioni subiecta: hinc duabus distinctis conclusionibus dicemus, primo, de materia sacramenti extremae unctionis, secundo, de benedictione quae eidem accidere debet.

2. — PROP. I. — Materia conveniens sacramenti extremae unctionis est oleum olivae, cui nihil admiscendum est.

3. — Auctoritates. — Haec veritas expresse traditur in Concilio Florentino, his verbis [2]: *Quintum sacramentum est extrema unctio, cuius materia est oleum olivae per episcopum benedictum.* Pariter, in Codice Iuris legitur [3]: *Extremae unctionis sacramentum conferri debet per sacras unctiones, adhibito oleo olivarum rite benedicto, et per verba in ritualibus libris ab Ecclesia probatis praescripta.* Et rursus [4]: *Oleum olivarum, in sacramento extremae unctionis adhibendum, debet esse ad hoc benedictum ab episcopo, vel a presbytero qui facultatem illud benedicendi a Sede Apostolica obtinuerit.*

4. — Sacra Scriptura. — Idipsum plane eruitur ex verbis S. Iacobi [5], ubi praecipit infirmum ungi *oleo.* Atqui oleum proprie et simpliciter non dicitur quaevis pinguis et crassa natura, sed tantum liquor ille qui ex olearum baccis exprimitur. Ergo oleum olivae, illudque solum, est propria ac conveniens materia sacramenti extremae unctionis. Revera, oleum principaliter nominatur olivae liquor, cum alii liquores solum ex similitudine ad ipsum, nomen olei accipiant; ideoque oleum olivae etiam debet esse, quod assumitur in materia huius sacramenti.

5. — Oleo olivae nihil debet admisceri. — Dicimus autem, huiusmodi oleo nihil debere admisceri, quemadmodum fert Ecclesiae consuetudo iam dudum comprobata, qualis

[1] Quaest. IV, art. 5. — [2] Decret. pro Arm., D.-B, n. 700. — [3] Can. 937. — [4] Can. 945. — [5] V, 14.

tum ex Graecorum Euchologiis [1], tum ex Latinorum libris ritualibus [2] necnon ex veteribus Patribus elucescit. Nimirum, si tanta esset extraneae materiae adiectio, ut nova inde olei natura exsurgeret, profecto invalida redderetur sacramenti administratio; valida vero, etsi graviter illicita, foret, si quis de industria alienam materiam, sed in parva tantum quantitate. oleo olivae commisceret. — Non improbabilis tamen videtur Suarezii coniectura, balsamum interdum admixtum oleo fuisse ad infirmos ungendos [3]: quod tamen hoc pacto factitum censebitnr, quod parva solum alterius liquoris quantitas oleo permisceretur, et quod id ex tacito saltem Ecclesiae consensu perficeretur. Hac quoque ratione explicari possunt quae leguntur in Oratione quae S. Ioanni Damasceno attribuitur, *de iis qui in fide dormierunt* [4]. — Quod si interdum chrismatis vox apud veteres adhibetur, cum de hoc sacramento sermo recurrit, haec accipienda est pro unctione quae ab eis χρίσμα dicitur.

6. — Ratio theol. — Spiritualis sanatio, quae in fine adhibetur, debet esse perfecta, quia post eam alia non relinquitur; debet quoque esse lenis, ut spes, quae exeuntibus est maxime necessaria, non frangatur, sed foveatur. Oleum autem olivae lenitivum est et penetrativum usque ad intima, et etiam diffusivum. Quapropter, quantum ad utrumque praedictorum, oleum olivae est conveniens materia huius sacramenti. — Firmatur vero haec explicatio modo dicendi Sacrae Scripturae, quae utique illam curationem, qualis exhibetur contra peccatum per poenitentiam, per vini appositionem significat, cum vinum sanet mordendo, uti patet parabola de sauciato [5]; at vero sanationem spiritualem, generaliter loquendo, mystice designat per unctionem olei, quod sanat

[1] Goar. *Euchолog.*, pp. 435 et 436. nota 25; Arcud., *de Concordia*, l. V, cap. 1. — [2] Martene, De antiquis Eccl. rit. l. I, p. 2, c. 7, art. 4. — [3] T. IV, in 3 P. S. Thom., Disp, XL. sect. I, n. 10. — [4] Ὥσπερ γὰρ μύρον, ἢ ἕτερον ἅγιον ἔλαιον ὁ περιχρίειν θέλων νοσοῦντα, κ. τ. λ., *sicut qui unguento. aliove sancto oleo aegrotum cupit ungere*, etc. Inter opp. S. Io. Dam., n. 18. Ven., 1748, t. I, p. 591.

liniendo, iuxta illud [1]: *Plaga tumens non est... curata medicamine, neque fota oleo* [2].

7. — Auctoritas Catechismi Romani. — Ad rem Catechismus Romanus [3]: *Aptissime haec materia illud significat, quod vi sacramenti interius in anima efficitur; nam, ut oleum ad mitigandos corporis dolores magnopere proficit, ita sacramenti virtus animae tristitiam ac dolorem minuit. Oleum praeterea sanitatem restituit, hilaritatem affert, et lumini tanquam pabulum praebet; tum vero ad recreandas defatigati corporis vires maxime accommodatum est. Quae omnia quid in aegroto divina virtute per huius sacramenti administrationem efficiatur, declarant.*

8. — Solvuntur difficultates. — I. Oleum olivae non facile ubique invenitur. Ergo non est conveniens materia sacramenti, quod in commune remedium exeuntibus administrandum est.

Resp. Quamvis non ubique crescat oliva, potest tamen de facili oleum olivae ad quemcumque locum transferri. Praeterea hoc sacramentum non est tantae necessitatis, quod exeuntes sine illo non possint salutem consequi [4].

II. Extrema unctio immediate ordinatur ad incorruptionem. Sed incorruptio significatur per balsamum quod in chrismate ponitur. Ergo chrisma esset convenientior materia huius sacramenti.

Resp. Incorruptio gloriae utique est ultimus finis huius sacramenti, sed nec est res in eo contenta, nec res immediate in eo significata, cum potius Eucharistia immediate significet incorruptionem gloriae: unde non oportet quod incorruptionis significatio materiae respondeat, ideoque necesse non est quod balsamum ponatur in materia huius sacramenti. Balsamum quidem, propter odorem, pertinet ad bonitatem famae, qua de cetero non indigent propter se

[1] Luc., X, 34. — [2] Is., I, 6. — [3] P. II, de sacr. extr. unct., n. 10. — [4] S., Quaest. XXIX, art. 4, ad 3m.

exeuntes, sed indigent tantum nitore conscientiae, qui per oleum significatur [1].

9. — **Quaestio.** — Quae cum ita de ipsa huius sacramenti materia in se spectata constiterint, nunc exurgit quaestio non levis circa necessitatem benedictionis olei ad sacramenti validitatem. De qua re, ut refert Suarezius [2], haud parum inter catholicos disputatum est, sentientibus quibusdam benedictionem huiusmodi, minime ex Christi institutione, sed solum ex institutione Ecclesiae, requiri; unde si praetermitteretur, etiam de consilio, valide, etsi illicite, sacramentum utique conficeretur. Contrarium tenent alii, cum praedicto Suarezio [3] et Estio [4], scilicet quoad sacramenti validitatem; quibuscum dicimus

10. — PROP. II. — **Ad validitatem sacramenti extremae unctionis requiritur ut oleum ab episcopo, vel a presbytero de licentia Summi Pontificis benedicatur.**

11. — **Auctoritates.** — Vidimus iam supra [5], tum a Concilio Florentino, tum in Codice Iuris omnino praescribi ut oleum olivarum in hoc sacramento non adhibeatur, nisi benedictum vel ab episcopo, vel a presbytero facultatem ab Apostolica Sede habente. De hac re autem hoc tridentini Patres docuere [6]: *Ex apostolica traditione per manus accepta... intellexit Ecclesia materiam* (extremae unctionis) *esse oleum ab episcopo benedictum.* — Ubi notandum est, hunc dicendi modum obvia significatione importare materiam essentialem.

12. — **Traditio Ecclesiae.** — Quod autem haec revera sit Ecclesiae traditio, evincitur non solum ex citato Innocentii I decreto ad Decentium episcopum [7], sed etiam ex li-

[1] Ibid., ad 1[m]. Cf. tract. n. DE SACRAM. CONFIRM., Quaest. LXII. art. 2, p. 318. — [2] T. IV in 3, P. S. Thom., Disp. XL, sect. I, nn. 3, 4. — [3] L. cit. — [4] In 4, Dist. XXIII, § 9. — [5] N. 3. — [6] Sess. XIV, cap. 1. — [7] Vide supra, Quaest. I, art. 1, n. 10.

bris ritualibus, tumlatinis tum graecis. I dipsum tradit Ven. Beda, scribens [1], *ab ipsis Apostolis hunc sanctae Ecclesiae morem traditum, ut... aegroti ungantur oleo, pontificali benedictione consacrato.* Huc etiam faciunt plura Concilia, inde a saeculo IX, celebrata, ut Cabillonense II [2], Wormatiense [3], etc., in quibus de episcopali benedictione sermo expresse recurrit [4].

13. — Ratio theol. — Huius autem rei triplicem assignat Angelicus rationem [5]. — *Prima* ratio est, quia omnis efficacia sacramentorum a Christo descendit; et ideo sacramenta illa, quibus ipse est usus, habent efficaciam ex ipso usu eius, sicut tactu sacrosanctae eius carnis vim regenerativam contulit aquis. Atqui Christus, hoc sacramento, sicut etiam sacramento confirmationis, non est usus, sicut, generaliter loquendo, nulla corporali unctione usus est, ne videlicet fieret iniuria invisibili unctioni qua est unctus prae consortibus suis [6]; ideoque tam chrisma pro confirmatione, quam oleum ssnctum infirmorum prius benedicuntur, quam ad usum sacramenti adhibeantur [7].

Secunda ratio est propter significationem plenitudinis gratiae quae in hoc sacramento confertur, quae gratia non solum tollit culpam, sed etiam reliquias culpae et infirmitatem corporis, ut inferius exponetur.

Tertia ratio est ex hoc quod effectus corporalis huius sacramenti, qui est sanatio corporalis, non causatur ex naturali proprietate materiae: ideoque oportet quod haec efficacia eidem per sanctificationem detur.

14. — Explicatur. — Ad huius rei intelligentiam considerandum est quod ad materiam huius sacramenti pertinet ut non sit pura causa materialis, seu causa sua virtute operans, ut voluerunt plures ex protestantibus, ponentibus Christum,

[1] Comment. ad C. VI Marc., l. II c. XXIV, t. v. — [2] A. D. 813. Can. XLVIII. Mansi, t. XIV, col. 104. Vide supra, Quaest. I, art. 1, n. 15. — [3] A. D. 868. Can. LXII. Ibid., t. XV. col. 881. — [4] Cf. Rit. Rom., tit. V, C. I, n. 3. — [5] S., Quaest. XXIX, art. 5. — [6] Ps. XLIV, 8. — [7] 3, Quaest. LXII, art. 3.

velut alterum Hippocratem oleo, tanquam medicamento, ad morbos adhibuisse [1], sed ut de causa principali aliquid participet, scilicet per modum instrumenti. Et si quidem oleum esset causa pure materialis, sua scilicet virtute operans, non esset necesse ut aliquam benedictione donaretur, maxime cum Deus uti possit vilissima materia ad effectus excellentiores producendos; sed quia participat aliquid de ratione causae agentis, in quantum est instrumentum divinae operationis, ideo oportet quod a superiori arte vel potestate talis virtus materiae acquiratur per specialem benedictionem ipsi ab episcopo impertitam [2].

15. — **Scholion.** — Ex dictis apparet, duplicem posse, in materia huius sacramenti, sicut in materia confirmationis, sanctificationem distingui: una est materiae secundum se, qualis oleo advenit per consecrationem; altera est materiae, per verba formae, secundum quod actu adhibetur in sacramento, et sic actu confert effectum suum; nec superfluit alterutra sanctificatio, cum etiam instrumenta efficaciam accipiant ab artifice, et dum fiunt, et dum ad actum applicantur [3].

16. — **Oleum vel ab episcopo, vel a presbytero tamen de licentia Summi Pontificis benedici debet.** — Porro, non sola vi praecepti sed etiam ex necessitate sacramenti, omnino requiri ut oleum ab episcopo, vel saltem a presbytero facultate a Summo Pontifice accepta, benedicatur, extra omne dubium asseritur, maxime cum S. Inquisitionis Congregatio, proposito sibi quaesito, *an in casu necessitatis parochus ad validatem sacramenti extremae unctionis uti possit oleo a se benedicto*, responderit *negative* [4]. Antea vero [5] contrariam doctrinam damnaverat uti *temerariam et errori proximam* [6].

Cuius rei rationem eleganter assignat S. Thomas [7], dicens quod quia sacramenta efficaciam accipiunt a Christo, a quo in alios descendit ordinate, scilicet in populum me-

[1] Ita nugantur, potissime cum commentantur Luc., X, 34. — [2] S., Quaest. XXIX, art. 6. ad 2m. — [3] S., Quaest. XXIX, art. 5 ad 1m. — [4] 14 Sep., 1842. — [5] 13 Ian., 1611. — [6] D. - B. nn. 1628, 1629. — [7] S., Quaest. XXIX, art. 6.

diantibus ministris qui sacramenta dispensant, et in ministros inferiores, mediantibus superioribus qui materiam sanctificant; ideo in omnibus sacramentis quae indigent materia sanctificata, prima sanctificatio materiae fit per episcopum, sacerdos vero, si ad illum pertineat tale sacramentum administrare, utitur materia ab episcopo consacrata.

17. — **Scholion.** — Diximus autem, a simplici quoque presbytero, de licentia tamen Summi Pontificis, vel expressa vel tacita, oleum infirmorum posse confici: de qua re ambigendum non est, cum antiquissima, in Ecclesia graeca, non repugnante Romano Pontifice, consuetudo vigeat, ut a presbyteris oleum huiusmodi benedicatur, ut constat ex decreto Clementis VIII *Santissimus Dominus*, necnon ex constitutione Benedicti XIV *Etsi pastoralis* [1]. Hunc vero morem Armeni etiamnum retinent, non secus ac orientales ecclesiae. — Hinc excessisse videntur praedicti Suarezius et Estius, dum contendunt a Romano Pontifice committi non posse simplici presbytero facultatem benedicendi oleum infirmorum, eo quod, ut aiunt, ipsius episcopi benedictio ex Christi institutione requiritur.

18. — **Triplex olei benedictio.** — Ut autem huius benedictionis natura probe intelligatur, recolendum venit triplicem distingui olei benedictionem: prima est simplicis olei, in ordine ad infirmos, et dicitur *oleum infirmorum*, quo oleo etiam Ecclesia utitur ad consecrationem campanarum, at solum pro unctione externa; secunda, simplicis pariter olei in ordine ad catechumenos, ante baptismum in pectore et inter scapulas inungendos, et dicitur *oleum catechumenorum*, quo etiam neosacerdotum manus, reges, etc., consecrantur; tertia, chrismatis, in ordine ad confirmationem, quo etiam recens baptizatus ungitur, et quod adhibetur ad consecrationem calicis, patenae, ciborii, altaris, campanae interius [2], etc. — Quae cum ita, iam proponitur

[1] Cf. eumdem Bened. XIV, De Synodo dioec.; l. VIII. cap. 7, § 4. — [2] Utile simul et iucundum sacrae theologiae studentibus evadet, si officium in feria V in coena Domini, pro benedictione olei infirmorum, olei catechumenorum et sacri chrismatis, attente perlegerint.

19. — Quaestio. — *Utrum necesse sit ut oleum fuerit benedictum praecise in ordine ad extremam unctionem?*

Resp. Probabiliter requiritur consecratio olei in ordine ad sacramentum extremae unctionis, ut patet, tum ex triplici diverso ritu quo Ecclesia utitur, tum maxime quia chrisma, pro confirmatione, propria benedictione deputatur: unde idem inferendum est de oleo infirmorum, adeo ut invalida sit huius sacramenti administratio, alio adhibito oleo. Quae tamen sententia, cum omnino certa non sit, in casu necessitatis, poterit aliud oleum sub conditione adhiberi.

20. — Solvitur difficultas. – Dignior est consecratio materiae in Eucharistia, quam in extrema unctione. Atqui in Eucharistia simplex sacerdos potest materiam consecrare. Ergo et in extrema unctione.

Resp. Sacramentum Eucharistiae consistit in ipsa materiae sanctificatione, non autem in usu, et ideo, proprie loquendo, illud quod est materia sacramenti non est quid consecratum; unde non praeexigitur aliqua sanctificatio circa materiam, per episcopum facienda, sed exigitur sanctificatio altaris et huiusmodi, et etiam ipsius sacerdotis, quae nonnisi per episcopum fieri potest. At extrema unctio consistit in usu, ita quod ipsa materia operetur ad gratiam conferendam; ideoque aliqua sanctificatione indiget, qnae est veluti sacramentale quoddam ordinatum ad sacramentum. Quod autem huiusmodi benedictio ad solum episcopum pertineat, vel quod simplex presbyter illam impertiri nequeat, nisi de Summi Pontificis licentia, hoc ideo est quia illa non pertinet ad corpus Christi verum, in quo respectu nullus ordo est supra sacerdotium, sed pertinet ad corpus Christi mysticum, in quo respectu episcopalis ordo est supra sacerdotalem [1].

21. — Refelluntur haereticorum interpretationes de oleo a S. Iacobo recensito. — Pro huius articuli coronide, praestat recensere et refellere praecipuas haereticorum sententias de oleo cuius S. Iacobus mentionem facit.

[1] S., Quaest. XXIX, art. 6, ad 1um. Cf., quae scripsimus in tr. DE SACR. CONFIRMATIONIS, Dissert. specialis, pp. 382, seq.

Primo, aliqui posuerunt illud intelligi debere oleum naturale, quo cum in oriente et ad meridiem abundet, iubebat Apostolus fideles uti ad remedium corporale. — At, non adverterunt isti S. Iacobum epistolam suam direxisse ad duodecim tribus *quae sunt in dispersione* [1]; dispersio autem, ut explicat S. Petrus [2] frigidas Septentrionis regiones comprehendebat, ut Pontum, ubi desunt oleum et vinum. Deinde, si de oleo, in medicamentum naturaliter adhibendo agebatur, non erat necesse advocare presbyteros Ecclesiae, sed potius medicos vel unguentarios, ut in libro Ecclesiastici innuitur [3], maxime cum in quibusdam morbis, olei usus perniciosus evadat. Denique, eo sensu sumitur hic olei usus, quo apud S. Marcum [4]: atqui hic certe non de curatione naturali erat sermo, secus illae nullo modo inservissent confirmando Evangelio, cum veritas revelata non per opera naturalia, sed supernaturalia, commendetur.

Dixerunt alii, tropum hic a S. Marco adhibitum fuisse, ut sensus sit, debere presbyteros suavibus verbis fidelium dolores lenire. At, primo, lex est debere proprium litteralem sensum semper in Scriptura observari, nisi ubi contradictio aliqua sequatur, quod certe hic non est. Deinde, eodem sensu hic sumi debet vox *oleum*, quo sumitur in citato S. Marci loco, quem omnes fatentur historice debere accipi. Demum tropicus vel metaphoricus sensus, sicut alienus est a sententia Patrum, ita toti contextui refragatur.

22. — Quaestio. — *Quomodo intelligenda sunt verba* [5]: UNGENTES EUM OLEO IN NOMINE DOMINI?

Resp. Alii verba, *in nomine Domini* referunt ad oleum, sic ut hoc consacrari debeat cum invocatione divini nominis. Alii vero ad totum quod praecedit, id est, *orent super eum, ungentes*, etc., quasi illud: *in nomine Domini*, orationem simul et unctionem complectatur. — At probabilior est sententia quae illud refert ad *ungentes*, nempe ad actionem presbyteri infirmum ungentis, quam actionem ille iubetur in nomine, id est, vice et virtute Christi peragere.

[1] I, 1. — [2] 1 Petr., I, 1. — [3] *In his curans mitigabit dolorem, et unguentarius faciet pigmenta suavitatis, et unctiones conficiet sanitatis.* XXXVIII, 7. — [4] VI, 13. — [5] Iac., V, 14.

Articulus II. — *Utrum hoc sacramentum habeat determinatam formam.*

1. — Forma sacramenti extremae unctionis. — Iuxta praescriptum Ritualis romani, sacerdos, intincto pollice in oleo sancto, in modum crucis ungere debet infirmum, in oculis, auribus, nasibus, ore, manibus, pedibus et renibus [1], aptando verba formae proprio loco, in hunc modum, videlicet: *Per istam sanctam unctionem* ✠, *et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per visum* (per auditum, et sic de aliis) *deliquisti. Amen* [2], advertendo quod, cum ungit partes corporis quae pares sunt, ut oculos, aures, etc., non absolvat formam, antequam ambas perunxerit. — Ecclesia autem graeca hac formula utitur: *Pater sancte, animarum et corporum medice,... sana servum tuum N. a detinente illum corporis infirmitate* [3].

2. — PROP. — **Sacramentum extremae unctionis habet convenientem formam determinatam.**

3. — Prob. — Omne sacramentum novae Legis consistit in rebus et verbis. Verba autem sunt forma sacramenti. Ergo sacramentum unctionis determinatam formam habet.

4. — Explicatur. — Ad huius rei evidentiam, sciendum est quod, cum omne sacramentum efficiat significando, dicere quod nulla forma est de necessitate huius sacramenti, est derogare effectui illius: de ratione enim formae est determinare materiam ad specialem effectum proprium uniuscuiusque sacramenti; unde cum omnia sacramenta efficiant quod figurant, oportet in omnibus sacramentis esse determinata verba [4].

[1] Vide supra, Quaest. I, art. 3, n. 7. — [2] Rit. Rom., tit. V, c. 1. — [3] Cf. Edm. Martène, de antiquis Eccl. ritibus, l. I, art. 4, opp. Rotomagi, 1700, t. II, pp. 248. — [4] S., Quaest. XXIX, art. 7.

5. — Solvuntur difficultates. — I. In omnibus sacramentis id solum attendendum est, quod Christus instituit. Atqui non legitur Christum aut Apostolos tradidisse formam extremae unctionis. Ergo extrema unctio non habet determinatam formam verborum.

Resp. Sacra Scriptura omnibus communiter proponitur; et ideo forma baptismi, qui ab omnibus dari potest, debet in Sacra Scriptura exprimi, et similiter forma Eucharistiae, quae exprimit sacramenti illius fidem, quae est de necessitate salutis. Sed formae aliorum sacramentorum non inveniuntur in Sacra Scriptura traditae, sed eas habet Ecclesia ex traditione Apostolorum, qui a Domino eas acceperunt, ut dicit Apostolus [1]: *Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis*, etc. [2].

II. In baptismo non requiritur forma, nisi ad sanctificationem materiae. Atqui extrema unctio habet materiam prius sanctificatam. Ergo non indiget aliqua forma verborum.

Resp. Sicut dictum est supra [3], differentia est inter hoc sacramentum et baptismum, quod materia baptismi habet quamdam sanctificationem per se ex ipso tactu carnis Salvatoris, unde non indiget praevia sanctificatione, sed ex forma verborum accipit sanctificationem actu sanctificantem. At oleum in extrema unctione praeexigit aliquam sanctificationem materiae, post quam sequitur secunda sanctificatio in ipso usu, per quam materia illa actu sanctificet [4].

6. — Forma huius sacramenti est oratio deprecativa. — Sciendum est autem formam huius sacramenti, ex diuturna praxi Ecclesiae, tum latinae, tum graecae, immo ex apostolica traditione, ut ait Concilium Tridentinum [5], debere esse deprecativam, quod sat evidenter indicari videtur ex S. Iacobo [6]: (Presbyteri Ecclesiae) *orent super eum,... et oratio fidei salvabit infirmum.* His quippe verbis subindicat Apostolus, presbytero certis ac determinatis verbis esse utendum, quae formam sacramenti appellamus. Enimvero, non

[1] 1 Cor., XI, 23. — [2] S. Thom., ibid., ad 1m. — [3] Art. praeced., n. 15. — [4] Ibid., ad 3. — [5] Sess. XIV, cap. 1. — [6] V, 14.

dicit, *pro eo*. sed *super eum*, significationem videlicet ingerens ritus cuiusdam caerimonialis.

7. — Cur forma extremae unctionis debeat esse deprecativa. — Triplex autem reddi potest ratio, cur forma huius sacramenti deprecativa esse debeat. — *Primo*, quia suscipiens hoc sacramentum est viribus propriis destitutus, unde indiget orationibus sublevari. — *Secundo*, quia datur exeuntibus, qui iam desinunt esse de foro Ecclesiae, et in solius Dei manu requiescunt, unde et ei per orationem committuntur. — *Tertio*, quia cum in aliis sacramentis effectus aliquis ex operatione ministri semper consequatur, puta character in baptismo et confirmatione, et transubstantiatio in Eucharistia, etc., in hoc sacramento est effectus qui non semper sequitur, scilicet ut aegri a morbis convalescant, cum tamen hoc sacramentum propterea adhibeatur, ut praeter spiritualem gratiam, tribuat etiam aegrotis sanitatem; unde Deum deprecamur, ut ab eius benignitate id impetremus, quod vi sacramenti non solet constanter obtineri [1].

8. — Quaestio. — *Utrum oratio deprecativa sit de necessitate sacramenti extremae unctionis?*

Resp. Plures quidem sunt theologi, quibus visum est deprecativam orationem ita esse de necessitate extremae unctionis, ut illa deficiente, sacramentum invalidum remaneat: quorum potissima ratio desumpta videtur tum ex verbis S. Iacobi: *orent super* (infirmum), tum ex auctoritate S. Thomae [2].

At nobis satius videtur formam deprecativam ad essentiam huius sacramenti, secundum quod respicit effectum spiritualem, minime pertinere, sed tantum secundum quod respicit effectum corporalem. — Imprimis enim plures sunt, iique antiquissimi Ordines, in quibus non alia forma exhibetur, quam indicativa: sic, verbi gratia, in sacramentario

[1] S., Quaest. XXIX, art. 8. Cf. Catech. Rom., P. II, c. VI de Extr. Unct., n. 14. — [2] Loco cit. Hanc sententiam tuetur, ex recentioribus, Ill.mo Dom. Al. Ad. Pâquet, de Extr. Unct., Quaest. I, art. III.

Gregoriano haec forma recurrit [1]: *Ungo te de oleo sancto*, etc. pariter, aetate S. Bonaventurae, Ambrosiana forma ita se habebat: *Ungo te oleo sanctificato, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ut more militis uncti, praeparatus ad certamen, aëreas possis superare potestates* [2].

9. — **Explicatur.** — Sane, haec est, in re sacramentaria, universalis lex, sacramenta id efficere quod significant, per formam autem indicativam potissime exprimi certum ac determinatum effectum: unde, etiam in hoc sacramento, indicativa forma esset praeferenda, nisi obstarent verba S. Iacobi, et incertitudo effectus sanitatis corporalis restituendae, ad quam praecise obtinendam, ut diximus, deprecativa forma adhibetur. At nec aliud, in verbis S. Iacobi, deprehendere licet, citra praeceptum, et quidem in ordine ad sanitatis certiorem restitutionem; adeo tamen ut illius praecepti transgressio, sive ex bona, sive etiam ex mala fide eveniat, minime censenda sit evacuare effectum ipsius sacramenti, maxime quod respicit ad roborantis gratiae collationem, qua infirmus fidem invicte servare et diaboli tentationes fortiter superare valeat. Nec enim absolute necesse est, ut oratio fundatur, ad effectum sanitatis corporalis obtinendum, cum etiam aliunde, fusa oratione, effectus ille non semper obtineatur; sed nec necesse est ut omnes effectus per formam significentur, cum nec in forma, qua Ecclesia romana utitur, mentio fiat illius roboris quod per hoc sacramentum confertur ad insidias diaboli superandas.

10. — **Solvitur tacita obiectio.** — *Obiicienti* in contrarium S. Thomae auctoritatem [3], — *responderi* potest, imprimis illum non absolute asserere indicativum modum esse de essentia huius sacramenti, sed potius exponere quaenam debeat forma ex praescripto Ecclesiae adhiberi, et quaenam rationes id suadeant; nec etiam obstat quod subiufert [4]: *Verba illa in-*

[1] Opp. S. Gregor. Magni, t. III, p. 236: cf. ibid., n. 912, ed. Maurin. — [2] Cf. S. Bonav., in 4, Dist. XXV, Quaest. IV. Cf. etiam Benedict. XIV, de Synodo dioeces., l. VIII, cap. 2; Martène, *de antiquis Ecclesiae ritibus*, lib. I, P. 2, cap. 7, art. 4. — [3] S., Quaest. XXIX, art. 8. — [4] Ad 3[m].

dicativi modi, quae secundum morem quorumdam praemittuntur orationi, non sunt forma huius sacramenti, sed sunt dispositio ad formam, in quantum intentio ministri determinatur ad actum illum per illa verba: nimirum, videtur praetermittere Angelicus factum de ipsa forma indicativo modo absolute prolata, illudque conatur explicare supponendo formam quoque deprecativam adhiberi, quaestionem relinquens intactam, utrum et quo pacto detur forma simpliciter indicativa.

11. — Convenientia verborum formae. — Sciendum est autem verba formae, in sacramento extremae unctionis, etsi non omnia absolute necessaria, convenientissima tamen esse, ut patet percurrendo per singula. Et primo quidem ipsum sacramentum, quod est sacrum signum, tangitur in hoc quod dicitur: *Per istam sanctam unctionem;* tum causa operans in sacramento, et quidem sub eo benevolo respectu, quo subvenit existentibus in statu miseriae, aut infirmitatis, in eo quod additur: *Per suam piissimam misericordiam;* rursus exprimitur effectus principaliter intentus, qui semper inducitur in sacramento, nisi sit defectus ex parte recipientis, nempe: *Indulgeat tibi quidquid... deliquisti* [1]; denique subiectum designatur: *Tibi... per visum,* etc.

12. — Non omnia verba sunt essentialia. — At, licet cuncta verba formae accurate sint adhibenda, non omnia tamen aeque essentialia sunt: enimvero, nec verbum *sanctam,* cuius deest in Conciliis Florentino et Tridentino mentio, nec verba, *et suam piissimam misericordiam,* quae in verbo *indulgeat* implicite continentur, de necessitate sacramenti requiruntur, sicut nec pronomen *tibi,* quod satis designatur per verbum *deliquisti;* sed nec de absoluta necessitate sunt tum haec alia verba, *per visum, per auditum,* etc., quae in formam Graecorum deesse reperiuntur, tum id quo forma clauditur, scilicet *amen.* — Igitur, ex communiori Doctorum sententia retineri potest, tanquam essentialia requiri atque sufficere haec vel aequipollentia verba: *Per istam*

[1] S., Quaest. XXIX, art. 9.

unctionem indulgeat Dominus quidquid deliquisti: enimvero ad haec quoque facile possunt reduci verba in Graecorum forma contenta, quibus non fit essentialis formae mutatio.

Quae cum ita sint, S. Congregatio S. Officii sequentem approbavit formam, in casu necessitatis adhibendam [1]: *Per istam sanctam unctionem, indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen.*

13. — Cur in hoc sacramento tot preces adhibeantur. — Ad huius doctrinae coronidem, notasse iuvabit maximam ritus partem, in huius sacramenti administratione, precationibus consistere, eo quod illo potissimum tempore fideles piis obsecrationibus sunt adiuvandi. *Quare*, ait Catechismus Romanus [2], *et alii omnes, quos tum adesse contigerit, et praecipue parochi, debent orare Deum ex animo, et eius misericordiae laborantis vitam et salutem omni studio commendare.*

[1] Decret. 26 April., 1906. — [2] P. II, c. VI, de Extr. unct., n. 7.

QUAESTIO III.

(S., XXX).

DE EFFECTIBUS SACRAMENTI EXTREMAE UNCTIONIS.

PROLOGUS.

1. — Ratio quaestionis. — Post considerationem eorum quibus sacramentum extremae unctionis in sua essentia constituitur, progredi necesse est ad illas utilitates explicandas, quas ex eo christifideles capiunt; ut si nihil aliud eos ad eius sacramenti usum possit allicere, ipsa saltem utilitate ducantur; *cum ita comparatum sit*, ait Catechismus Romanus [1], *ut omnia fere nostris commodis metiamur.*

Hos autem effectus ita generali ratione recenset Concilium Tridentinum [2]: *Res et effectus huius sacramenti illis verbis explicatur:* ET ORATIO FIDEI SALVABIT INFIRMUM; ET ALLEVIABIT EUM DOMINUS; ET SI IN PECCATIS SIT, DIMITTENTUR EI. — *Res enim haec gratia est Spiritus Sancti, cuius unctio delicta, si qua sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, et aegroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinae misericordiae fiduciam excitando: qua infirmus sublevatus, et morbi incommoda ac labores levius fert, et tentationibus daemonis calcaneo insidiantis facilius resistit; et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur.* — Quae cum ita generaliter constiterint, praesentis tractationis intentio est, singulos effectus atque formalem eorum rationem distincta et accurata methodo perpendere.

[1] P. II, c. VI, de Extr. Unct., n. 14. — [2] Sess. XIV, cap. 2.

2. — Gratia sacramentalis. — Porro effectus extremae unctionis, quicumque demum illi recenseantur, ex una communi radice gratiae prodeunt, quae tantae virtutis est, ut hominem undequaque possit perficere.

Cum enim Deus benedictus hominis saluti abundantissime providere decreverit, ipsi non solum contulit gratiam sanctificantem, qua illius anima sibi grata redderetur et consors divinae naturae fieret [1], sed illum etiam magno virtutum et donorum cumulo insignitum voluit, tanquam perfectionibus ordinatis ad proprios actus diversarum potentiarum animae. At, praeter huiusmodi perfectiones, ad generalem ordinationem actuum animae ordinatas, voluit etiam ut, sacramentorum virtute, specialia auxilia, ad vitam, in suis multiplicibus adspectibus, christiane traducendam, necessaria ipsi obvenirent, extensiva gratiae communiter dictae, ad proprios effectus sacramentorum assequendos: quae quidem auxilia sub nomine gratiae sacramentalis vocitantur, quae unum idemque est cum gratia sanctificante, et solum in hoc ab ea distinguitur, quod speciales connotat effectus, sive ad bonum faciendum, sive ad malum vitandum. Huiusmodi autem effectus, pro singulis sacramentis, plures esse possunt, licet omnes ad unum principalem effectum ordinentur [2].

Quae cum ita sint, proprius praesentis disquisitionis scopus respicit diversos effectus quos extrema unctio nata est parere in anima illam devote recipientis.

3. — Ordo quaestionis. — Igitur, de hisce effectibus inquirendum nunc erit, primo, in seipsis (1-4), et secundo, attento modo quo producuntur, scilicet, utrum ex opere operato (5). In seipsis autem considerati, effectus isti alii fluunt ex sacramento directe (1-3), alius vero indirecte, qui est remissio peccati (4); effectuum vero directe fluentium alius sequitur absolute, qui est confortatio moribundi (1), alius vero conditionate, scilicet sanitas corporalis, consideranda tum in seipsa (2), tum in ratione formali, qua ponitur effectus huius sacramenti (3).

[1] 2 Petr., I, 4. — [2] Cf. tr. n. DE SACRAM. IN COMMUNI, Quaest. LXII, art. 2, n. 3, p. 94; item, tr. n. DE GRATIA, Quaest. CXI, art. 3, n. 7, p. 155.



Quocirca quinque in hac quaestione investiganda proponuntur.

Primo. Utrum confortatio moribundi sit effectus sacramenti extremae unctionis.

Secundo. Utrum sanitas corporalis sit effectus huius sacramenti.

Tertio. Utrum restitutio sanitatis corporalis habeat rationem miraculi.

Quarto. Utrum extrema unctio valeat ad remissionem peccatorum.

Quinto. Utrum extrema unctio producat effectum ex opere operato.

Articulus I. — *Utrum confortatio moribundi sit effectus sacramenti extremae unctionis.*

1. — Ratio articuli. — Militiam esse hominis vitam super terram, sacrae Paginae clare testantur [1], quae quidem militia provenit nobis ex parte diaboli, mundi et carnis. In

[1] Iob., VII, 1.

hac vero quotidiana pugna ratio sistitur luctuosae illius hominis lapsi conditionis, ob quam, ait Concilium Tridentinum [1], tota christiana vita *perpetua poenitentia esse debet.* At vero, potissime in mortis articulo persentit homo asperae pugnae dolorem, cum iam fractus viribus ac telis veteris inimici magis expositus, in magno sistitur periculo aeternae mortis incurrendae. Praeterea, cum in cogitationem anteactae vitae devenit, ac sibi iam imminens percipit divinum iudicium, pronum est ut, ni supernaturali virtute roboretur, in tetram labatur desperationem et sic in perditionem aeternam miserabiliter ruat. Quocirca, speciali tunc indiget confortatione, de qua hic quaeritur, quo pacto ex sacramento extremae unctionis sequitur. — Pro quo sit

2. — Confortatio moribundi est principalis effectus sacramenti extremae unctionis.

3. — Auctoritas. — Extrema unctio, ait Concilium Tridentinum [2], *aegroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo misericordiae fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus, et morbi incommoda ac labores levius fert, et tentationibus daemonis calcaneo insidiantis facilius resistit.*

4. — Exponitur. — Ut intelligatur quomodo extrema unctio hominem in ultimo agone confortet, considerandum est, hinc quidem Deum nobis in necessitatibus nunquam deesse, illinc vero aegroto opus esse auxilio et consolatione ad illum in finali ac decisivo praelio fortificandum, ut nec tentationibus ab hoste salutis provenientibus, nec internae animi deiectioni cedat, sed in Dei fiducia, sine qua salus haberi nequit, constanter permaneat. Et bene hoc significatur per oleum, quod simul significat laetitiam, lucem et fortitudinem: unde infirmus hoc sacramento rite munitus, laetanter exspectat occursum Domini, et fide ac spe erectus, incursus inimici viriliter sustinet.

5. — Relatio huius sacramenti ad confirmationem. — Quae ita cum constiterint, iam rite infertur extremam un-

[1] Sess. XIV, Doctrina de sacr. extr. unct. — [2] Ibid., c. 2.

ctionem haberi posse tanquam complementum confirmationis: sicut enim hoc sacramentum corroborat hominem ad praelium in hac vita fortiter sustinendum, ita extrema unctio illum in exitu ab hoc mundo singulariter fortificat. Attamen, per hanc ultimam consecrationem, non acquirit homo novum statum aut officium in corpore Christi mystico; sed gratiam acquirit qua, in tempore specialis necessitatis et indigentiae, in gradu suo stet, et impedimenta vincat, quibus a consecutione finis sui posset impediri.

Quapropter, gratia haec, sicut solis in periculo mortis positis confertur, ita in homine iusto usque ad vitae exitum perdurat.

6. — Quaestio. — *Utrum qui nunquam post baptismum peccasset, hoc sacramentum posset percipere?*

Resp. Affirmative, ut etiam eruitur ex responsione S. Congregationis de Propaganda fide [1], nempe adulto, periculose decumbenti immediate post baptismum, extremae unctionis sacramentum posse conferri. Etenim, cum primarius et principalis finis huius sacramenti sit confortatio hominis in exitu vitae, hinc suo effectu non privatur, si peccata delenda non inveniat: qua etiam de causa docuimus [2], vel ipsam gloriosissimam Deiparam recipere potuisse extremam unctionem, nisi quod, ob speciale mortis genus, quo Dei beneficio donata est, rem sacramenti, sine sacramento. consecuta est.

7. — Doctrina Catechismi Romani. — Opportunum autem hic erit ipsamet Catechismi Romani verba referre, quibus doctrina haec pulcre illustratur. Ubi cum dictum fuisset, per sacramentum extremae unctionis, animam a languore et infirmitate, quam ex peccatis contraxit, et a ceteris omnibus peccati reliquiis liberati, de qua re inferius loquemur [3], mox additur [4]: *Tempus autem huic curationi opportunissimum existimandum est, cum gravi morbo afflictamur ac vitae periculum impendet. Etenim homini natura insitum est, ut nihil in rebus humanis aeque ac mortem pertimescat. Auget autem magnopere*

[1] 26 Sept. 1821. — [2] In tr. de B.ma Virg. Maria, Mater Dei, P. II. c. I, art. V, n. 10, pag. 242. — [3] Art. 4. — [4] P. II, c. VI, de Sacr. Extr. Unct., nn. 14, 15.

hunc timorem praeteritorum scelerum memoria, cum praesertim gravissima conscientiae nostrae accusatio nos urgeat. Ut enim scriptum est [1], VENIENT IN COGITATIONE PECCATORUM SUORUM TIMIDI, ET TRADUCENT ILLOS EX ADVERSO INIQUITATES IPSORUM. *Deinde illa cura et cogitatio vehementer angit, quod paulo post* [2] *stare oporteat ante tribunal Dei, a quo de nobis iustissima pro eo ac meriti fuerimus, sententia ferenda sit. Saepe autem evenit, ut fideles hoc terrore perculsi, se miris modis exagitari sentiant. Nihil autem ad mortis tranquillitatem magis conducit, quam si tristitiam abiiciamus et laeto animo Domini adventum expectemus* [3], *paratique simus depositum nostrum, quandocumque illud a nobis repetere voluerit, libenter reddere* [4]. *Ut igitur hac sollicitudine fidelium mentes liberentur, animusque pio et sancto gaudio repleatur, extremae unctionis sacramentum efficit.*

Praeterea aliud etiam, quod merito omnium maximum videri potest, ex eo consequimur. Nam etsi humani generis hostis, quoad vivimus, nunquam desinit de interitu et exitio nostro cogitare [5]; *nullo tamen tempore, ut nos omnino perdat ac, si fieri possit, spem nobis divinae misericordiae eripiat, vehementius omnes nervos contendit, quam cum supremum vitae diem appropinquare animadverterit. Quamobrem fidelibus arma et vires hoc sacramento subministrantur, quibus adversarii vim et impetum frangere, et illi fortiter repugnare possint. Allevatur enim et erigitur aegri animus divinae bonitatis spe; eaque confirmatus morbi incommoda omnia fert levius, ac ipsius daemonis calcaneo insidiantis artificium et calliditatem facilius eludit* [6].

8. — **Scholion.** — Porro, hic effectus, scilicet animi erectio et confirmatio contra morbi incommoda atque insidias diaboli, insinuatus videtur in ipsis S. Iacobi verbis: *Et alleviabit eum Dominus*, quod in graeco significat animi erectionem atque confortationem. Enimvero, animus a languore et infirmitate, quae ex peccato sequuntur, per hoc sacramentum sanatus, maiori divinae bonitatis fiducia erigitur,

[1] Sap., V, 20. — [2] Rom., XIV, 10, et 2, Cor., V, 10. — [3] Tit., II, 13. — [4] 2 Tim., I, 12. — [5] 1 Petr., V, 8. — [6] Gen., III, 15.

qua morbi incommoda facilius tolerare, diaboli versutias atque carnis titillationes vincere valeat; unde et tranquillius mortem exspectat. ac paratum sese exhibet ad supremi iudicis faciem sustinendam.

Hos autem insignes effectus breviter complexus est sequenti disticho haud ignobilis poeta:

Ungor in extremis, ut fiat gratia maior,
Et morbus levior et mea culpa minor.

Articulus II. — *Utrum sanitas corporalis sit effectus huius sacramenti.*

1. — Ratio articuli. — Acto de primario ac principali effectu per se sacramenti extremae unctionis, qui est confortare hominem in extremo agone, sequitur ut de altero effectu per se, agamus, qui est restitutio corporalis sanitatis qui tamen effectus infallibilis non est, sed omnino dependet a principali, id est a sanitate spirituali; secundum ordinem divinae providentiae. — Ubi signanter solvi debebit momentosa quaestio, quomodo differant huiusmodi sanationes sacramentales a sanationibus miraculosis: de qua re in articulo quarto tractabitur.

2. — Novatorum errores. — In hac autem re, sicut in ceteris quae ad sacramentorum naturam et effectus pertinent, inveniuntur novatores dogma catholicum pessumdedisse, cum sanitatis corporalis restitutionem, quae huic sacramento rite tribuitur, aliud non fuisse posuerint, quam charisma illud, quod sub nomine *gratiae curationum* recenset Apostolus [1], et quod significavit S. Marcus loquens de aegrotis olei unctione sanatis [2]. Cum vero donum istud iamdudum desierit esse in Ecclesia, hinc huic sacramento aut ritui locus amplius non est, saltem ex qua parte aptum dicitur ad sanitatem corporalem restituendam. Ita Calvinus, quem sectariorum multi secuti sunt. — Contra quos, sit

[1] 1 Cor., XII, 9. — [2] VI, 13.

3. — PROP. — Extrema unctio potest etiam, secundario, sanitatem corporalem restituere, si nempe hoc expediat animae.

4. — Auctoritates. — Propositio haec de fide dicenda est, cum expresse legatur in Concilio Florentino [1]: *Effectus* (extremae unctionis) *est mentis sanatio et, in quantum autem expedit, ipsius etiam corporis.* Clarius autem adhuc in Concilio Tridentino [2]: *Si quis dixerit sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos. sed iam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum. A. S.* Praestat vero veritatem hanc ex ipso sacro Textu relegere.

5. — Sensus verborum S. Iacobi. — Enimvero, S. Iacobi verba hunc sensum habent: *Oratio fidei*, id est a fide profecta et fidei subnixa, fidei, inquam, Ecclesiae, *salvabit*, σώσει, id est salvum corporaliter reddet *infirmum*, τὸν κάμνοντα, scilicet laborantem et morbo deficientem et quasi succumbentem. Cum igitur de infirmitate corporali hic agatur, dicebat enim: *Infirmatur quis in vobis?* consequens est ut verbum illud etiam de salute corporali intelligatur, quae tamen sit saluti spirituali subserviens, cum nunquam corpus Deus sanet, nisi in ordine ad animam. Quocirca effectus salutis corporalis nec est principalis, nec absolutus; sed est secundarius, et dependens a salute animae; unde Tridentinum addit: *Ubi saluti animae expedierit.*

6. — Scholion. — Scite autem advertit Estius [3], sub sanatione corporali, comprehendi etiam quamlibet vel modicam morbi relevationem, tanquam motum ad sanitatem. Quocirca, ait ille, etsi rarius contingit, hominem periculose aegrotantem, sacra hac unctione adhibita, perfectae sanitati restitui; haud raro tamen evenit ut levamen aliquod percipiat, ad morbum fortiter et cum fructu sustinendum, sublatis torpore, moerore et anxietate, quibus morti vicini obrui solent: hoc quippe significant verba: *Et alleviabit*, ἐγερεῖ, *eum Dominus.*

[1] Decr. pro Arm., D.-B., n. 700. — [2] Sess., XIV, can. 2 — [3] Comment. in c. V Ep. S. Iac., V, 15.

7. — Solvitur tacita difficultas. — *Obiicienti*, sanitatem corporalem, vel totalem, vel partialem, obtineri virtute orationis, non unctionis, ideoque illam non esse effectum, etsi secundarium illius sacramenti, — *respondetur*, utique in virtute quoque orationis sanitatem illam revera sequi, at non solius, verum cum unctione, cuius illa est forma, coniunctae, cum sacramenta producant effectus suos in virtute tum formae, tum materiae, prout unum quid efficiunt, et quidem, primo formae et secundo materiae; unde, si solum virtute orationis praedicta sanitas obtineretur, non esset unde discrimen hic haberetur inter hunc ritum et operationem curationum invocato Christi nomine obtentam: quod tamen discrimen habendum esse, demonstrat ipsa praescriptio de oleo adhibendo pro hoc sacramento.

8. — Refellitur Calvini positio. — Ad id vero quod opponebat Calvinus, agere S. Iacobum de charismate quod gratia curationum appellatur, sequentia observari debent. — *Primo*. hic, una cum effectu corporali, etiam effectus spirituales recensentur, ad quos certe charisma illud non se extendebat. *Secundo*, curationum gratia numeratur inter illas gratias gratis datas, quas operatur Spiritus, dividens singulis prout vult; hic autem soli presbyteri ad hoc opus deputantur. *Tertio*, cum Dominus iam generaliter in se credentibus promisisset [1]: *Super aegros manus imponent, et bene habebunt*, non erat cur S. Iacobus id ad unctionem olei restringeret. *Demum*, cetera quae in hac epistola tradit S. Iacobus omnia tempora complectuntur: ergo non erat cur hoc ad spatium vix unius saeculi foret restringendum. Quocirca merito Calvini hac de re commentarium damnavit Concilium Tridentinum [2].

9. — Suadetur prop. – Potest autem enunciatae veritatis aliquod indicium deprehendi in eo quod apud S. Marcum legitur [3], scilicet de eorum sanatione qui per Apostolos oleo fuerant inuncti: cum operatio Ecclesiae maiorem habeat efficaciam post Christi passionem quam antea [4].

[1] Marc., XV, 18. — [2] Sess. XIV, can. 2. Cf. supra, art. 1, n. 5. — [3] VI, 13. — [4] S., Quaest. XXX, art. 2, sed contra 1,

10. — Ratio theol. — Huius veritatis rationem Angelicus reddit ex comparatione sacramenti extremae unctionis cum baptismo, quocum partim convenit, partim vero differt. Nimirum, sicut baptismus, per ablutionem corporalem, facit spiritualem emundationem a maculis spiritualibus, ita hoc sacramentum, per medicationem sacramentalem exteriorem, facit sanationem interiorem; et sicut ablutio baptismi habet effectum corporalis ablutionis, ita extrema unctio habet effectum corporalis medicationis, scilicet corporalem sanationem. — Sed haec est differentia, quod corporalis ablutio, ex ipsa naturali proprietate elementi, facit corporalem mundationem, et ideo semper eam facit; sed extrema unctio non facit corporalem sanationem ex proprietate naturali materiae, sed ex virtute divina quae rationaliter operatur. Et quia ratio operans nunquam inducit secundarium effectum, nisi secundum quod expedit ad principalem, ideo ex hoc sacramento non semper sequitur corporalis sanatio, sed quando expedit ad spiritualem sanationem: et tunc semper eam inducit, dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis [1].

11. — Scholion. — Quale vero sit huiusmodi impedimentum, discimus ex Catechismo Romano [2]: *Quod si aegroti, eo tempore* (corporis sanitatem) *minus consequuntur, id quidem non sacramenti vitio, sed ob eam potius causam evenire credendum est, quod eorum magna pars, vel qui sacro oleo perunguntur, vel a quibus administratur, fides infirmior est. Testatur enim evangelista, Dominum apud suos multas virtutes non fecisse, propter incredulitatem illorum* [3]. *Quanquam etiam recte dici potest, christianam religionem, ex quo altius tanquam radices egit in animis hominum, minus iam huiusmodi miraculorum adminiculis indigere, quam olim nascentis Ecclesiae initio necessaria esse viderentur.*

12. — Quaestio I. — *Cur S. Iacobus, inter effectus extremae unctionis, primo loco recenset corporis sanitatem?*

Resp. Hoc non facit Apostolus, ut insinuet corporis sa-

[1] S., Quaest. XXX, art. 2. — [2] P. II, c. VI de sacr. extr. unct., n. 16. — [3] Matth., XIII, 58; Marc., VI, 7. Cf. S. Gregor. Magn., Homil. XXIX in Evangel.

nitatem esse primarium effectum huius sacramenti; sed quia per eum, utpote sub sensus cadentem, proindeque magis notum, orationis series congrue incipitur. Insolens quippe non est in Scripturis potiores effectus postremo loco recenseri: sic quippe apud S. Matthaeum legitur [1]: *Centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit.* Praeterea, congruum erat ut commemorata corporis infirmitate, corporis sanatio continuo describeretur [2].

13. — **Quaestio II.** — *Utrum effectus sanationis corporalis, qui huic sacramento tribuitur, resultet ex alleviatione spirituali ab hoc sacramento producto?*

Resp. Ita quidem censet E.mus Card. Billot, dum scribit [3]: *Nec forsitan incongrue diceret quis, effectum hunc* (sanationis corporalis) *dependere ab ipsa alleviatione spirituali quae est effectus primarius et omnino proprius unctionis infirmorum. Bonus enim status spiritus noscitur quam maxime iuvare naturam et artem ad instaurationem valetudinis, convenienter disponendo potentias tam sensitivam quam vegetativas.*

At, dicendum, corporalem sanationem haberi debere tanquam effectum distinctum ab alleviatione, seu confortatione spirituali, quae de se semper sequitur sacramentum, et quae tum in textu S. Iacobi, tum in definitionibus Ecclesiae ab hac tanquam formaliter distincta exhibetur. Aliunde, etsi confortatio spiritualis interdum conducat ad sanitatem corporalem, de se tamen impar est illi procurandae.

ARTICULUS III. – *Utrum restitutio sanitatis corporalis, per sacramentum extremae unctionis, habeat rationem miraculi.*

1. — **Ratio praesentis dubii.** — Cum iam compertum sit extremae unctioni, pro effectu, utique secundario et dependenter a divina dispositione circa salutem animae, competere sanitatis corporalis restitutionem, difficultas haud levis

[1] XIX, 29. — [2] Cf. Card. Bellarm., l. de extr. unct., cap. 16. — [3] De Extr. Unct. Thes., XXV, p. 256.

oritur, quo pacto, quave ratione talis effectus ab hoc sacramento producatur: utrum videlicet miraculose, an citra veri nominis miraculum.

Et primo quidem, cum iste effectus praeter naturae leges eveniat, hinc prima facie dicendus videretur veri nominis miraculum; at vero, dato quod sit miraculum, cum speciales preces saepe ad aliquem Sanctum hac praecisa intentione fundantur, ut, dato huiusmodi signo supernaturali, appareat sanctitas servi Dei qui sic invocatur, non bene discerni valet utrum, in talibus casibus, obtenta sanatio sit sacramento vel precibus servi Dei attribuenda. Crescit autem difficultas ex eo quod Ecclesia, ex huiusmodi sanationibus, argumentum desumere solet ad pronunciandum iudicium de sanctitate servorum Dei, quorum processus beatificationis et canonizationis apud sua tribunalia tractantur Si ergo praefatae extraordinariae sanationes haberi possint tanquam causatae virtute sacramento extremae unctionis indita, non apparet quonam criterio discernendae sint sanationes tribuendae intercessioni praeinvocatorum servorum Dei a sanationibus efficacia sacramenti extremae unctionis obtentis. En igitur quo tendit praesens investigatio: ut videlicet dubium resolvatur utrum sanationes virtute sacramenti extremae unctionis obtentae sint vera miracula, et ut statuatur qua ratione huiusmodi effectus secerni valeant ab infirmorum sanationibus precibus servorum Dei obtentis.

2. — PROP. — **Sanationes, per sacramentum extremae unctionis obtentae, ordinarie loquendo, miracula non sunt.**

3. — **Ostenditur.** — Ad veritatem hanc intelligendam, cum extrema unctio operetur per modum medicinae, primo loco considerandum est quid in sanationibus naturalibus eveniat. Nimirum, cum aegrotus naturaliter sanitati restituitur, ipsae vires naturae rationem habent agentis principalis a quo talis effectus producitur, medicina vero instrumentaliter tantum operatur. *Medicinae corpori humano exhibitae.* ait S. Thomas [1], *operantur ad sanitatem quasi instrumenta, natura autem est sicut agens principale.*

[1] Quaest. VI de Pot., art. 5.

Hoc posito, animadvertimus, non debere extremam unttionem infirmo ministrari, nisi in casu gravis aut periculosi morbi.

4. — **Morbi sanabiles et insanabiles.** — Porro, duplicis generis sunt morbi periculosi vel graves: in quibusdam, scilicet, natura adhuc capax est assimilandi medicinas infirmo exhibitas, et sic eas tanquam instrumentum ad amissam sanitatem recuperandam adhibendi; in aliis vero, natura adeo debilitatur, ut hanc vim amplius non possideat, quo casu morbus appellatur mortalis, ac aeger absolute incapax vitae declaratur. Ad hoc scilicet ut convalescat, miraculum, requiritur. miraculum, inquam, secundi ordinis quod habetur cum aliqua forma inducitur in subiectum naturaliter incapax illam recipiendi. — Huc igitur nunc revocanda quaestio erit, ut scilicet determinetur utrum extrema unctio restituere valeat sanitatem in utroque casu, an tantummodo in priori, id est quando aegrotus, quamvis vita periclitetur, non tamen omni spe sanitatis sit deiectus.

5. — **Sanitatis restitutio, per extremam unctionem, quando in infirmo adhuc est spes vitae.** — Ut igitur a priori casu solvendo incipiamus, qui est quando infirmo aliqua adhuc superest spes salutis per opportuna remedia obtinendae, hoc est quando natura tales vires retinet, ut exhibitas medicinas assimilare valeat, restitutio sanitatis, posito quod extremae unctioni tribuatur, miraculum appellari minime potest. Etenim, ut sacramentum dici posset miraculose operari, necesse foret effectum sanationis extemplo produci: sacramentum autem operatur per modum medicinae, cuius est sanitatem pedetentim solum restituere. Esset vero miraculum, et quidem tertiae classis, si instantanee procederet sanatio: hoc enim non habet medicina, sive corporalis, sive spiritualis, in sacramento extremae unctionis, ut sanitatem statim restituat.

6. — **Solvitur tacita obiectio.** — *Obiicienti* sanationem, ope extremae unctionis obtentam, esse effectum praeter leges naturae, ideoque semper habere rationem miraculi, — *respondetur*, huiusmodi effectum pertinere ad ordinarium cur-

sum a Deo stabilitum, cum huic sacramento vim indiderit sanitatem. in certis circumstantiis, restituendi; unde idipsum de eo decernendum est, quod de exorcismis Ecclesiae dicitur, quibus vis adnexa est daemones a corporibus obsessorum depellendi, aut nocivos daemonum effectus auferendi.

Enimvero, ad miraculi rationem requiritur, ut saepe inculcat S. Thomas, ut sit in re aliquid unde videretur quod aliter esse deberet, seu ut causa formaliter impar sit effectui producendo. Atqui, sicut ex ordine naturae habetur ut medicinae sanitatem corporalem restituant, ita ex divina institutione idipsum habetur relate ad sacramentum extremae unctionis, non quidem quasi unctiones, ut tales, id efficere possint, sed ut divinitus elevatae ad rationem sacramenti; unde extra sacramentum huiusmodi effectum restituendi sanitatem minime producunt, sed et in ipso sacramento id efficiunt, non quatenus applicantur partibus laesis, sed sensibus, qui forsan curatione non indigent.

7. — PROP. II. — **Extrema unctio de se non valet ad restituendam sanitatem, quando infirmo non amplius adest spes vitae.**

8. — **Exponitur.** — Si infirmo, in quo non est amplius spes vitae, extrema unctio sanitatem restitueret, hoc foret miraculum secundae classis, quod genus miraculi tunc habetur, quando in aliquo subiecto forma inducitur, ad quam subiectum illud non est in potentia. Et quidem Deus utique huiusmodi miraculum per hoc sacramentum patrare posset, si vellet: at considerandum est quod extrema unctio ad hoc non est divinitus instituta, cum sit instituta per modum medicinae, et medicinae talibus infirmis non prosunt: unde etiam parochi graviter admonentur, ne usque ad extremum vitae, illius sacramenti collationem differant, ne videlicet non solum plenis effectibus spiritualibus priventur quos nati sunt percipere illud recipientes cum nondum in extremo positi sunt, sed etiam, ut censemus, ne omnino fraudetur. effectu secundario, qui est sanitatis restitutio [1].

[1] Cat. Rom., P. II, C. VI de Extr. Unct., n. 9.

9. — Quomodo sacramentum extremae unctionis sanitatem restituit. — Sciendum igitur sacramentum extremae unctionis institutum fuisse ad modum medicinae, ut diximus, et ut manifeste apparet ex Concilio Tridentino [1], at notanda sunt S. Thomae verba [2]: *Adhibetur hoc sacramentum* (extremae unctionis) *secundum modum cuiusdam medicationis, sicut baptismus per modum ablutionis. Medicina autem est ad pellendam infirmitatem; unde principaliter hoc sacramentum est institutum ad sanandam infirmitatem peccati.* Ad rem etiam faciunt haec alia S. Doctoris verba [3]: *Hoc sacramentum est quaedam spiritualis curatio, quae quidem per quemdam corporalis curationis modum significatur.*

Ex quo eruitur, extremae unctioni inesse rationem medicinae, non solum relate ad effectum principalem, qui est sanitas spiritualis, verum etiam relate ad effectum secundarium, qui est sanitas corporalis. Unde ex modo quo cognoscimus medicinam naturalem suum producere effectum, transire legitime possumus ad cognoscendum modum quo haec supernaturalis medicina operatur, servatis utique debitis differentiis, quas ipsa rerum natura suadet.

10. — Quomodo medicina corporalis operatur. — Porro, salutiferae qualitates, quae in medicinis corporalibus continentur, nullum therapeuticum influxum exercent in illis qui vitam iam amiserunt, quia, ut ait S. Thomas [4], *medicatio praesupponit vitam in medicato.* Insuper necesse est ut aeger tantum de vita conservet, ut medicinas assimilare queat, cum huiusmodi medicinae, respectu ad naturam, se habeant tanquam agens instrumentale respectu agentis principalis. Porro agens principale suum effectum non producit, nisi in quantum movet agens instrumentale, illud ad effectum a se intentum applicando. Medicinae igitur non prosunt, nisi illis in quibus aliqua adhuc spes vitae remanet; idest in quibus natura tales vires conservat, ut medicinam assimilare possit; illis vero, quorum vita omni spe est destituta, huiusmodi medicinae minime prosunt.

[1] Sess. XIV, doctr. de Sacr. Extr. Unc. — [2] Quaest. XXX, art. 1. — [3] S., Quaest. XXXII, art. 1. — [4] Ibid.

11. — Ratio medicinae spiritualis et corporalis in extrema unctione. — Quae omnia extremae unctioni congrue applicari possunt; primo quidem, quatenus est medicina spiritualis animae, deinde quatenus interdum effectum habet medicinae corporalis. Quoad primum, notari debent verba S. Thomae [1]: *Sicut corporalis medicatio praesupponit vitam in medicato, ita spiritualis spiritualem; et ideo hoc sacramentum non datur contra defectus, quibus spiritualis vita tollitur, scilicet contra peccatum originale vel mortale, sed contra illos defectus quibus homo spiritualiter infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actus vitae gratiae vel gloriae.* — Ubi advertendum venit quod dum, respectu sanitatis corporalis, natura humana est velut causa principalis, hoc idem dici nequit respectu effectus spiritualis sacramenti extremae unctionis, cum vires naturae sint essentialiter improportionatae ad quemcumque gratiae effectum producendum.

Quoad salutem vero corporalem, imprimis ad memoriam revocari debet, sacramentum extremae unctionis, ex Christi institutione, nonnisi vivis subministrari debere; sed praecipue advertatur quod, sicut medicina corporalis operatur mediante natura, ita etiam virtus therapeutica huic sacramento adnexa. Proinde, concludimus, extremam unctionem non ordinari ad reddendam sanitatem aegrotis omni spe deiectis, in quibus videlicet natura nullam amplius vim habeat assimilandi virtutem illam in sacramento reconditam. Revera, sicut sanitas, ope extremae unctionis obtenta, specifice non differt a sanitate ope medicinae naturalis restituta, sic extrema unctio nequit medicinae corporalis rationem habere, si infirmo omnino insanabili administretur.

12. — Comparatio inter extremam unctionem et medicinam corporalem. — Hic abs re non erit comparationem instituere inter medicinam corporalem et extremam unctionem, quatenus haec rationem habet medicinae, tum corporalis tum spiritualis. Nimirum, dum aliqua substantia medicinalis quaecumque tantummodo est medicina corporalis et nihil amplius, extrema unctio, e contra, est simul et spiritualis et corpo-

[1] Ibid.

ralis medicina. Et quidem relate ad suum effectum primarium, extrema unctio est medicamentum supernaturale spirituale; relate vero ad suum effectum secundarium, ipsa est medicamentum supernaturale corporale.

Haec duo genera medicamentorum conveniunt, ut patet, in hoc, quod utrumque virtutem quamdam sanativam possidet; sed quia terminus ad quem refertur extrema unctio qua medicina spiritualis, qui effectus est spiritualis, differt a termino tum medicinae corporalis, tum ipsius extremae unctionis consideratae ut habet rationem medicinae corporalis supernaturalis, qui scilicet effectus est corporalis, hinc sequitur duo postrema genera medicinarum convenire cum prima tantummodo analogice; inter se tamen conveniunt univoce, quia specificata ab eodem termino, qui est sanitas corporalis. Differunt tamen in seipsis: nam medicina corporalis, in se considerata, est quaedam substantia, ex qua naturaliter prodeunt tales proprietates quae determinatas infirmitates sanare valeant; e contra, id quod in extrema unctione confert sanitatem corporalem, est determinata quaedam substantia elevata ad ordinem supernaturalem, scilicet est ipsum oleum infirmorum, quod tantummodo supernaturaliter possidet virtutem sanandi, non quidem ab una tantum determinata infirmitate, sed a quocumque morbo, subordinate tamen ad salutem spiritualem.

13. — Quomodo huiusmodi therapeutica virtus residet in extrema unctione. — Quaerenti vero quomodo haec therapeutica virtus resideat in extrema unctione, ob oculos primum ponere debemus verba S. Thomae [1]: *Tertia ratio* (cur oleum infirmorum sanctificetur) *est ex hoc quod effectus eius corporalis, scilicet sanatio eius corporalis, non causatur ex materiae naturali proprietate, et ideo oportet quod haec efficacia ei per sanctificationem detur* Ex quo erui potest quod, sicut substantiae naturales virtutem quamdam infirmitates sanandi constanter possident, ita etiam oleum infirmorum consecratum, non quidem absolute, sed dependenter a sanitate spirituali animae, secundum ordinem divinae dispositionis, ut saepe dictum est.

[1] S. Quaest., XXIX, art. 5.

Ubi tamen notandum est, oleo huiusmodi istam virtutem non competere independenter ab applicatione sacramenti, cum ex positiva Christi institutione oleum infirmorum adhiberi non debeat extra sacramentum. Cuius quidem ratio est quod, ad hoc ut aliqua medicina actualiter sanet, non sufficit ipsam habere virtutem sanandi, sed requiritur insuper ut convenienter applicetur. Atqui ex expressa Christi voluntate, oleum infirmorum convenienter non applicatur nisi in sacramento.

Ratio denique assignari potest: videlicet, quando duae res sunt ad invicem coordinatae, adeo ut una ab alia dependeat et non vice versa, secunda obtineri nequit nisi mediante principali: sed duo effectus extremae unctionis, id est sanitas spiritualis et sanitas corporalis, sunt inter se coordinati et subordinati, ideo ut haec non obtineatur, si illi non prosit; incassum ergo quis speraret oleum infirmorum producere effectum secundarium, ad quem etiam ordinatur, si antea non produxerit effectum principalem, qui tantummodo in sacramento obtinetur.

14. — Quandonam sanatio attribuenda est extremae unctioni, quandonam intercessioni Sanctorum. — Ut autem modo dicta colligamus, et, quod erat principaliter intentum in hoc articulo, clare appareat quandonam sanationes in infirmis obtentae, qui iam extrema unctione muniti sint, attribui debeant ipsi sacramento, quandonam intercessioni Sancti, quem forte infirmus aut adstantes invocaverint, — dicimus, primo: extrema unctio, relate ad sanitatem corporalem, se extendit usque ad ultimum limitem quem attingere potest medicina naturalis etiam a peritissimo medico applicata; ulterius non se extendit, idest non potest producere effectum qui sit miraculum secundae classis, qualis esset sanatio a morbo insanabili. Unde iam, quando videlicet agitur de morbo in quo infirmus omni spe vitae, ex medicorum sententia, deiectus est, sanatio, si eveniat, certe intercessioni Servi Dei erit attribuenda.

Si vero in infirmo adhuc erat spes vitae quando, extrema unctione iam percepta, convaluit, tunc aut sanatio evenit extemplo, aut gradatim. Si extemplo vel repentine evenit

sanatio, erit certe miraculum, precibus Servi Dei attribuendum, cum medicina naturalis nonnisi pedetentim sanet; si vero gradatim sanatio fuerit secuta, et quidem adhibitis medicinis, erit sanatio medicinae naturaliter tribuenda; si autem medicinae non fuerint adhibitae, tunc sanatio attribui poterit. absolute loquendo, aut extremae unctioni, aut intercessioni Sancti qui forte invocatus est: at, cum praestet medium stabile et ordinarium a Christo institutum medio incerto et extraordinario, qualis est Sanctorum interventus, hinc potius talis sanatio erit sacramento, quam Sancti intercessioni, attribuenda; licet attribui posset etiam naturae, cum natura etiam interdum, absque auxilio medicinae sanationem restituat.

Quae cum ita sint, Ecclesia dum iudicium instituit de sanationibus servorum Dei intercessioni attributis, non quaerit utrum infirmus iam receperit, necne, extremam unctionem: si enim omni vitae spe infirmus iam deiectus erat quando sacramentum suscepit, aut si repente sanatus evasit, nequit sanitas extremae unctioni attribui.

15. — Conclusio. — Ex quo demum concludere licet, sanationes mirabiles, intercessione servorum Dei obtentas, si quidem vere mirabiles sint, idest, sive eveniant cum iam infirmus omni spe vivendi destitutus sit, sive cum extemplo in infirmo a quo omnis vivendi possibilias non exulavit, verificatur, haberi posse tanquam signa divina eorumdem sanctitatis, seu tanquam veri nominis miracula, et hoc sive extremam unctionem infirmi receperint, sive non; scilicet, quia extrema unctio miraculose non operatur.

Ad rem opportune Benedictus XIV [1]: *Hunc effectum* (sanitatis corporalis) *non operatur sacramentum* (extremae unctionis) *per modum miraculi,... sed virtute quadam, supernaturali quidem, sed quodammodo ordinaria, quae causas naturales adiuvat, sicut ratiocinatur Suarez* [2].

[1] De Synodo dioces., l. VIII, c. VII, n. 2. — [2] T. IV, disp. XLI, sect. III, n. 5.

Art. IV. — *Utrum extrema unctio valeat ad remissionem peccatorum.*

1. — **Ratio articuli.** — Quod extrema unctio operetur ad remissionem peccatorum, nemini dubium esse potest, semel cogitanti illam esse verum novae Legis sacramentum; omne autem novae Legis sacramentum gratiam confert, per quam fit remissio peccatorum: unde ait S. Iacobus [1]: *Si in peccatis sit, remittentur ei.* At, prima facie, non bene apparet quid peccatorum nomine hic audiat, utrum scilicet peccatum mortale, an veniale; utrum culpa, an poena; et utrum concupiscentia, an habitus vitiosus, qui interdum peccatum vocatur, eo quod ex peccato est et ad peccatum ducit.

2. — PROP. I. — **Extrema unctio non est directe ordinata ad delenda peccata, sive mortalia, sive venialia, nec eorum poenam, sed nec ad tollendum habitum vitiosum.** —

3. — **Exponitur.** — Imprimis, quod non sit directe ordinata ad delenda peccata mortalia, patet: est enim de se sacramentum vivorum, non mortuorum; sed baptismus tantum et poenitentia id per se primario efficiunt, cum ad hoc sint a Christo instituta.

Pariter, quod extrema unctio non sit directe ordinata ad tollenda venialia peccata, ex hoc liquido deducitur quod ad huiusmodi culpas leves auferendas non requiritur gratiae infusio; unde, cum in quolibet novae Legis sacramento gratia infundatur, merito infertur nullum a Christo sacramentum directe et immediate fuisse institutum contra venialia peccata, quae tolli per alia media possunt [2].

Rursus, quod extrema unctio directe non dirigatur contra reatum poenae temporalis, ex hoc infertur quod ad hunc reatum tollendum se extendit poenitentia, etsi secundario; praeterea, fidelium sensu habetur, infirmis, etiam cum debita dispositione oleo sacro perunctis, aliquid adhuc luendum, ut plurimum, remanere.

[1] V, 15. — [2] 3, Quaest. LXV, art. 1, ad 8[m].

Denique, sat evidens est directum effectum extremae unctionis non esse ut removeat peccati fomitem vel habitum vitiosum, cum videamus dispositiones illas in homine inuncto, remanere etiam postquam sanitatem recuperaverit.

Quae cum ita sint, restat ut statuatur quid circa peccatum unctio immediate et principaliter operetur, quid vero exc onsequenti. Ad quod intelligendum, primo declarandum est.

4. — **Quid sint peccatorum reliquiae.** — Peccatorum reliquiae, quas ex Tridentino et communi Scholae consensu, per extremam unctionem tolli novinus, non sunt ipsa peccata mortalia, ut diximus, sed nec venialia, ut, post S. Bonaventuram [1], posuit Scotus, sed nec peccata quae post confessionem et communionem interdum supersunt remittenda, ut voluit B. Bellarminus, nec reatus poenae temporalis qui post remissionem culpae saepe superest, nec dispositiones ex actibus relictae, quae sunt quidam habitus inchoati; sed sunt quaedam spiritualis debilitas in ipsa mente existens, qua sublata, etiam eisdem habitibus vel dispositionibus manentibus, non ita facile potest mens inclinari ad peccatum [2]. — Sit igitur

5. — PROP. — α) **Effectus indirectus sacramenti extremae unctionis est remissio peccatorum quoad reliquias peccati**; β) **et ex consequenti etiam quoad culpam, si eam inveniat.**

Auctoritates tum Florentini, tum Tridentini Concilii exposuimus supra [3].

6. — **Primam partem** ita perbelle ac concinne declarat Angelicus Doctor [4]. Quodlibet sacramentum est institutum principaliter ad unum effectum, quamvis alios quoque effectus ex consequenti inducere possit; et quia sacramentum efficit quod figurat, ideo ex ipsa significatione sacramenti debet accipi eius principalis effectus. Porro, sicut baptismus adhibetur per modum ablutionis, ita extrema unctio per mo-

[1] In 4, Dist. XXIII, art. 1, quaest. I. — [2] S., Quaest. XXX, art. 1, ad 2[um]. — [3] Art. 2, n. 4, p. 54. — [4] S., Quaest. XXX, art. 1.

dum cuiusdam medicationis: medicina autem est ad pellendam infirmitatem; unde, sicut baptismus est quaedam spiritualis suscitatio, ita extrema unctio est quaedam spiritualis sanatio vel medicatio: unde hoc sacramentum principaliter institutum est ad sanandam peccati infirmitatem Aliud vero non est huiusmodi infirmitas, nisi quaedam debilitas et ineptitudo, quae in nobis relinquitur ex peccato actuali vel originali; et contra hanc debilitatem, homo roboratur per hoc sacramentum.

At ulterius advertendum est quod, sicut corporalis medicatio praesupponit corporalem vitam in medicato, ita spiritualis medicatio praesupponit vitam spiritualem; et ideo hoc sacramentum non datur contra defectus quibus vita spiritualis tollitur, scilicet contra peccatum originale vel mortale, sed contra illos defectus quibus homo spiritualiter infirmatur, ita quod non habeat perfectum vigorem ad actus vitae gratiae vel gloriae, et hoc est praecise quod dicitur, per extremam unctionem reliquias peccati remitti.

7. — **Solvitur difficultas.** — Quod in forma sacramentorum exprimitur, repraesentat principalem effectum. Atqui in forma extremae unctionis exprimitur peccatorum remissio: *Indulgeat tibi Dominus quidquid... deliquisti.* Ergo peccatorum remissio est principalis effectus extremae unctionis.

Resp. Dist. mai.: quod in forma exprimitur, habito respectu ad materiam, repraesentat principalem effectus, *conc.*; independenter a materiae proportione, *nego. Dist. min.*: accepto peccato pro culpa aut poena, *nego*; pro reliquiis peccati, *conc. Nego conseq. et conseq.* — Diximus iam, nomine peccati, intelligi posse reliquias peccati, scilicet languorem illum, seu virium infirmitatem, qua a studio virtutis facile avocamur; quam quidem significationem hic attendendam esse suadet ipsa materia proxima, seu unctiones quae ad modum medicationis aut sanationis fiunt, quibus debilitati ex peccato consecutae opportunum fertur remedium.

8. — **Secunda pars,** scilicet extremam unctionem remittere etiam, ex consequenti, seu secundario, culpam peccati, si eam inveniat, imprimis traditur in Concilio Tridentino,

ubi anathemate plectuntur negantes sacram infirmorum unctionem conferre gratiam et remittere peccata [1]. Similiter, in forma Ecclesiae dicitur: *Indulgeat tibi Dominus quidquid... deliquisti.* — Patet autem haec veritas ex hoc quod, cum robur praedictum causetur per gratiam, quae secum non compatitur peccatum, ideo ex consequenti, si invenit peccatum aliquod mortale, quoad culpam tollit ipsum, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis, sicut etiam de Eucharistia [2], et confirmatione dicitur [3]. Quocirca S. quoque Iacobus de remissione peccati conditionaliter loquitur, dicens [4]: *Si in peccatis sit, remittentur ei*, scilicet quoad culpam.

Igitur, etsi extrema unctio semper remittat peccatum quoad debilitatem praedictam, quam reliquias peccati vocamus, non tamen semper remittit peccatum quoad culpam, quia non semper illud in subiecto invenit. At cum saepe contingat quod homo non omnium peccatorum, quae commisit, notitiam aut memoriam habeat, ut possit per poenitentiam singula expurgare, ideo opportune ei subvenitur per hoc sacramentum, quo in exitu vitae perfectam peccatorum emundationem percipere possit; unde concludit S. Thomas, quod haec sacra unctio est ultimum et quodammodo *consummatum vel completivum totius spiritualis curationis* [5], quae fit per poenitentiam; licet eiusdem quodammodo suppletiva existat, sensu superius explicato.

9. — **Solvitur difficultas.** — Duo sacramenta non sunt instituta ad eumdem finem. Atqui poenitentia delet omnia peccata actualia. Ergo huiusmodi peccata non remittuntur per extremam unctionem.

Resp. Dist. mai.: eadem principali ratione, *conc.;* diversa ratione, *nego.: dist. min.:* quantum est de se, *conc.;* ita tamen quod alia quoque via non possint remitti, *nego. Nego conseq. et conseq* — Utique poenitentia, quantum est de se, peccata remittit, ita tamen ut interdum, poenitentis defectu, remanere possint peccata quae cum quodam poenitentiae proposito extrema unctio secundario remittat: unde, quod

[1] Sess. XIV, can. 2. — [2] Tr. n. de SS.ma Euchar., Vol. I, Quaest. LXXIX, art. 3, n. 3, p. 371. — [3] Tr. n. de Confirm. Quaest. LXII, art. 7, n. 4. p. 349. — [4] V. 15. — [5] C. Gent., l. IV, cap. 73.

poenitentia primario perficit, hoc extrema unctio secundario attingere potest, licet cum aliquo respectu ad primum.

10. — Quo pacto remittit extrema unctio peccata venialia. — Quoad peccatorum venialium remissionem, dicendum est, ea utique per extremam unctionem remitti, eo videlicet pacto quo per sacramenta vivorum remittuntur, scilicet, non directe, nec ex opere operato, sed indirecte, attento nempe fervore caritatis eius qui sacramentum illud suscipit, sicut dictum est de sacramento Eucharistiae [1].

11. — Quomodo extrema unctio remittit poenam temporalem. — Sciendum est autem extremam unctionem non solum operari secundario ad remissionem maculae peccati, in quantum videlicet gratiam confert, quae sine contritione, qua reatus culpae tollitur, esse non potest; sed etiam operari ad remissionem vel diminutionem reatus poenae temporalis, in quantum tollit debilitatem in patiendo morbi defectus: et consequenter licet eadem tormenta patiatur infirmus sine extrema unctione et cum ea, illa tamen tormenta levius portat qui extrema unctione munitus est, quia fortior per hoc sacrametum evasit [2]. — Ceterum, quod huiusmodi poena temporalis, per susceptionem extremae unctionis, quadamtenus remittantur, inferri potest ex generali loquendi modo S. Iacobi: *Si in peccatis sit, remittentur ei*; cui plane cohaeret ipsa sacramenti forma, *quidquid... deliquisti.*

Cum hoc tamen statui debet, non semper remitti totum reatum poenae temporalis, ita quod homo, post susceptum hoc sacramentum decedens, ab omni satisfaciendi obligatione liber evadat; sed attendi debet interior hominis dispositio, sicut de sacramento poenitentiae dictum est. Nec obstat quod dicatur hoc sacramentum proxime conductivum ad gloriam, ideoque operans deletionem reatus poenae remanentis post culpae deletionem: non enim operatur de se extrema unctio, sicut baptismus, omnis poenae deletionem, sed supposita in suscipiente convenienti dispositione [3].

[1] Cf. Hunc. tr., Quaest. cit., art. 4, nn. 4, 5. — [2] S., Quaest. XXX, art. 1, ad 2[m]. — [3] Cf. S. Thom., l. IV. Contra Gent., cap. 73, cum Comment. Ferrariensis.

Articulus V. — *Utrum extrema unctio producat effectum ex opere operato.*

1. — Ratio articuli. — Dubitandi ratio ex eo oritur, quod S. Iacobus unctionis vim acceptam refert orationi et fidei: *Et oratio fidei*, inquit, *salvabit infirmum*; quem in finem ulterius commendat idem Apostolus orationis efficaciam, dicens [1]: *Et orate pro invicem, ut salvemini: multum enim valet deprecatio iusti assidua.* — Quapropter theologorum nonnulli omnes extremae unctionis effectus solis adscribunt precibus, atque contendunt oleum non fuisse nisi symbolum effectuum quos Deus exoratus operatur; alii vero existimarunt corporis saltem sanitatem ab extrema unctione, non ex opere operato, consequi; aut cum Estio censuerunt eamdem non tam per modum sacramenti, quam per modum sacramentalis cuiusdam provenire, quo modo ex aspersione aquae benedictae obtineri posset. — At contra statuimus

2. — PROP. — **Non solum deletionem reliquiarum peccati et ablationem ipsorum peccatorum, sed etiam sanitatem corporalem, extrema unctio producit tanquam ex opere operato.**

3. — Exponitur. — Revera, cum ad fidem pertineat sacramenta generaliter effectus suos producere ex opere operato, inter effectus autem sacramenti extremae unctionis, etsi secundario, recenseatur restitutio sanitatis corporalis, hinc nulla prorsus est ratio cur negari debeat hanc ex opere operato per sacramentum produci: maxime cum nullam distinctionem, quoad modum operandi, assignent Concilia inter hunc effectum et deletionem reliquiarum peccati aut peccati ipsius. — Hoc autem clarius patebit, si S. Iacobi verba, superius obiecta, rite explicentur.

4. — Sensus verborum S. Iacobi. — Enimvero, notandum sedulo est, formam huius sacramenti ab Apostolo nominari

[1] Vers. 16.

orationem fidei, non quasi fides ministri de necessitate sacramenti requiratur, sed quatenus huiusmodi oratio a fide supernaturali proficiscitur, cuius lumine intelligitur quo pacto talis oratio, unctioni materiali coniuncta, gratiam sacramentalem producere valet.

Quocirca effectus attribuitur orationi fidei, non quasi fides absque unctionibus capax sit huiusmodi effectus; sed quia illa est pars formalis in hoc sacramento, et per eam variae unctiones peragendae exprimuntur. — Ex quo facile eruitur novatorum fallacia, verba S. Iacobi explicantium de miraculosa quadam corporis sanatione; cum, e contra, verba illa manifeste respiciant primo quidem salutem animae a peccatorum reliquiis purgandae, secundario vero corporis quoque sanitatem, non tamen miraculose producendam. Praeterea, verbum *infirmatur*, ἀσθενεῖ, in graeca sua significatione, non ad qualescumque infirmos, sed formaliter ad aegros gravi morbo decumbentes refertur, ut diximus: at vero non solum infirmis decumbentibus, sed etiam caecis, surdis, claudis aliisque miseris, qui tamen vita non periclitantur, per donum miraculorum et sanitatum consulitur, cum tamen illos hoc sacramentum non respiciat, ut scite advertit Ill.mus Dom. Al. Ad. Paquet [1].

5. — **Scholion.** — Quocirca, verba: *Oratio fidei salvabit infirmum*, non sunt intelligenda, quasi unctio de qua loquitur S. Iacobus, vim omnem suam ex merito orationis et fidei, ut sic, accipiat, sive ex opere operantis; sed ex oratione fidei accepta tanquam sacramenti forma, quo quidem sensu sancti Apostoli verba semper intellexit Ecclesia [2]. Iamvero, effectum tribuere formae idem est ac agnoscere ritum, cui forma illa adnexa est, illum effectum ex sese operari, quod est producere ex opere operato. Dicitur autem *oratio fidei*, quia fidem in suscipiente excitat, illumque disponit ad donum sanitatis corporalis, si Deo placuerit, recipiendum, aut etiam quia haec oratio innititur fidei Ecclesiae. Nec prorsus reiicienda est illorum sententia, qui censent huius sacra-

[1] Disp. V, de Extrema unct., Quaest. I, art. 1, concl. 1, pp, 199, 200. — [2] Cf. S., Quaest. XXX, art. 2, ad 3[m].

menti administrationi primitus coniunctum fuisse utique tanquam rem diversam, donum curationum, cuius exercitium a fide potissimum vim accipit. — Quod autem mox S. Iacobus verba subiungat de oratione pro fratribus fundenda, minime probat ex eius mente corporalem sanationem proprie orationi deberi; sed cum de peccatis et oratione disseruisset, mox occasionem arripuit loquendi de peccatorum confessione, necnon de oratione cuius efficaciam commendat [1].

6. — **Quaestio I.** — *Utrum sacramentum extremae unctionis ficte susceptum reviviscat?*

Respondeo *affirmative:* nam, iuxta alias traditam regulam [2], ad hoc ut aliquod sacramentum reviviscat, requiritur et sufficit ut sit aliquod, quod est res et sacramentum, quod quidem in sacramentis charaterem imprimentibus est ipsemet character, in extrema autem unctione, est quaedam interior devotio, quae est spiritualis unctio [3], qua infirmus disponitur ad effectum gratiae principaliter intentum, in quo res sacramenti consistit. Quocirca, si quis hoc sacramentum ficte, id est sine debitis dispositionibus, susceperit, cum illud bis eodem morbo durante non possit suscipere, sufficit ut actum doloris eliciat, quo sacramenti effectus in ipso reviviscat.

7. — **Solvitur tacita difficultas.** — Contra hanc ultimam resolutionem, de sacramento extremae unctionis ficte, etsi valide suscepto, obiici possunt sequentia S. Thomae verba [4]: *Hoc sacramentum, sicut et praedicta* (sacramenta), *quantum est de se, habet certitudinem; sed potest ex fictione recipientis impediri, etiamsi sacramento se subiiciat per intentionem, sic quod nullum effectum consequatur; et propter hoc non est simile de hoc et de aliis sacramentis, in quibus semper aliquis effectus consequitur.* — Re quidem vera, ex his verbis utique

[1] Vide quae scripsimus in tr. n. DE POENITENTIA, P. II, Quaest. II. art. 1, n. 6, p. 363, ubi ex versu 16 quinti capitis S. Iacobi, ostendimus necessitatem confessionis peccatorum. — [2] Cf. tr. n. DE GRATIA, Quaest. CXIII, p. 364; tr. n. de SACRAMENTIS IN COMMUNI, Quaest. LXII, App. III, nn. 34, pp. 136, seq. — [3] S., loco cit, ad 3[m]. — [4] S., Quaest. XXIX, art. 8, ad 1[m].

inferendum videtur, S. Thomae visum fuisse hoc sacramentum ficte susceptum nequaquam reviviscere: at cum ex tota eius doctrina contrarium eruatur, nobis videtur haud alio modo praesenti difficultati occurri posse, quam praedicta verba, tanquam obiter et academice dicta, penitus deserendo.

8. — **Quaestio III.** — *Utrum sacramentum extremae unctionis possit sub conditione ministrari?*

Resp. Extrema unctio, absolute loquendo, potest quidem, sicut cetera sacramenta, administrari sub conditione, cum videlicet prudenter dubitatur de dispositionibus suscipientis [1]; attamen, cum hoc sacramentum in eadem gravi infirmitate reiterari non possit, si quidem sub conditione infirmo indisposito administratum fuerit, dato quod hic resipuerit, cum eidem amplius in eadem infirmitate administrari non valeat, absque hoc adiutorio decedet; e contra, si absolute fuerit administratum, in hoc casu reviviscet, dummodo decumbens actum contritionis eliciat [2]. In praxi tamen observari debet regula ab Ecclesia lata.

[1] Cf. can. 942. — [2] In hoc sensu scribebat Leonh. Atzberger (Handbuch der Kath. Dogm., IV B. II Abt., ss. 748, 749): *Weil die letzte Oelung in derselben Krankheit, unwiederholbar ist, so muss sie bei unwürdigem Empfang, soll nicht der Empfänger ihrer Gnadenfrucht für immer beraubt sein, nach Beseitigung des obex aufleben. Aus dem letztem Grunde darf dieselbe bedingt wohl nur gespendet werden, wenn die physische Capacität des Kranken zweifelhaft ist, nicht aber, wenn über dessen sittliche Disposition zweifel besteht.*

QUAESTIO IV.

(S., XXXII-XXXIII).

DE SUBIECTO EXTREMAE UNCTIONIS.

PROLOGUS.

1. — **Ratio quaestionis.** — Clementissimus Deus, cum ostendere vellet in homines abundantiam suae pietatis simulque suae iustitiae dispensationem, animi morbos per peccatum contractos curare decrevit per sacramentorum institutionem, quibus, tanquam spiritualibus medicinis, passionis eius fructus ad nos usque derivaretur, dummodo ad hos salutiferos fontes animum nostrum pie ac religiose admoveamus. — Igitur, contra infirmitatem illam quae homini iamiam ex hac vita migraturo imminet, remedium opportunissimum providit in extrema unctione, cuius mirabiles effectus, scilicet fortificationem animi ad laetanter suscipiendum adventum Domini, deletionem reliquiarum peccati, peccati ipsius ablationem, necnon, si ita animae expediat, sanitatis restitutionem, in praecedenti quaestione expendimus. Nunc igitur pronum est ut de dispositionibus tum spiritualibus, tum corporalibus ipsius subiecti hoc sacramentum suscipientis, quod rite appellatur materia *in quo*, speciali disputatione pertractemus.

2. — **Ordo quaestionis.** — Erit ergo bipartita praesens quaestio: scilicet, primo, considerabimus subiectum sacramenti extremae unctionis quantum ad animam (1-3); secundo, quantum ad corpus (4-6). Porro, quantum ad animam suscipientis hoc sacramentum, prima distinctio attendenda est relate ad usum rationis in subiecto; quae quidem distinctio exigit ut aliud iudicium feratur quantum ad adultos, rationis usu donatos (1-2), et aliud quantum ad parvulos, rationis usum nondum adeptos (3): sic quidem ut, quantum ad illos, primo sit inquirendum de obligatione quam habent sacramentum hoc suscipiendi (1); et secundo, de dispositione in suscipiente

requisita (2). — Quod si modo consideretur subiectum sacramenti extremae unctionis quantum ad corpus, primo quidem erit illud in seipso considerandum (4-5), scilicet, tum secundum statum infirmitatis requisitum ad sacramentum suscipiendum (4), tum secundum corporis partes quae inungendae sunt (5); secundo, idem subiectum erit considerandum, quod denuo potest in mortalem infirmitatem labi, ut sciatur utrum tunc valeat sacramentum hoc iterari (6).



Quapropter, sex in hac quaestione investiganda proponuntur;

Primo. Utrum mortaliter peccet negligens suscipere sacramentum extremae unctionis.

Secundo. Utrum in suscipiente extremam unctionem requiratur motus contritionis.

Tertio. Utrum parvulis usum rationis nondum adeptis conferendum sit sacramentum extremae unctionis.

Quarto. Utrum hoc sacramentum sit solis infirmis administrandum.

Quinto. Utrum convenienter determinentur partes corporis ungendae.

Sexto. Utrum hoc sacramentum debeat iterari.

ARTICULUS I. — *Utrum mortaliter peccet negligens suscipere sacramentum extremae unctionis.*

1. — **Ratio articuli.** — Non defuerunt, anteactis temporibus, theologi, quibus visum est non adesse obligationem sub gravi suscipiendi sacramentum extremae unctionis; quia, ut aiebant, non est gravis asserenda obligatio, nisi de ea certo constet. Atqui obligatio suscipiendi extremam unctionem imprimis non habetur, ex vi institutionis huius sacramenti, cum non sit necessarium ad salutem, sed tantum utile et ad melius esse [1]: de se enim extrema unctio iam supponit in anima illam suscipientis, gratiam qua salus potest obtineri; nec, si contingat animam esse in peccato mortali, hoc sacramentum est unicum medium gratiam recuperandi. Pariter, observabant illi, ex praecepto divino, non constat de tali obligatione, cum S. Iacobi verba tantummodo de consilio sint intelligenda, aut de promulgatione et commendatione sacramenti divinitus instituti. — At, contra sit

2. — PROP. — **Gravis adest per se obligatio suscipiendi sacramentum extremae unctionis.**

3. — **Auctoritates.** — Imprimis, mentem Ecclesiae exhibet sequens canon [2]: *Quamvis hoc sacramentum per se non sit de necessitate medii ad salutem, nemini tamen licet illud negligere; at omni studio et diligentia curandum ut infirmi, dum sui plene compotes sunt, illud recipiant.* Expressius autem legitur in Rituali Romano [3]: *Ubi vero periculum immineat, parochus monebit aegrotum ne daemonum astutia, neque medicorum pollicitationibus, neque propinquorum aut amicorum blanditiis se ullo modo decipi sinat, quo minus ea, quae ad animae salutem pertinent, opportune procuret, et qua par est devotione et celeritate, sancta Sacramenta, dum sana mens est, integrique sensus, religiose suscipiat, citra fallacem illam ac perniciosam procrastinationem, quae plurimos ad aeterna sup-*

[1] Cf. 3, Quaest. LXV, art. 4. — [2] 944. — [3] Tit. V, de visit. et cura infr., n. 10.

plicia perduxit, in diesque. fallente diabolo, perducit. Denique, in Constitutione Martini V [1], inter interrogationes proponendas Wicleffitis et Hussitis, legitur [2]: *Utrum credat quod christianus contemnens susceptionem sacramentorum confirmationis. vel extremae unctionis.... peccet mortaliter.*

4. — Ratio theol. — Licet non constet de aliqua lege positiva, sive divina, sive ecclesiastica, obligationem formaliter faciente suscipiendi sacramentum extremae unctionis, hoc ipsum tamen quod Dominus noster medium istud formaliter instituerit ad subveniendum infirmitati hominis in extremo positi, rationem praecepti, et quidem gravis, profecto induit, maxime si considerentur pericula damnationis aeternae homini tunc, ex parte daemonis aut etiam infirmitatis carnis imminentia: quae si rite perpendantur, apparebit neglectum suscipiendi hoc sacramentum aequivalere formali contemptui, ideoque gravis peccati rationem induere.

5. — Explicatur. — Licet moribundi alio forsan possint praesidio se roborare, puta oratione, tamen, cum hinc quidem ob morbi oppressionem viribus debiliores sint, illinc vero vehementiores tunc urgeant daemonis insidiae, ideo magno illi se videntur exponere periculo tentationibus succumbendi, qui hoc sacramento, tanquam validissimo in conflictu praesidio, se munire neglexerint: unde sic agentes dicendi erunt peccato gravi, contra caritatem sibimet debitam, se exponere.

6. — Confirmatur ex verbis Apostoli Iacobi [3]: *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiae*, etc.: quibus verbis in sua obvia significatione intellectis, non merum consilium, ut nonnulli confingunt, sed veri nominis praeceptum evidenter continetur. — Idipsum etiam patet ex sollicitudine Ecclesiae ne quis ab hac vita migretur, nisi hoc munitus sacramento; sed et tanquam res animae valde perniciosa

[1] In Conc. Constant., *Inter cunctas*, 22 Februarii, 1418. — [2] N. 30 Mansi, t. XXVII, col. 1212. — [3] V, 14.

ab omnibus habetur, si quando infirmus hoc sacramentum renuat recipere: maxime cum vix concipi possit talis neglectus absque aliquo sacramenti contemptu [1].

7. — **Corollarium**. — Igitur, indubitanter asserimus, cum Benedicto XIV [2], huiusmodi sacramentum non posse, sine gravi culpa aut contemni, aut cum aliorum offensione aut scandalo negligi seu praetermitti; quocirca a synodo Coloniensi secunda, anno Domini 1549 celebrata [3], sancitum est huiusmodi homines ecclesiastica sepultura privari debere.

8. — **Scholion**. — Quod diximus intelligendum est per se loquendo: potest enim interdum fieri ut negligens suscipere hoc sacramentum, aliunde mortaliter peccet, puta, ratione scandali: ut si adstantes hoc ipso scienter induceret ad huiusmodi sacramenti contemptum; quocirca, attendendum est ad verba Concilii Tridentini, aientis [4], *tanti sacramenti contemptum absque ingenti scelere, et ipsius Spiritus Sancti iniuria esse non posse.* — Nec bene a quibusdam dicitur aliquem excusari posse ob repugnantiam quam erga sacramentum hoc persentiat, cum huiusmodi repugnantia gravem defectum vel fidei vel caritatis arguat, nisi adsit invincibilis ignorantia.

9. — **Quaestio**. — *Utrum peccent graviter parochi huius sacramenti collationem usque ad ultimum vitae tempus differentes?*

Resp. Affirmative, iuxta illud Catechismi Romani [5]: *Gravissime peccant qui illud tempus aegroti ungendi observare solent, cum iam omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipiat.* Cuius rei propria haec videtur esse ratio, quia si forte infirmus in mortali versetur, suscipiens, dum compos est sui, extremam unctionem, facile poterit attritionis motum elicere, quo virtute sacramenti possit iustificari. Lex igitur

[1] Cf. quae diximus in tr. DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS, art. VIII, n. 9, seq. — [2] De Synodo dioeces., L. VIII, c. VII, n. 4. — [3] C. 38, Coll. Harduin., t. IX, col. 2110. — [4] Sess. XIV, c. 3. — [5] P. II, c. VI, de Extr. Unct., n. 9.

esto, extremam unctionem dari debere statim ac prudenter iudicatur infirmum versari in periculo mortis, etsi non proximo: quod si res omnino certa non sit, prudens tamen timor habeatur, ministrari quoque hoc sacramentum poterit, ne forte infirmus tali auxilio destitutus occumbat.

Addi potest quod ille qui huius sacramenti collationem vel susceptionem differt ad ultimum vitae terminum, quando scilicet nulla amplius spes adest recuperandae sanitatis, infirmum privat effectu secundario huius sacramenti, qui est praecise recuperatio sanitatis, cum hoc sacramentum hunc effectum non producat, nisi quando adhuc sit naturaliter spes a morte evadendi, ut dictum est supra [1].

Articulus II. — *Utrum in suscipiente extremam unctionem requiratur motus contritionis.*

1. — Ratio articuli. — Diximus effectum secundarium extremae unctionis, non per accidens, sed per se, esse remissionem peccatorum, hypothetice videlicet, seu in casu quo peccator, vel bona fide aliquo peccato commaculatus existat, vel alia via non valeat peccati remissionem obtinere. Quaeritur ergo nunc quali in hoc casu interiori dispositione donari debeat huiusmodi peccator, utrum nempe contritionis motum teneatur elicere; et, hoc posito, cum contritio alia sit perfecta, quae est cum caritate coniuncta, alia imperfecta, quae attritio proprie vocitatur, qualis motus requiratur atque sufficiat ad peccati mortalis remissionem per extremam unctionem consequendam.

2. — Error Schell. — In quo, sicut in multis aliis catholicam doctrinam respicientibus, singulare quid posuit novitatis amator, Dr. Hermannus Schell, docens peccata, si qua forte in subiecto inveniantur, ab extrema unctione deleri, etiam attritione non existente, dummodo in anima non perduret habitualiter peccatum contra Spiritum Sanctum [2]. — Contra quod ponimus

[1] Quaest. praeced., art. 3. — [2] Ad rem Leonh. Atzberger (Handbuch der Kath. Dogm. IV B. II Abt. Freiburg im B., 1901. s. 747): *Wer die Ausführungen* Schells, Kath. Dogm., III, 629-635, *liest, wird*

3. — PROP. — Extrema unctio peccata mortalia non remittit, nisi praevio motu saltem attritionis.

4. — Auctoritas. — De fide dici potest haec propositio, cum in Concilio Tridentino declaratum fuerit [1]: *Fuit autem quovis tempore, ad impetrandam veniam peccatorum, hic contritionis* (scilicet sive perfectae, sive imperfectae, quae vocatur attritio) *motus necessarius.*

5. — Prob. rat. theol. — Cum mortale peccatum, de quo hic potissimum agimus, procedat ex hoc quod voluntas hominis est aversa a Deo per conversionem ad aliquod bonum commutabile; hinc ad huiusmodi peccati remissionem, requiritur quod voluntas hominis sic immutetur, ut convertatur ad Deum cum detestatione conversionis praedictae et proposito emendationis: unde nullum sacramentum, etiam poenitentiae, valet ad deletionem peccati, nisi voluntas hominis, gratia utique operante, ad Deum, per motum liberi arbitrii, conversa fuerit [2]. — Ex quibus facile deducitur, longe a vero aberasse praedictum Schell, dum nec attritionem in infermo ad peccatorum remissionem, per extremam unctionem obtinendam, requirit.

6. — Qua ratione sufficit attritio ad iustificationem in hoc sacramento. — Quomodo autem motus attritionis sufficiat cum hoc sacramento ad iustificationem impii, pulcre explicat S. Thomas [3]. Quamvis culpa, quoad maculam, sine contritione perfecta non dimittatur, tamen extrema unctio, per gratiam quam infundit, facit quod ille motus liberi arbitrii in peccatum, scilicet motus attritionis, sit contritio

---

demselben die obige irrthümliche Lehre auf den ersten Blick leicht zuschreiben. Doch hat Schell anderwärts seine Erörterungen mit der Lehre der Kirche und der sententia communis *in Einklang zu bringen gesucht.* Opus Schell relatum fuit in indicem librorum prohibitorum, 15 Dec. 1898. — [1] Sess. XIV, cap. 4. — [2] Tr. n. DE SACRAM. POENIT., Quaest. LXXXVI, art. 2, n. 3, p. 152. — [3] S., Quaest. XXX, art. 1, ad 2[m].

perfecta, quemadmodum in Eucharistia [1] et confirmatione [2] accidere potest. Immo, observat Al. Ad. Pâquet [3], id extrema unctio certius praestat quam reliqua sacramenta, quae sunt sacramenta vivorum, propterea quod per se ad talem finem, secundario quidem, ordinatur.

7. — **Scholion.** — Ex hoc tamen perperam concluderetur, posse aliquem cum sola attritione scienter recipere sacramentum extremae unctionis, cum hoc non sit sacramentum mortuorum, sed vivorum; unde Ecclesia statuit illud non esse administrandum, nisi post poenitentiam, et, si fieri potest, etiam post susceptum viaticum [4]. Igitur, casus est de infirmo, qui non posset confiteri aut absolutionem valide non recepisset: huiusmodi videlicet non teneretur elicere actum perfectae contritionis in ordine ad extremam unctionem suscipiendam, sed sufficeret ei motus attritionis. Et ex hoc ulterius apparet, quam sollicitos sese exhibere debeant sacerdotes de procurando infirmis hoc sacramento, quo adiuti tam facile possunt salutem aeternam consequi. Unde egregie concludit Benedictus XIV [5]: *Omnem operam conferat* (episcopus), *ut sui dioecesani, omni, si quo sint imbuti errore abiecto, sacram unctionem exposcant, statim ac ex morbi violentia se ad interitum vergere sentiunt, tempusque praeoccupent, quo, emota iam mente, nec sacramenti efficaciam agnoscere, nec illud eo devotionis affectu percipere valent, quem ad uberem eiusdem gratiam participandam requirit S. Thomas* [6].

8. — **Quaestio.** — *Utrum homo conscius peccati mortalis, possit aliquando, cum sola attritione, mediante extrema unctione, recipere remissionem peccati mortalis?*

Resp. Cum extrema unctio in hoc differat ab aliis vivorum sacramentis, ex qua parte respicit remissionem peccatorum mortalium, quod, per se, licet secundario, sit ordinata ad eorum remissionem, ideo dici potest hanc cum sola at-

[1] Tr. n. DE SS.MO EUCH. SACR., Vol. I, Quaest. LXXIX, art. 3, n. 3, p. 371. — [2] Tr. n. DE CONF., Quaest. LXXII, art. 7, n. 4, p. 349. — [3] Tr. DE EXTR. UNCT., Quaest. II, art. 1, 2ª Pars. — [4] Rit. Rom., tit. V, c. I, n. 2. — [5] De Syn. dioec., L. VIII, c. VII, n. 4. — [6] Cf. Can. 944 Cod. Iuris Can. Cf. etiam Rit. Rom. tit. V, c. I, n. 1.

tritione peragere, non solum sicut alia vivorum sacramenta, scilicet per accidens, ut cum quis ex bona fide cum sola attritione Eucharistiam recipit; sed etiam per se, quando scilicet peccatori clauditur ordinaria via ad sacramentum poenitentiae. At casus videtur hypotheticus, cum extrema unctio dari non debeat nisi homini in periculo mortis constituto [1], et praecise in mortis periculo sacerdotes omnes valide possint quoslibet poenitentes absolvere [2].

9. — **Quibusnam animi dispositionibus debeat infirmus hoc sacramentum suscipere.** — Quo autem fideles fructus huius sacramenti uberius percipiant, admonendi sunt ut illud cum viva fide, ac magna divinae bonitatis fiducia percipiant, peccata quae commiserint ex corde detestantes, seque et suas sortes in manibus Domini prorsus proiicientes, qui eorum animas, pretio sui sanguinis redemptas, ad felicitatis portum perducere potest.

Articulus III. — *Utrum parvulis usum rationis nondum adeptis conferendum sit sacramentum extremae unctionis.*

1. — **Ratio articuli.** — Quae hucusque disseruimus, respiciunt hominem adultum atque rationis compotem: nunc vero dubium oritur de parvulis usum rationis nondum adeptis atque de perpetuo dementibus, qui videlicet nunquam capaces fuerunt admittendi peccati, de quibus quaeritur utrum sacramentum extremae unctionis percipere valeant. — Ubi statim distingui debet quaestio de liceitate a quaestione de validitate; et quidem, quoad primam, quae hic potissima est, sic respondendum est

2. — PROP. — **Parvuli et ratione perpetuo carentes sacramentum extremae unctionis percipere non debent.**

3. — **Auctoritates.** — Imprimis, hac in re habetur Ecclesiae praescriptum [3]: *Extrema unctio praeberi non potest*

[1] Can. 940. — [2] Can. 882. — [3] Can. 940, § 1.

nisi fideli, qui post adeptum usum rationis ob infirmitatem vel senium in periculo mortis versetur.

Idipsum in Catechismo Romano ita exponitur [1]: *Omnes praeterea qui rationis usu carent, ad hoc sacramentum suscipiendum apti non sunt: et pueri, qui nulla peccata admittunt, quorum reliquias sanare huius sacramenti remedio opus sit; amentes item et furiosi, nisi interdum rationis usum haberent, et eo potissimum tempore pii animi significationem darent, peterentque ut sacro oleo ungerentur. Nam, qui ab ipso ortu nunquam mentis et rationis compos fuit, ungendus non est: secus vero si aegrotus, cum mente adhuc integra huius sacramenti particeps fieri voluisset, postea in insaniam et furorem incidit.*

3. — Ratio theol. — Revera, cum extrema unctio per modum spiritualis sanationis conferatur, nemo autem a Deo spiritualiter curetur, qui quodammodo non consentiat, hinc administrari hoc sacramentum non debet, nisi subiecto quod aliquando usum rationis habuerit et illud quodammodo percipere in votis habuerit. Quocirca, in iure etiam cautum est ut *infirmis qui, cum suae mentis compotes essent, illud* (sacramentum), *saltem implicite petierunt, aut verisimiliter petiissent, etiamsi deinde sensus vel usum rationis amiserint, nihilominus absolute praebeatur* [2].

4. — Solvitur tacita difficultas. — Obiicienti pueros, non secus ac adultos, infirmitatibus subiacere, facile *respondetur* has infirmitates in pueris non esse ex peccato actuali causatas, ita quod haberi possint tanquam reliquiae peccati, ad quas tollendas extrema unctio ordinatur. Nec dicatur pueros originaliter peccasse: nam remedium istud non datur contra reliquias peccati originalis, nisi secundum quod huiusmodi reliquiae quodammodo roborantur per actualia peccata, quae, ut diximus, in pueris non adsunt [3].

5. — Quaestio I. — *Utrum valida, etsi illicita, esset extrema unctio parvulis ac perpetuo dementibus collata?*

Resp. Affirmative: cum enim hoc sacramentum habeat

[1] P. II, c. VI de Extr. Unct., n. 9. — [2] Can. 943. — [3] S., Quaest. XXXII, art. 4, ad 1[m] et ad 2[m].

pro principali effectu *illam sospitatem, quae exeuntibus et iter ad gloriam agentibus est necessaria* [1], quae quidem sospitas, absolute loquendo, est independens a peccato actuali, ideo dicendum videtur, parvulum vel perpetuo dementem, si eis hoc sacramentum daretur, gratia eiusdem minime frustrari, sicut parvulus aut perpetuo demens, Eucharistiae gratia, si haec ei administretur, revera non frustratur.

6. — **Confirmatur**. — Idipsum constat praecise ex comparatione inter utrumque sacramentum, Eucharistiam scilicet et extremam unctionem, necnon ex modo quo de utroque sacramento in ecclesiasticis documentis sermo recurrit. Sic quippe, in Catechismo Romano, de Eucharistia legimus [2]: *Infantes idoneos non esse, qui accipiant et comedant, satis constat;* de extrema vero unctione [3]: *Ad hoc sacramentum suscipiendum apti non sunt... pueri, qui nulla peccata admittunt.* Pariter Angelicus ait [4]: *Hoc sacramentum exigit actualem devotionem in suscipiente, sicut et Eucharistia; unde, sicut Eucharistia non debet dari pueris, ita nec hoc sacramentum.* Atqui prohibitio dandi Eucharistiam pueris respicit liceitatem, non validitatem. Ergo, a pari prohibitio eisdem dandi extremam unctionem non validitatem, sed liceitatem proprie respicit.

7. — **Solvitur difficultas.** — Invalidum est aliquod sacramentum respectu ad eum cui non competit forma illius sacramenti. Atqui forma sacramenti extremae unctionis non competit pueris, quia non peccaverunt per visum et auditum, ut in forma exprimitur. Ergo invalidum est hoc sacramentum, si pueris administretur.

Resp. Mentio peccati, quae habetur in forma qua nunc Ecclesia utitur, de necessitate huius sacramenti non est, uti videre est in forma quae, approbante Ecclesia, in usu fuit in ecclesiis Mediolanensi et Veneta, quae ita legitur: *Ungo te oleo sanctificante, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti; ut more militis uncti, praeparatus ad certamen, aëreas ponis superare potestatis* [5].

[1] Ibid., art. 2, ad 2m. — [2] P. II, c. IV, n. 62. — [3] Ibid., c. VI, n. 9. — [4] S., Quaest. XXXII, art. 4. — [5] Formula haec apud Martène

8. — Quaestio II. — *Quid causae fuit ut parvulis prohiberetur dari Eucharistiam et extremam unctionem?*

Resp. Quantum ad Eucharistiam, ratio est quia hoc est sacramentum formaliter fervoris caritatis, cuius fervoris parvuli capaces non sunt, etsi possint percipere, ex opere operato, augmentum gratiae et caritatis in actu primo [1]; quantum vero ad extremam unctionem, cum hoc sacramentum formaliter ordinetur ad quamdam spiritualem curationem, quae pariter devotionem in suscipiente requirit, hinc illis qui *non possunt recognoscere et cum devotione suscipere hoc sacramentum, dari non debet*, ut ait S. Thomas [2], licet parvulus, hoc sacramentum suscipiens, gratia sanctificante non privetur, cum possit festivus Christo praemianti obviam fieri.

9. — Solvitur tacita difficultas. — Obiicienti, etiam in parvulis et perpetuo dementibus, salvari posse effectum secundarium sacramenti extremae unctionis, qui est sanitas corporalis, unde non solum valide, sed et licite administrari posset, — *respondetur* effectum hunc subordinari effectui principali, qui est sanitas vel curatio spiritualis, quatenus videlicet vita infirmo prolongetur, ut hic vel meritorum copiam adaugeat, vel pro admissis peccatis poenitentiam agat: quae duo in parvulis et perpetuo dementibus, quousque scilicet tales permanent, non verificantur: unde eisdem, nec in ordine ad salutem corporalem, fas est hoc sacramentum administrare.

10. — Corollarium. — Ex hac doctrina deducitur, carentiam peccati actualis in homine, non officere per se receptioni sacramenti extremae unctionis: ideoque non ex eo denegandum esse Beatissimam Virginem illud accepisse, quod nullum unquam admiserit peccatum, sed quia, ob suam al-

---

(De Ant. Rit., l. III c. XV, p. 583) ita legitu: *Ungo te oleo sanctificato, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti; ut more militis uncti, praeparatus ad luctam, possis aëreas superare catervas.*

[1] Cf. tr. n. DE SS.MO EUCH. SACRAM., Vol. I, Quaest. LXXX, art. 9, n. 5, p. 466 — [2] Supplem., Quaest. XXXII, art. 3.

tissimam Matris Dei dignitatem, et genus specialissimum mortis quo ad gloriam est ingressa, rem huius sacramenti, ex altiori principio, absque sacramento, sibi divinitus collatum habuerit [1].

Articulus IV. — *Utrum hoc sacramentum sit solis infirmis administrandum.*

1. — **Ratio articuli.** — Ex eo quod S. Iacobus, de extrema unctione loquens, expresse dixerit [2]: *Infirmatur quis in vobis*, aperte significavit, ob eam rem institutum fuisse hoc sacramentum, ut non modo animae, sed etiam corpori medicinam afferret. Cum igitur illi tantummodo curatione indigeant, qui morbo laborant, hinc planum est inferre, solis infirmis hoc sacramentum esse administrandum, et ab eo percipiendo illos excipi, qui sano et firmo sunt corpore. Quapropter, sicut ille solus potest baptismum suscipere, qui corporalis ablutionis est capax, non autem puer in ventre matris ita existens, ut illum aqua attingere non valeat; ita sanis corpore sacramentum hoc dari non debet, quod pro graviter aegrotis formaliter est institutum [3]. — At, quaestio nunc est, quinam sic infirmi sint dicendi, ut eis solis debeat sacramentum extremae unctionis conferri.

2. — PROP. — **Sacramentum extremae unctionis dari valide non potest, nisi infirmis periculose decumbentibus.**

3. — **Auctoritas.** — Sic quippe legimus in Concilio Florentino [4]: *Hoc sacramentum, nisi infirmo de cuius morte timetur, dari non debet.* Similiter in Concilio Tridentino [5]: *Declaratur esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero praesertim qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitae constituti videantur: unde et sacramentum exeuntium nuncupatur* [6]. — Ubi quod dicitur *praesertim* satis innuit, generaliter loquendo, expectari non debere, ut sacramentum detur,

[1] Cf. tr. de B.ma Virg. Maria Matre Dei, P. II, c. I, art. 5, n. 9, p. 264. — [2] Iac., V, 14. — [3] S., Quaest XXXII, art. 1. — [4] Decret. pro Arm. — [5] Sess. XIV, cap. 3. — [6] Cf. can. 940.

usquedum de infirmi vita desperetur. Quod autem haec fuerit constans Ecclesiae praxis, sat clare apparet ex Patrum scriptis, necnon ex libris ritualibus [1].

4. — **Ratio theol.** — Equidem, si hoc sacramentum institutum fuisset formaliter per modum medicinae corporalis, quasi habens pro principali effectu sanitatem corporalem, omnibus utique infirmis promiscue posset conferri, quia quanto dignius est remedium, tanto debet esse generalius; sed, ut diximus, principalis illius effectus est sospitas, quae exeuntibus et iter ad gloriam agentibus est necessaria; et ideo vocatur sacramentum extremae unctionis; unde est tanquam ultimum remedium quod Ecclesia potest conferre, quasi immediate disponens ad gloriam. Quapropter, illis tantum infirmantibus debet exhiberi, qui sunt in statu exeuntium, propter hoc quod aegritudo nota est inducere mortem, et de vitae periculo timetur [2]. Unde in conferendo hoc sacramento, non tam ipsa infirmitas pensitanda est, quam gradus et modus infirmitatis: quaedam enim sunt aegritudines, quae vitae periculum minime inducunt, etsi per longius tempus protrahantur.

5. — **Scholion.** — Ex quibus facile deduci potest quaenam, ex mente Ecclesiae, norma tenenda sit relate ad huius sacramenti collationem. Nimirum, ad sacramentum rite conferendum, hinc quidem infirmus ita graviter decumbere debet, ut de eius sanitate recuperanda serio timeatur; illinc vero non est deferenda illius administratio ad tempus quo infirmus, omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere coeperit: quod quidem de proposito facere gravissimum peccatum vocat Catechismus Romanus [3]. — In praxi, valet illud Pii XI [4]: *Ut sacramentum* (extremae unctionis) *valide liciteque detur, necesse* (non) *est ut mors proxime secutura timeatur, sed satis est ut prudens seu probabile adsit de periculo iudicium.*

[1] Cf. Martène, de ant. Eccl. rit., l. I, l. II, c. VII, art. 1. — [2] S., Quaest. XXXII, art. 2. — [3] P. II, c. VI, de Sacr. Extr. unct., n. 18. — [4] Litterae Apost. *Explorata res est*, 2 Febr. 1923, Acta Ap. Sedis, vol. XV, p. 105.

6. — Quibusnam negari hoc sacramentum debeat. — Ex hoc quoque sequitur, nemini qui gravi morbo affectus non sit, sacramentum unctionis dari licere, tametsi vitae periculum adest, *vel quia periculosam navigationem paret, vel quia praelium initurus sit, a quo certa mors illi impendeat, vel etiam capitis damnatus ad supplicium raperetur* [1]. — *Licet aliqui*, ita S. Thomas [2], *sint in statu propinquo mortis, etiam absque infirmitate, ut patet in his qui damnantur ad mortem, qui tamen spiritualibus effectibus huius sacramenti indigerent, non tamen exhibendum est nisi infirmanti, cum sub specie corporalis medicinae exhibeatur, quae non competit nisi corporaliter infirmato.*

E contra ungendi sunt veneno infecti, aut letaliter vulnerati; quia licet vi ab extrinseco illata infirmentur, vere tamen sunt infirmi; denique, negandum non est sacramentum iis qui, subito oppressi, petere non potuerunt, si quidem catholicam profiteantur religionem: praesumuntur enim id actu desiderare, si possent [3]; aliunde ex Rituali Romano satis est quod infirmi sacramentum *verisimiliter petiissent* [4].

7. — Solvuntur tacitae difficultates. — Quod si qua, ex antiquis monumentis, aliud praeseferre videntur, hoc, ait Perrone [5], vel ex speciali divino instinctu potest repeti, vel ex ignorantia, vel demum ex eadem ratione, qua senes interdum inungi consueverunt. Senectus enim ipsa est morbus, eoque gravior, quo certius ac citius mortem allatura est, iuxta illud Tullii [6]: *Sicut sua sponte, nulla adhibita vi, consumptus ignis exstinguitur, et quasi poma ex arboribus,.., si sunt matura et cocta decidunt, sic senibus vitam aufert maturitas.*

Quod vero attinet ad Graecorum, aliorumque Orientalium praxim sanos ac bene valentes inungendi, dicendum est illos, in hoc ritu, non proprie sacramenti administrationem, sed caeremonialem quamdam unctionem, devotionis causa, frequentare, ut scite ostendit Renaudot, qui praeterea advertit, presbyteros orientales, cum sanos inungunt, omit-

[1] Cat. Rom., l. cit., n. 19. — [2] L. IV, C. Gent.., c. 73. — [3] Billuart. de Extr. Unct.. art. VI. — [4] Can. 943. — [5] Tr. de Extr. unct.. c. II, n. VI. — [6] L. de Senect., c. 20.

tere illas orationes quas super aegrotos, dum sacramentalem unctionem conferunt, recitare consueverunt [1].

8. — **Quaestio** — *Utrum licite possit sacramentum extremae unctionis homini apparenter mortuo administrari?*

Resp. Quaestio haec quae hisce ultimis annis plurimum agitata fuit [2], ad hoc demum reducitur, utrum, in dubio de alicuius hominis morte, possit ei hoc sacramentum, et idem dicatur de absolutione sacramentali, servatis utique servandis quoad praesumptas decumbentis dispositiones, licite administrari. In quo tota quaestio, uti patet, pendet a natura dubii: si enim validae sint rationes ob quas retinendum sit hominem, apparenter mortuum, revera tamen adhuc vivere, vita utique interius tantummodo, in microorganismo restricta et concentrata, utique poterit extrema unctio, sub conditione, administrari [3]. At quandonam habetur tale fundatum dubium? Hoc opus, hic labor.

Sane, si non sola membrorum rigiditas, sed etiam corruptio seu putrefactio decumbenti insederit, utique iudicari tuto poterit mortem certo insedisse: citra tamen hoc signum, contendunt modernorum plures, cum Ferreres [4], in morte non solam violenta, sed etiam naturali, postquam infirmus animam *videtur* exhalasse, revera tamen illam adhuc in corpore per aliquod tempus, in statu videlicet latenti, subsistere. Quod quidem probare nituntur isti auctores, adductis quibusdam factis, plus minusve authenticis, de hominibus, tanquam mortuis habitis, quos tamen postea deprehensum est adhuc viventes fuisse sepultos

[1] T. v Perpétuité de la foi, l. v, c. 3; Goar, in Euchologio, pp. 432, 728. — [2] De hac re primus ex professo egit P. I. B. Ferreres, S. I. in opere *de morte reali et morte apparente*, quod in plures linguas versum est. Extat signanter italica versio a Doct. I B. Geniesse, curata, sub titulo, *La morte reale e la morte apparente, in relazione ai sacramenti, alla frequenza delle inumazioni premature, ai mezzi per rianimare i presunti morti, e per isfuggire al pericolo di esser sepolti vivi*. Roma, 1908. De hoc argumento egimus in tr. n. de Sacramentis in communi, Append. II ad quaest. LXIV, p. 261, item in opusc. de anima humana tanquam forma substant. corporis. — [3] Cf. Can. 941. — [4] Op. cit.

Ut sententiam nostram, in re valde implexa et nondum Sanctae Sedis iudicio dirempta, aperiamus, sequentes ordinatim subnectimus animadversiones, doctiorum iudicio cribrandas.

9. — In quibusnam casibus vita latens admitti potest. — Primo quidem, quod vita, interdum, post ultimum exhalatum spiritum, adhuc latenter in homine perseveret, ambigendum non est, cum ultimi spiritus exhalatio non sit certum aut unicum mortis indicium: enimvero, tum in morte violenta, puta per submersionem in aquis aut suffocationem, tum in quibusdam naturalibus morbis, qui statum catalepticum inducunt, haud raro potest, congruis adhibitis mediis, maxime linguae tractione, apparenter mortuus ad vitam revocari. In his ergo casibus poterit, utique sub conditione, quemadmodum absolutio, ita extrema unctio dari, cum fundata adsit praesumptio, hominem vita adhuc labenter informari.

10. — Sententia de latente vita in homine, post ultimi spiritus exhalationem, ordinarie loquendo figmentum est. — Utrum vero in ordinariis infirmitatibus, puta quae ex diuturna phthysis consumptione, ex cancro, ex nervorum debilitate aut senio, idipsum possit decerni, valde dubitandum est, cum in huiusmodi casibus, separatio animae a corpore, ut plurimum, gradatim omnino praeparetur, unde non est cur dubitari debeat mortem eo evenire momento, quo spiritus exhalatur, et facies velo quodammodo videtur obduci.

Ceterum, quod spiritus exhalatio, quam vulgus solet tanquam mortis indicium accipere, revera, ordinarie loquendo, pro vero obitus signo sit reputanda, ex modo etiam loquendi Sacrae Scripturae confirmari potest, in qua obitus aut mors per spiritus emissionem significata iterum iterumque legitur. Quinimmo, resurrectiones a Domino nostro causatae [1], si unam Lazari excipias, itemque illae ab Apostolis patratae [2], aut etiam quas legimus, in Ecclesiae annalibus, a pluribus Sanctis fuisse completas, statim, vel quasi statim post mortem evenisse perhibentur, ita ut sat aperte detur intelligi, ho-

[1] Marc., V, 41; Luc., VII, 12. — [2] Act., IX, 40; XX, 10.

minem tunc tanquam mortuum habitum communiter fuisse, cum ab adstantibus videretur ultimum reddidisse anhelitum. Sane, si illi revera mortui non fuerint, iam veritas illorum resuscitationis corruit, corruit veritas plurium miraculorum Christi et Ecclesiae.

11. — Adnotandum circa mortem Domini nostri. — Sed et non aliter ad Evangelistis ipsa Domini Nostri Iesu Christi mors designatur, nisi per hoc verbum *emisit*, aut *tradidit spiritum*, ut referunt S. Matthaeus [1] et S. Ioannes [2], vel, ut habent sancti Marcus [3] et Lucas [4], *exspiravit*.

Circa quod praetereundum omnino non est quod apud S. Marcum legimus [5], nempe Pilatum, cum a Ioseph ab Arimathaea de corpore Iesu sibi donando rogatus fuisset, miratum esse si *iam obiisset. Et accersito centurione, interrogavit eum, si iam mortuus esset. Et cum cognovisset a centurione, donavit corpus Iesu*, scilicet ut sepeliretur [6].

En igitur hic habemus Iesum, qui utpote de Spiritu Sancto conceptus omnisque aegritudinis exspers, perfectissimae certe, sanissimae atque fortissimae erat complexionis, nihilominus tanquam vere mortuum reputatum fuisse, brevi postquam emiserat spiritum, adeo ut, dubitans, miraretur praeses. Iamvero, ad quodnam criterium recurrit ille, ut dubium hoc dilucidaret? Num ad peritum medicum, num ad sapientem archiatrum? Minime gentium, verum ad centurionis testimonium, viri scilicet simplicis ac medicinae artis et philosophiae subtilitatum inexpertis. Quod si huic testimonio, in relatione ad Evangelistae verba, *exspiravit*, vel *emisit spiritum*, innititur totius Ecclesiae fides de veritate mortis Domini nostri, cur ad aliud criterium recurrendum erit, cum sermo est de ceterorum hominum morte?

12. — Testimonium Ecclesiae. — Nec aliter certe momentum transitus animae designat Ecclesia, dum in *Ordine commendationis animae* haec habet [7]: *Cum vero tempus exspi-*

[1] XXVII, 50. — [2] XIX, 30. — [3] XV, 37. — [4] XXIII, 46. — [5] XV, 43, seq. — [6] Circa relationem huius eventus cum perforatione lateris Christi ex parte militis, cf. op. n. Diatess., Sect. CCCXLII. Quaest. III. Vol. IV, p. 201. — [7] Tit. V, cap. 8, n. 1.

randi institerit, tunc maxime... orationi instandum est; et postea [1]: *Egressa anima de corpore, statim dicatur*, etc.; ubi evidenter insinuat Ecclesia, mortis tempus illudmet esse, quod communiter ab omnibus reputatur, dum videlicet halitus omnisque vitalis motus in moribundo defecerit.

13. — **Relatio animae ad corpus.** — Porro, ad huius rei intelligentiam, sciendum est animam rationalem, quae quidem formaliter una, virtualiter tamen simul sensitiva est et vegetativa, utpote perfectissimam inter formas materiae unibiles, postulare ut non cuicumque, sed nobiliori et sufficienter organizatae materiae, uniatur: qua de causa, cum S. Thoma tenendum est illam non statim a foetus conceptione, sed tantummodo cum hic sufficienter organizatus fuerit, uniri [2]. Quocirca dicendum quoque est illam a corpore separari, quando iam organizatio dissolvitur, quod est quando vires cordis et cerebri, quae tanquam praecipuae functionum sedes habentur, ita dissolvuntur, ut in eis vita amplius explicari nequeat: cuius dissolutionis indicium est, ordinaria lege, animae exhalatio cum pulsationis cessatione.

14. — **Solvitur tacita difficultas.** — Nec obstat vitales quosdam motus, post exspirationem, in corpore interdum deprehendi: dici enim potest huiusmodi aliud non esse, nisi residuos ex praecedenti sanguinis circulatione motus, cum non sit necesse statim, post separationem animae a corpore, omnem motum penitus cessare, qui proinde non sunt accipiendi tanquam certa signa vitae latentis: aliunde casus qui ab auctoribus adducuntur, ad probandum homines saepe vivos inhumari, praeterquam quod ex incertis fontibus, quales sunt ephemerides, ut plurimum, hauriuntur, si comparentur ingenti numero hominum qui quotidie moriuntur, paucissimi revera deprehenduntur, et certe haudquaquam sufficientes existunt, ex quibus conclusio stabiliatur quam auctores praedicti propugnare praesumunt, mortem videlicet realem, generaliter loquendo, nonnisi post notabile temporis intervallum, morti apparenti succedere.

[1] Ibid., n. 3. — [2] Cf. L'Opera dei sei Giorni, P. II, c. VI, n. 11; tr. n. de prima hominis formatione. Append. ad Quaest. XC, p. 36.

15. — Novitas huius sententiae. — Ceterum, neminem effugere potest, sententiam hanc, quam impugnamus, novitatem ita sapere, ut ad minus tanquam suspecta haberi debeat. Enimvero, an putandum est Ecclesiam, quae a Spiritu Sancto edocta est et ab eius ductu constanter regitur, per tot anteacta saecula, nihil de praefata distinctione suspicatam fuisse, et permisisse ut infiniti homines beneficio sacramenti extremae unctionis privarentur, qui utique hoc sacramentum suscipere potuissent, semel ac pastoribus hoc factum innotuisset, videlicet homines, post mortem apparentem per aliquod temporis spatium adhuc vivere? Certe, quoties de re cum dogmate intime connexa agitur, sententiae novellitas praesumptionem contra eamdem facere iure meritoque censetur.

16. — Conclusio. — Concludendum igitur, sacrorum ministris, praeprimis, potius quam praedictorum auctorum gratuitas assertiones, prae oculis haberi debere illud Ritualis Romani [1]: *Si dum inungitur, infirmus decedat, presbyter ultra non procedat, et praedictas orationes omittat. Quod si dubitat an vivat adhuc, unctionem prosequatur, sub conditione pronuntiando formam:* SI VIVIS, PER ISTAM SANCTAM UNCTIONEM, etc. Deinde, a praxi per tot saecula vigente ne discedant, nisi accedente Ecclesiae iudicio, cuius est hac in re, sicut in omnibus quae ad dogma vel moralem christianam spectant, viam indigitare quam sequi debeamus, maxime cum praxis, quam auctores illi introducere vellent, scilicet absolutionem et extremam unctionem iis qui mortui videntur, generatim conferendi, multorum desidiae fovendae conferat, qui horum sacramentorum collationem negligenter, cum magno suae et aliorum salutis detrimento aut periculo, differunt.

Quae cum ita sint, pastorum grave munus est, ut si interdum censuerint hominem recens, ut apparet, e vivis ereptum, absolutione vel extrema unctione communire, adstantes commonendi, id se conditionate facere, scilicet, si ille vivat, quod certum non est, sed ad summum possibile, eosdem vero et pro se et pro sibi coniunctis aut proximis curare

[1] Tit. V, c. 1, nn. 11, 12.

debere ut moribundorum sacramenta dum adhuc sensibus utuntur, percipiant, eosque gravis peccati reos effici, si id muneris praetermiserint.

Articulus V. — *Utrum convenienter determinentur partes corporis ungendae.*

1. — Cur totum corpus inungi non debeat. — Antequam proposito dubio directe respondeatur, advertere oportet, iuste in Ecclesiae ritu contineri, ut non totum corpus infirmi, sed aliquae tantum determinatae partes inungantur. Huiusmodi enim sacramentum exhibetur per modum curationis: curatio autem corporalis non oportet quod fiat per medicinam toti corpori appositam, sed illis tantum partibus, in quibus est radix morbi; unde etiam unctio sacramentalis debet fieri in illis partibus tantum, in quibus est radix spiritualis infirmitatis [1]. In quo quidem invenitur differre collatio huius sacramenti a collatione baptismi, quae interdum fit per immersionem totius corporis: sanatio enim, quam infert baptismus, fit per modum ablutionis; ablutio autem corporalis ad totum corpus pertinet: unctio vero, per quam administatur hoc sacramentum, in determinata corporis parte perficitur.

Hoc vero eo vel magis dicitur, quod anima, licet sit tota in qualibet parte corporis quantum ad essentiam, tamen quantum ad potentias, quae sunt radices actuum peccati, habet esse in determinatis partibus: unde consequentia prodit, non totum corpus, sed quasdam illius partes inungi debere [2]. — Quae cum ita sint, quaeritur modo qnaenam partes, et quanam convenientiae ratione, inungi debeant.

2. — PROP. — Extrema unctio convenienter fit in quinque sensibus et in pedibus.

3. — Auctoritates. — Ex Concilio Florentino [3], necnon ex Rituali romano [4], abunde resultat huius propositionis veritas: ubi ex eodem Rituali advertendum est, iamdiu prae-

[1] S., Quaest. XXXII, art. 5. — [2] Loco cit., ad 1[m] et 3[m]. — [3] Decr. pro Arm. — [4] Tit. V, c. 2.

scriptum fuisse ut renum unctio, in mulieribus, honestatis gratia, semper omitteretur, in viris vero, quoties infirmus commode moveri non posset: nunc autem semper omittenda est. Praesentem scilicet Ecclesiae disciplinam exhibet sequens canon [1]: *Unctiones verbis, ordine et modo in libris ritualibus praescripto, accurate peragantur; in casu autem necessitatis, sufficit unica unctio in uno sensu seu rectius in fronte cum praescripta forma breviori. salva obligatione singulas unctiones supplendi. cessante periculo. — Unctio renum semper omittatur. — Unctio pedum ex qualibet rationabili causa omitti potest. — Extra casum gravis necessitatis, unctiones ipsa ministri manu nulloque adhibito instrumento fiant.*

4. — **Ratio theol.** — Huius autem rei pulcram assignat Angelicus rationem [2]. Principia peccandi, ait, in nobis sunt eadem, quae et agendi principia, quia peccatum consistit in actu. Atqui agendi principia in nobis tria sunt: primum est dirigens, scilicet vis cognoscitiva; secundum est imperans, scilicet vis appetitiva; tertium est exequens, scilicet vis motiva. Omnis autem nostra cognitio a sensu ortum habet; et quia ubi est in nobis prima origo peccati, ibi debet medicina adhiberi, ideo inunguntur loca quinque sensuum, qui sunt velut instrumenta a natura homini insita; scilicet, oculi propter visum, aures propter auditum, nares propter odoratum, os propter gustum vel sermonem, manus propter tactum qui, tametsi toto corpore aequaliter fusus sit, tamen in ea parte praecipue viget. Similiter, propter vim appetitivam, inunguntur aliquibus renes: nunc vero, renum unctio, ut dictum est, omittitur. Denique, propter vim motivam, inunguntur pedes, qui sunt principalius eius instrumentum. Ergo, licet malum culpae per totum corpus animae quodammodo derivetur, convenienter tamen illis membris curatio adhibetur, a quibus, tanquam a fonte et origine, morbus manat: idcirco, non totum corpus inungitur, sed ea membra, in quibus potissimum sentiendi vis eminet, renes quoque, veluti voluptatis atque libidinis sedes, demum pedes, qui ad locum movendi principium sunt [3].

[1] 947, § 1, 2, 3, 4. — [2] Loco cit., art. 6. — [3] Cat. Rom., P. II. c. VI, de Extr. unct., n. 21.

5. — **Unctio quinque sensuum non est de necessitate sacramenti.** — Sciendum tamen, praedictas unctiones non esre de necessitate sacramenti, ita quod,una vel altera deficiente, sacramentum desit; quod dicitur, non solum relate ad renum et pedum unctiones, quas omnes admittunt necessarias non esse, sed etiam quoad quintuplicem sensuum unctionem, contra plures eximios theologos, huiusmodi quintuplicem unctionem ad sacramenti validitatem exigentes [1]. — Nimirum, cum Benedicto XIV [2] retineri potest, validam esse extremam unctionem, si vel una corporis pars inungatur, quatenus nempe essentialiter salvari possit sacramenti significatio. Porro, sacramenti significatio, id est curatio spiritualis, essentialiter salvatur per unam unctionem factam in una vel altera ex principalioribus corporis partibus, quae censeri possit radix et origo mali in homine: puta, in pectore, iuxta illud Domini nostri [3]: *De corde exeunt cogitationes malae*, et maxime in capite, cum omnem cogitationem comitetur imaginatio quaedam [4].

6. — **Confirmatur.** — Roboratur autem haec veritas ex magna varietate quam, testibus variis ecclesiarum libris ritualibus necnon episcoporum ordinationibus, non dissentiente Ecclesia Romana, anteactis temporibus viguisse novimus, quam varietatem ipse testatur Beatus Albertus Magnus et occidentalis simul ac orientalis Ecclesiae documenta comprobant. Alicubi quippe plures, alicubi vero pauciores partes inungebantur et adhuc inunguntur. Sed et interdum una tantum pars inuncta fuit, ut constet ex vita S. Eugendi, cuius pectus tantum fuit inunctum. De eo sequentia legimus [5]: *Cum ultra sexagenariam aetatem, fere sex mensibus praedictus Pater inaequalitate corporea laboraret.... vocato uno*

[1] Cf. B. Bellarmin., De Extr. Unct., c. X; Billuart vero, art. II, de mat. extr. unct., § II, contra Gonet, probabiliter censet validum esse sacramentum, si quinque sensus ungantur sub una forma illos distincte exprimente. — [2] De Syn. dioec., l. VII, c. 3, n. 2. — [3] Matth., XV, 19. — [4] In praxi tamen tenendum est praescriptum Ecclesiae superius indicatum, n. 3. — [5] In Vita, apud Mabillon, Acta SS. O. S. B.

ad se de fratribus, cui cum libertate peculiari olim etiam perungendi infirmos opus iniunxerat, secretissime quoque sibi pectusculum petiit, ut moris est, perungi. In libro vero sacramentorum S. Gregorii Magni, post recitatas tres orationes ad ungendum infirmum, dicitur: *Postea faciat ei signum crucis in capite de oleo benedicto.*

Denique, satis sit advertisse, S. Iacobum nullam in specie unctionem praescripsisse, cum simpliciter et indeterminate dixerit: *Ungentes eum*; quapropter etiam in forma, quam in casu necessitatis adhibendam approbavit S. Congregatio S. Officii, nulla fit de speciali unctione mentio [1].

7. — Solvuntur tacitae obiectiones. — Obiicienti, a Concilio Florentino [2], requiri septem unctiones, — facile *respondetur*. decretum illud ad disciplinam pertinere, cui tamen, Ecclesia probante, derogari possit. Cum enim, fatentibus communiter theologis, duae saltem unctiones, pedum scilicet et renum, minime pertineant ad essentiam sacramenti, imo cum renum unctione omnino dispensetur, perperam ex Concilii verbis inferretur omnes quinque sensuum unctiones ad sacramenti validitatem requiri. — Nec magis cogunt Angelici verba, aientis unctionem quae fit ad quinque sensus, esse *quasi de necessitate sacramenti* [3]: haec enim verba referuntur non ad quinque sensus, ut sic et absolute, sed habito respectu ad unctionem pedum et renum, quasi unctio sensuum, prae istis unctionibus, ad sacramentum pertineant, quidquid tandem de singulorum sensuum teneatur, de quo nihil decernit Angelicus. — Pariter perperam in contrarium adducitur S. Bonaventurae auctoritas, cum ad extremae unctionis integritatem requirit septem unctiones [4]: aliud quippe est integritas, aliud essentia.

8. — Quaestio. — *Utrum mutilati debeant inungi in dictis partibus?*

Respondet Angelicus, mutilatos etiam inungi debere, quanto propinquius fieri potest ad partes illas in quibus

[1] Vide supra, Quaest. II, art. 2, n. 13. — [2] Decret. pro Arm., D.-B., n. 700. — [3] S., Quaest. XXXII, art. 6, — [4] In Brev., P. VI, c. 11.

unctio fieri debuerat; quia quamvis non habeant membra, habent tamen potentias animae, quae illis membris debentur, saltem in radice; et interius peccare possunt per ea quae ad partes illas, pertinent, quamvis non exterius. Quapropter, caecus a nativitate, exempli gratia, licet per visum non deliquerit, oculorum tamen unctionem in palpebris accipere debet, ad delendas illorum peccatorum reliquias, quas per interiorem visum contrahere potuit [1].

9. — Quaestio. — *Quandonam extrema unctio producit gratiam?*

Respondet S. Thomas quod, cum extrema unctio successivis unctionibus constet et administretur, et quando sunt multae unctiones ordinatae ad unum effectum, ultima est formalis respectu omnium praecedentium et agens in virtute earum, cum aliunde putandum non sit virtutem sacramenti dividi per singulas unctiones, — hinc percipitur gratia in ultima unctione, qua essentialiter completur sacramentum [2]. — At hoc Angelicum protulisse in hypothesi quod omnes unctiones necessariae sint, evidenter patet: cum autem una tantum unctio absolute sit necessaria, et aliquando incertum maneat utrum aliae unctiones locum sint habiturae, cum vero sacramenti virtus ab incerta conditione pendere non possit, ideo melius dicitur, in prima unctione, sacramentum hoc effectum suum producere.

Articulus VI. — *Utrum hoc sacramentum debeat iterari.*

1. — Ratio articuli. — Sacramentorum alia sunt quae, cum characterem imprimant, iterari non possunt, ut sunt baptismus, confirmatio et ordo; alia vero quae iterantur, ut Eucharistia et poenitentia. Quaestio igitur nunc est utrum, et qua ratione extrema unctio possit iterari: qua in re, antiquitus erratum fuisse perhibetur: nonnullis olim libris ri-

[1] S., Quaest. XXXII, art. 7. — [2] S., Quaest. XXX, art. 1, ad 3m.

tualibus praescribentibus ut infirmi, vita periclitantes, per septem continuos dies, Christi corpore foret recreandi et santo oleo pariter perungendi [1]. — Contra, sit

2. — PROP. — α) **Sacramentum extremae unctionis iterari potest β) pro diversa infirmitate, aut diverso eiusdem infirmitatis statu.**

3. — **Auctoritates.** — Veritas haec in Tridentino Concilio ita proponitur [2]: *Quod si infirmi, post susceptam hanc unctionem, convaluerint, iterum huius sacramenti subsidio iuvari poterunt, cum in aliud simile vitae discrimen inciderint.* — In Iure autem ita praescriptum legimus [3]: *In eadem infirmitate hoc sacramentum iterari non potest, nisi infirmus post susceptam unctionem convaluerit et in aliud vitae discrimen inciderit.*

4. — **Prob. 1ª Pars.** — Nullum sacramentum aut sacramentale quod habet effectum perpetuum debet iterari, quia ostenderetur sacramentum vel sacramentale non fuisse efficax ad producendum illum effectum, et sic illi ritui fieret iniuria. Sic, verbi gratia, unctio hominis in sacerdotem, aut etiam unctio lapidis ad altaris consecrationem, iterari non potest, quia illa quidem est perpetuo in homine, et haec est perpetuo in lapide quamdiu altare manet. At vero, sacramentum quod habet effectum non perpetuum potest iterari sine iniuria, ut effectus deperditus iterato recuperetur. Porro, sacramentum extremae unctionis est quaedam spiritualis curatio per modum curationis corporalis exhibita. Igitur, quia sanitas corporis et mentis potest amitti postquam fuerit per sacramentum effecta, ideo potest hoc sacramentum sine iniuria iterari [4].

5. — **Solvitur tacita difficultas.** — *Obiicienti* hanc unctionem dici extremam, ideoque non debere iterari, — *respondetur*, id quod secundum aestimationem hominum est

[1] Bened. XIV, De Syn. dioec., l. VIII, c. VIII, n. 4. — [2] Sess. XIV, cap. 3. — [3] Can. 940, § 2. — [4] S., Quaest. XXXIII, art. 1.

extremum, quandoque secundum rei veritatem non esse extremum; et sic dicitur hoc sacramentum *extrema unctio*, non quod iterari omnino non debeat, sed quia dari non debet, nisi illis quorum mors est propinqua secundum aestimationem hominum [1].

6. — Prob. 2ª Pars. — Sacramentum extremae unctionis non respicit tantum infirmitatem, sed etiam infirmitatis statum; quia non debet dari nisi infirmis, qui secundum humanam aestimationem videntur morti appropinquare. Porro, infirmitatum quaedam non sunt diuturnae, aliae vero longo tempore perdurant; unde si, in prioris generis morbis homini detur hoc sacramentum, quando ad statum illum pervenit quod sit in periculo mortis, quia ab illo statu non recedit, nisi infirmitate curata, ideo non debet homo iterum inungi; poterit tamen alia inunctio fieri, si recidivum patiatur, ex quo alia nascetur infirmitas. In aegritudine autem diuturna, ut est hectica, hydropisis, et huiusmodi, non debet fieri unctio, nisi quando infirmus videtur ad mortis periculum perduci: quod periculum si evadat, etiam eadem infirmitate durante, postea vero ad similem statum per illam aegritudinem reducatur, iterum poterit inungi, quia iam erit quasi alius infirmitatis status, quamvis non sit alia infirmitas simpliciter. In utroque videlicet casu, peccatorum reliquiae ab infirmo contrahuntur, contra quas principaliter hoc sacramentum datur, ideoque iterari potest [2].

7. — Quaestio I. — *Utrum hoc sacramentum imprimat characterem?*

Resp. Negative, ut patet ex hoc quod hoc sacramentum iteratur: nullum vero sacramentum imprimens characterem iteratur. — Ad quod intelligendum, sciendum est quod character non imprimitur, nisi in illis sacramentis, quibus homo ad aliquid sacrum deputatur, et sic distinctionem status accipit quantum ad ea quae in Ecclesia sunt agenda. Extrema

[1] Ibid., ad 2ᵐ. — [2] S., Quaest. XXXIII, art. 2. Cf. etiam Catech. Rom., P. II, c. VI de Extr. unct., n. 22. Doctrina haec convenit cum verbis Iuris modo recitatis, n. 3.

unctio vero est solum in remedium, et per ipsam non deputatur homo ad aliquid sacrum agendum vel suscipiendum, sicut in unctionibus quae fiunt in ordine et confirmatione, quibus homo ad aliquid sacrum deputatur: unctio vero huius sacramenti est unctio formaliter medicationis [1].

8. — Quaestio II. — *Utrum extrema unctio ab infirmo suscipi debeat post acceptum viaticum?*

Resp. Servanda est Ecclesiae catholicae consuetudo, ut ante extremam unctionem, poenitentiae et Eucharistiae sacramenta infirmis administrentur [2], licet non semper hic ordo universaliter in Ecclesia viguerit, cum interdum ante viaticum, quibusdam in locis, et, ut ait Benedictus XIV [3], apud Cistercienses, etiam hodie conferri consueverit [4].

[1] S., Quaest. XXXIII, art. 3. — [2] Cat. Rom., l. cit., n. 23. — [3] De Synodo dioec., l. VIII, c. 8, n. 1. — [4] Cf. B. Bellarm., l. II de arte bene moriendi, c. 7.

QUAESTIO QUINTA.

(S., XXXI).

DE MINISTRO EXTREMAE UNCTIONIS.

PROLOGUS.

Ratio et ordo quaestionis. — Cum sacramenta omnia tribus perficiantur, scilicet, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia [1], restat ut de ministro sacramenti extremae unctionis agamus, de cuius ratione est ut non agat secundum propriam formam aut virtutem, quod pertinet ad agens principale, sed secundum virtutem eius a quo movetur: instrumento enim competit moveri a principali agente ad effectum ab hoc intentum. — In praesenti autem argumento, duplex quaestio moveri potest: una, respiciens qualitatem ministri (1); altera, respiciens ministrorum numerum (2).

Hinc duo hic investiganda proponuntur.

Primo. Utrum ad presbyterum pertineat administrare sacramentum extremae unctionis.

Secundo. Utrum hoc sacramentum a pluribus presbyteris debeat ministrari.

Articulus I. — *Utrum ad presbyterum pertineat administrare sacramentum extremae unctionis.*

1. — Error. — Cum haereticorum plurimi praefracte negaverint extremam unctionem esse verum sacramentum, et verba S. Iacobi de sola corporum sanatione per charisma curationum acceperint, pronum ipsis fuit inferre cunctis pro-

[1] Conc. Flor., in Decreto pro Arm.

miscue fidelibus, qui hoc donum possedissent, competere infirmos oleo inungere. Alii vero, cum Basnagio [1] et Launoio, contenderunt, interdum a diaconis, immo vel ab ipsis laicis, in necessitatis casu, hoc sacramentum fuisse administratum. — Contra quos, sit

2. — PROP. — **Ad presbyteros proprie pertinet administrare sacramentum extremae unctionis.**

3. — **Auctoritas.** — Haec veritas ita in Concilio Tridentino declaratur [2]: *Ostenditur illic* [3], *proprios huius sacramenti ministros esse Ecclesiae presbyteros, quo nomine, eo loco, non aetate seniores aut primiores in populo inlelligendi veniunt, sed aut episcopi, aut sacerdotes ab ipsis rite ordinati per impositionem manuum presbyterii* [4].

4. — **Sacra Scriptura.** — Clare autem eruitur haec veritas ex citatis S. Iacobi verbis: *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiae*, etc. Atqui per vocem *presbyteros* non intelliguntur, ut volunt haeretici, seniores populi, scilicet aetate aut civili dignitate, sed homines sacerdotio initiati, ut ex sequentibus clare patescit. Imprimis enim observandum est S. Iacobum non dicere simpliciter presbyteros, sed presbyteros Ecclesiae, aperte significans se homines designare qui religiosae, non civili, communitati praeerant. Deinde licet vox graeca *presbyter*, secundum etymologiam, significet aetate seniorem, quoties tamen in Novo Testamento recurrit in relatione ad munia ecclesiastica, designat personam gradu, officio ac sacerdotii consecratione praestantem, quidquid sit de illius aetate. Sic, ut pauca citemus, legimus [5]: *Cum constituissent illis per singulas Ecclesias presbyteros*, etc. [6]; pariter [7]: *Qui bene praesunt presbyteri* [8]; similiter [9]: *Seniores qui in vobis sunt, obsecro, consenior et testis Christi passionum.*

[1] Annal. politico-eccles., ad an. 58, n. 10. — [2] Sess. XIV, cap. 3. — [3] Iac., V, 14, 15. — [4] Cf. can. 4. — [5] Act., XIV, 22. — [6] Cf. Ibid., XV, 2; Tit., I, 5. — [7] 1 Tim., V, 17. — [8] Cf. Ibid., 19; IV, 14. — [9] 1 Petr., V, 1, 2.

Sed potissime advertendum est, S. Iacobum eatenus iubere ut inducantur presbyteri Ecclesiae, quatenus orare debeant super infirmum, illumque ungere in nomine Domini, ut allevietur atque peccatorum remissionem obtineat: ad quod quidem praestandum, non aetas hominem idoneum reddit, sed sacerdotalis consecratio, qua Dei minister ad hunc finem formaliter constituitur.

5. — Ratio theol. - Per sacramentum extremae unctionis, peccata dimittuntur, ut dictum est. Atqui peccatum non dimittitur, nisi per gratiam. Ergo in hoc sacramento gratia confertur. Porro ad solos sacerdotes, quorum ordo est illuminativus, pertinet exhibere ea in quibus confertur gratia illuminans mentem. Ergo ad solos sacerdotes proprie pertinet hoc sacramentum administrare [1]. — Re quidem vera, extrema unctio est veluti poenitentiae perfectio et consummatio; unde eius dispensatio ad illos iure meritoque pertinet, quorum est sacramentum poenitentiae administrare, scilicet ad sacerdotes [2].

6. — Episcopalis dignitas non requiritur in ministro huius sacramenti. — Porro, cum dicimus proprium extremae unctionis ministrum esse presbyterum, simplicem intelligimus, seu secundi ordinis, sacerdotem: nimirum episcopalis dignitas in ministro huius sacramenti minime requiritur. Enimvero, ad episcopum proprie pertinet officium perficiendi: unde illa sola ei sacramenta dispensanda reservantur, quae suscipientem in aliquo perfectionis statu constituunt relate ad cetera Ecclesiae membra: huiusmodi quippe sunt ordo, quo homo potestatem accipit supra Corpus Christi verum ac mysticum, et confirmatio, qua Christi miles consecratur. Porro extrema unctio non confert homini talem perfectivum characterem, quo supra cetera Ecclesiae membra elevetur. Ergo ad illius administrationem non requiritur dignitas episcopalis. — Accedit quod cum episcopus minime posset per se accedere ad omnes suae dioecesis infirmos ac illos

[1] L. IV Contra Gent., c. 73. — [2] Al. Ad. Pâquet, tr. de Extr. Unct., Quaest. II, art. 2, concl. 1.

per sese inungere, non satis Christus morientium bono providisset, si huius sacramenti collationem solis episcopis reservasset [1].

7. — **Solvitur difficultas.** — Qui non potest quod minus est, non potest quod est maius. Atqui maior est usus materiae sanctificatae, prae sanctificatione eius. Ergo cum sacerdos non possit sanctificare materiam, nec potest uti materia sanctificata

Resp. *Dist. mai.:* in eodem ordine, *conc.;* in diverso ordine, *nego. Dist. min.:* in genere causae finalis, *conc.;* in genere causae efficientis, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Quamvis in genere causae finalis usus materiae sanctificatae sit potior quam sanctificatio materiae, cum usus sit finis sanctificationis, ad hoc quippe sanctificatur ut adhibeatur, tamen in genere causae efficientis, sanctificatio materiae est potior, quia ab eadem pendet usus, sicut ab activa causa; et ideo sanctificatio requirit altiorem virtutem activam, quam usus [2]. Ceterum, oleum infirmorum a simplici presbytero, de licentia Summi Pontificis, sanctificari posse, superius diximus [3].

8. — **Nec laici, nec ministri inferiores huius sacramenti administrandi aliquam habent potestatem.** — Quod autem laici nullam potestatem hoc sacramentum conferendi, patet: nullam enim actionem hierarchicam exercere possunt, sed sunt recipientes tantum; quod autem baptizare possint in casu necessitatis, ex divina dispositione ordinatum est, ne videlicet ulli regenerationis spiritualis facultas desit. Sed nec diaconis talis competit facultas: ipsi enim vim purgativam tantum habent, non vero illuminativam: unde, cum illuminatio fiat per gratiae collationem, nullum potest diaconus sacramentum, in quo gratia confertur, ex officio administrare [4].

Huc facit quod in Collectanea S. Congregationis de Propaganda fide legitur [5]: *Quamvis Quintaduenas* [6] *asseuerit*

[1] S., Quaest. XXXI, art. 3. — [2] Ibid., ad 2[m]. — [3] Quaest. II. art, 1, n. 10. — [4] S., Quaest. XXXI, art. 1 et 2. — [5] Vol. I, n. 398, p. 255. — [6] In Tract. 5 de Extr. Unct.

licere parochis mittere ad aegrotos aliosque petentes oleum sanctum infirmorum, ad hoc ut eo in suis infirmitatibus se liniant; nihilominus si quis hoc facere attentaret, gravibus poenis a tribunali ecclesiastico plecteretur vel tamquam abutens sacramento Ecclesiae, vel tamquam suspectus non rectae fidei circa Sacramentum Extremae Unctionis, ut opportune advertit Clericatus [1].

9. — Solvuntur obiectiones. — I. Sacramentum extremae unctionis habet efficaciam ex oratione, ut habetur apud S. Iacobum. Atqui oratio laici quandoque est ita Deo accepta sicut oratio sacerdotis. Ergo laicus potest hoc sacramentum conferre.

Resp. *Dist. mai.:* quae oratio fit in persona totius Ecclesiae, *conc.;* quae fit in propria sacerdotis persona, *nego. Contrad. min. Nego conseq. et conseq.* — Oratio quae fit in administratione extremae unctionis, non fit a sacerdote in persona sua, quia cum sit quandoque peccator, non esset exaudibilis; sed fit in persona totius Ecclesiae, in cuius persona sacerdos orare potest quasi persona publica, non autem laicus, qui persona privata est [2].

II. De quibusdam Patribus in Aegypto legitur quod oleum ad infirmos transmittebant et sanabantur; et similiter legitur de B. Genovefa quod oleo ungebat infirmos. Ergo hoc sacramentum potest conferri a laicis.

Resp. *Dist. antec.:* et huiusmodi unctiones erant sacramentales, *nego;* peragebantur ex devotione, *conc. Nego conseq. et conseq.* — Tales unctiones non erant sacramentales, sed procedebant ex devotione suscipientium, ex qua, sicut ex meritis personarum, unctiones peragentium effectum consequebantur sanitatis corporalis. Potest etiam dici, oleum ab anachoretis transmissum consecutum fuisse effectum sanitatis corporalis per gratiam sanitatum, non autem per gratiam sacramentalem [3].

III. Dispensatio Sanctissimae Eucharistiae committitur diacono. Ergo a fortiori eidem committi potest administratio extremae unctionis.

[1] De Sacr. Extr. Unct., decis. 70, n. 32. — [2] Ibid., art. 1, ad 1[m]. — [3] Ibid., ad 2[m].

Resp. *Dist. mai.:* Dispensatio quae sit sacramenti administratio *nego;* quae sit sacramenti iam confecti porrectio, *subd.:* ordinarie, *nego;* in necessitate, *conc. Nego conseq. et conseq.* — Aliud est consecratio Eucharistiae, aliud dispensatio; et sicut ad sacerdotem proprie pertinet consecratio, ita et dispensatio. At differentia est inter corpus et sanguinem, cum dispensans corpus illud immediate tangere debeat, non autem dispensans sanguinem. Unde diaconus corpus Christi dispensare nequit, nisi in necessitate, iubente presbytero vel episcopo; sanguinem vero dispensare potest, ob mysticam sanguinis significationem [1]. At ipsam extremam unctionem dispensari est illam administrari, cum hoc sacramentum consistat in usu et non in re permanenti, sicut Eucharistia; nullum autem sacramentum conferri potest a diacono; ideo nequit diaconus extremam unctionem administrare.

IV. Innocentius I scribebat ad Decentium [2]: *Sancto oleo chrismatis..., ab episcopo confecto, non solum sacerdotibus, sed omnibus uti christianis licet, in sua ac suorum necessitate inungendo.* Ergo omnibus promiscue christianis hoc sacramentum ministrare licet.

Resp. *Nego conseq.;* etenim vox illa, *inungendo,* non active accipienda est, sed passive; scilicet Pontifex, ut ex contextu atque eius argumentandi modo constat, de receptione, non de collatione huius sacramenti, loquitur: secus enim sequeretur posse quemlibet hominem, sive presbyterum, sive etiam laicum, seipsum sacramentaliter inungere. Ceterum, non infrequens est, vel penes optimos scriptores, gerundii usus in significatione passiva, ut constat, verbi gratia, ex hoc Virgilii [3]: *Alitur vitium vivitque tegendo,* id est, dum tegitur. Nihil igitur aliud significat Pontifex, nisi quod cunctis liceat fidelibus oleo sancto uti, non quidem ministrando, sed presbyteros qui ministrent advocando, maxime cum hoc loco Innocentius nondum de unctionis ministro, sed de eo cui possit conferri, sermonem faciat. Inde ad alteram progreditur quaestionem, an videlicet ita proprium sit presbytero-

[1] 3, Quaest. LXXXII, art. 3. — [2] Vide supra, Quaest. I, art. 1, n. 10. — [3] Georgic., III, 454.

rum hoc sacramentum administrare, ut episcopis non liceat illud conferre, falsa nonnullorum opinione, de qua illum Decentius consulendum duxerat, opportune confutata.

V. Venerabilis Beda, in caput quintum epistolae S. Iacobi, infirmos adhortatur ut seniorum adiutorio se curari meminerint, neque ad iuniores minusve doctos, causas suae imbecillitatis deferant. Ergo, ex eius mente, potest quilibet christianus hoc sacramentum ministrare.

Resp. *Nego conseq.;* siquidem Ven. Beda exponit verba S. Iacobi: *Infirmatur quis in volis,* non solum de aegritudine corporea, sed etiam de spirituali infirmitate; quo secundo sensu, fideles monitos vult ut, ubi de eorum spirituali profectu agatur, ad seniores sacerdotes, qui videlicet auctoritate, doctrina, prudentia atque experientia, prae iunioribus praestent, libere confugiant, quatenus tutiora salutis monita velint accipere.

10. Quaestio. — *Utrum liceat sacerdoti hoc sacramentum sibimet ministrare?*

Resp. Negative, cum in omnibus sacramentis distinctionem servari oporteat ministri a recipiente: in quibusdam quidem, de necessitate sacramenti, ut in baptismo, confirmatione, poenitentia et ordine; in aliis vero, ut in hoc sacramento, ex condecentia. Nec obstat Eucharistiam sibi posse sacerdotem ministrare: hoc enim solum in missa permittitur; alias vero nonnisi ex alterius sacerdotis defectu. Quod si interdum licitum est sacerdoti, absente alio sacerdote, seipsum communicare, maxime in mortis periculo, hoc est propter divinum praeceptum Eucharistiam percipiendi: at, praeceptum de extrema unctione percipienda non ita urget sicut praeceptum de suscipiendo corpore Christi, ideoque non valet comparatio. — Attamen, si sacerdos, in letali morbo constitutus, sibi ipse bona fide extremam unctionem ministraverit, ambigendum non est quin huius sacracramenti gratiam recipiat.

ARTICULUS II. — *Utrum hoc sacramentum a pluribus presbyteris debet ministrari.*

1. — Ratio articuli. — Oritur dubitandi momentum tum ex plurali S. Iacobi dicendi ratione: *Inducat presbyteros*, etc., tum ex Graecorum praxi, a Sede Apostolica tacite approbata, quae est ut septem, vel, ubi hoc sit impossibile, tres saltem advocentur presbyteri, ad extremam unctionem ministrandam, quod etiam in Ecclesia latina olim in usu fuisse monumenta comprobant [1].

2. — PROP. — α) **Unus presbyter sufficit pro administranda extrema unctione;** β) **etsi possint plures presbyteri illud sacramentum simul conferre.**

3. — Prima pars evidenter constat illo Alexandri III decreto [2]: *Sacerdos, uno praesente clerico, et etiam solus, potest infirmum ungere.* Idipsum statuit Benedictus XIV [3]: *Nec refert, utrum eadem extrema unctio per unum vel plures presbyteros fiat, ubi huiusmodi viget consuetudo... Idem sacerdos materiam adhibere formamque pronunciare respective debet; ac praeterea, qui ungit, idem dicat formam respondentem, nec alius ungat et alius formam pronunciet.*

4. — Confirmatur ex diuturno Ecclesiae latinae usu, qualem eruditiores rerum liturgicarum, factis ex antiquitate depromptis, comprobant, ut, puta, de S. Eugendo, ab unico sacerdote inuncto, et de Artemio, oleo peruncto ab uno S. Nepotiamo [4]. — Accedit denique scholae consensio, teste S. Thoma, qui ait [5]: *Si unus solus presbyter adsit, intelligitur hoc sacramentum perficere in virtute totius Ecclesiae, cuius minister existit, et cuius personam gerit.*

[1] Cf. BILLUART, tr. de Sacr. Extr. unct., art. 5. Cf. etiam BENEDICT. XIV, de syn. dioec., l. VIII, c. IV, n VIII. — [2] Decr. Greg., l. v, tit. 4., c. 14. — [3] Constit. *Etsi pastoralis*, § V. Cf. de Syn., l. c. — [4] Cf. MARTÈNE, de Antiquis Eccl. rit., l. I, c. 7, art. 3, 4. — [5] L. IV, Contra Gent., c. 73.

5. — Ratio theol. — Si nonnisi a pluribus presbyteris hoc sacramentum valeret conferri, consequeretur quod, ob sacerdotum inopiam, saepius infirmi privati deberent auxilio huius sacramenti. Atqui nulli dubium esse potest quin Christus Dominus hoc sacramentum eatenus instituerit, quatenus omnibus graviter infirmis auxilio esse posset, ad reliquias peccatorum abstergendas, necnon ad virtutem accipiendam, qua daemonis incursus illi repellere valeant. Frustaretur ergo Christi intentio, si nonnisi a pluribus sacerdotibus extrema unctio conferri deberet.

6. — Solvitur tacita difficultas. — *Obiicienti* pluralem numerum a S. Iacobo positum: *Inducat presbyteros*, etc, — facile *respondetur:* id perinde accipi posse, ac si dixisset: *Inducat aliquem ex presbyteris*, cum Ecclesiae relinqueretur definiendum an ab uno, vel a pluribus sacerdotibus debeat hoc sacramentum conferri, quemadmodum cetera disciplinae puncta Ecclesiae moderamini subsunt.

7. — Secunda pars ita ab Angelico exponitur [1]: *Quia sacramentum* (extremae unctionis) *perfectae curationis effectum habet, et in eo requiritur copia gratiae, competit huic sacramento quod multi sacerdotes intersint et quod oratio totius Ecclesiae ad effectum huius sacramenti coadiuvet; unde Iacobus dicit:* INDUCAT PRESBYTEROS ECCLESIAE,... ET ORATIO FIDEI SALVABIT INFIRMUM. Ubi Angelici verba sedulo perpendenti patebit, illum plurium sacerdotum praesentiam, magis ad orandum, quam ad ministrandum requirere.

8. — Quaestio. — *Qua ratione plures sacerdotes concurrere possunt in extrema unctione uni infirmo ministranda?*

Resp. Plures sacerdotes in extrema unctione uni infirmo ministranda concurrere, non ita intelligi potest, quasi unus unctiones peragat, alter vero formam proferat: hoc quippe invalidum redderet sacramentum, uti de baptismo sic collato, suo loco dictum est [2], cui rei accedit Benedicti XIV auctoritas superius recensita [3].

[1] Loc. cit. — [2] Tr. n. DE BAPTISMO, Quaest. LXVII, art. 6, n. 11, p. 126. — [3] Constitut. *Etsi pastoralis*, supra, n. 3.

Igitur sic debet intelligi plurium sacerdotum in hoc sacramento ministrando concursus, ut vel unus totum ritum proferat, alii vero preces fundant, vel singuli sacerdotes singulos infirmi sensus inungant, partialem formam singulo sensui correspondentem proferendo: qui quidem collationis modus pro valido habendus est, quemadmodum valida retinetur consecratio Eucharistiae, si unus consecret panem, alter vero vinum: licet potius hoc dicendum videatur, effectum produci in prima unctione. — Ubi valet omnino animadversio quam habet Angelicus circa consecrationem eiusdem hostiae per plures sacerdotes: videlicet, quia sacerdos non confert hoc sacramentum nisi in persona Christi, multi autem sunt unum in Christo, ideo non refert utrum per unum aut per multos hoc sacramentum conferatur, nisi quod oportet ritum Ecclesiae servari [1].

9. — Scholion. — Servandus autem omnino est in Ecclesia latina ritus quem illa, ob nonnullos, qui irrepserant abusus, introduxit, ut videlicet ab unico sacerdote, parocho scilicet, ungatur infirmus. *Neque tamen*, ait Catechismus Romanus [2], *ex sanctae Ecclesiae decreto, cuivis sacerdoti, sed proprio pastori qui iurisdictionem habeat, sive alteri, cui ille eius muneris fungendi potestatem fecerit, hoc sacramentum administrare licet.*

Epilogus.

Oculos retro coniicientes in ea quae, de sacramento extremae unctionis, pro modulo nostro, conscripsimus, non posnumus quin in eas erumpamus voces, quas regius Psaltes, dum beneficia redemptionis contemplaretur, laetabundus pleno ex corde promebat [3]: *Misericordias Domini in aeternum cantabo: in generationem et generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo.* Et vere altissime et supercomprehensibilis est Dei nostri misericordia, qui cum sciat nos pauperrimos et viles homines, in mortis articulo constitutos,

[1] Supra Quaest. IV, art. 5, n. 10. — [2] P. II. c. VI, n. 13. — [3] Ps. LXXXVIII.

divino auxilio nos confortante, sublevante atque purificante, summopere indigere, sacrum hunc ritum instituit, quo fide ac devotione accepto, in tuto ponere aeternam nostram salutem possimus.

Porro, cum gratia hac multos, sive ob turpem incuriam, sive ob hominum malitiam, frustrari contingat, cunctis, maxime consanguineis, amicis et sacerdotibus enitendum est, ut, quoad fieri possit, nullus hoc sacramento non munitus e mundo discedat: quod quidem fieri potest et suavi adhortatione, et alacri opere, necnon ferventi supplicatione, qualis est sequens: *O clementissime Iesu, amator animarum, obsecro te, per agoniam Cordis tui sanctissimi, et per dolores Matris tuae immaculatae, lava in Sanguine tuo peccatores totius mundi, nunc positos in agonia et hodie morituros. Amen.* ℟. *Cor Iesu, in agonia factum,* ℣. *Miserere morientium* [1].

[1] Ind. 100 dierum toties quoties; plenaria in mense ter quotidie eam orationem recitantibus. Pius IX, 2 Febr., 1850.

TRACTATUS

DE

SACRAMENTO ORDINIS

TRACTATUS

DE

SACRAMENTO ORDINIS

(S. XXXIV, XL)

AUCTORE

ALEXIO HENRICO MARIA LÉPICIER, O. S. M.

ARCHIEP. TIT. TARSENSI
ACADEMIAE ROMANAE S. THOMAE AQUINATIS SODALI
IN PONT. COLLEGIIS DE PROPAGANDA FIDE, S. ALEXII FALC. ET S. BEDAE DE URBE
SACRAE THEOLOGIAE PROFESSORE, ETC.

Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.

HEBR., V, 1.

ROMAE
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA « BUONA STAMPA »
VIA EZIO 19
1927

PRAEFATIO

Ad religionis virtutem, qua homo ad Deum propinquius accedit eique coniungitur, pertinet, ea quae sunt cultus divini ita ordinare, ut nihil ei desit eorum quibus Creatori suo possit intimius adhaerere. Ad quod quidem primo necesse est ut in veritatibus ad Deum pertinentibus probe erudiatur; tum debent ei divina mandata et praecepta manifesta fieri; quia vero divinam voluntatem nequit adimplere absque supernaturali auxilio, quod Deus quidem nemini poscenti denegat, at nisi poscatur non solet concedere, ideo ulterius religio hominem instruit qualiter ad orationem debeat confugere; tandem, cum in nullo religionis nomine homines adunentur, quin sacrificium offerant, quo supremum in se Dei dominium obtestentur, hinc ad religionem potissimum pertinet sacrificii oblatio.

Porro, quatuor ista munera, ad sacerdotem proprie spectant, cuius est, primo, divinorum mysteriorum cognitione imbui eaque populo pandere; unde legitur [1]: *Labia sacerdotis custodient scientiam* — labia, dicitur, non solum mens, quia cognoscere quidem debet sacerdos secreta caelestia, sed eo fine ut alios erudiat; secundo, ad eum pertinet praecepta Dei et iussiones hominibus fideliter tradere, unde additur [2]: *Et legem requirent ex ore eius*; tertio, sacerdotis, quasi mediatoris inter Deum et homines, officium est preces pro his ad divinam maiestatem exhibere, utpote qui *angelus Domini exercituum est* [3]; quarto, demum, sacerdotis munus et quidem propriissimum est sacrificium Deo offerre pro populo, unde apposite dicitur [4]: *Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in iis quae sunt ad Deum, ut offerrat dona et sacrificia pro peccatis.*

[1] Mal., II, 7. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Hebr., V, 1.

Iamvero quatuor ista Dominus Noster Iesus Christus, verus Deus et verus homo, in vera illa et sanctissima religione, cuius ipse est institutor, perfectissime praestitit: ipse namque profundissima Trinitatis et salutis aeternae mysteria nos per se ipsum in Evangelio docuit; quaenam a nobis Dei voluntas exposcat, quaenam dictet fugienda, ut vitam adpiscamur aeternam, fideliter ostendit; in diebus carnis suae preces supplicationesque ad Patrem suum pro se nobisque intensissimo affectu obtulit; demum, perfectissimum Deo sacrificium fecit in corpore suo super crucem, cum esset simul victima et sacerdos: quapropter, rite et per antonomasiam, vocatur Dominus Noster Iesus Christus *Pontifex confessionis nostrae* [1].

Cum autem Christus Dominus, salvifica missione iam consummata, ad Patrem suum reversurus foret, ne opus imperfectum relinqueret, apostolos et discipulos instituit in opere suo redemptivo simul successores atque proinde sui sacerdotii participes, quatenus eadem, qua ipse, potestate pollentes, homines simul in mysteriis gratiae et in lege divina erudirent, pro eis preces supplicationesque offerrent, atque illud insigne sacrificium, quod ipse obtulerat, iidem perpetuo commemorarent. At vero sacrificium hoc noluit Dominus Noster rem nudam et singularem esse, sed circa illud septemplicem sacrum ritum instituit, qui ab hoc sacrificio tanquam rivuli scaturiunt, et ad illud tanquam ad mare revertuntur: huiusmodi sunt septem sacramenta, quae vim habent a passione et morte Christi, et sunt ad salutem hominum perpetuo procurandam instituta. Igitur sacros hosce ritus Dominus Noster apostolis et discipulis, eorumque successoribus administrandos reliquit.

Igitur, ad multiplex huiusmodi munus, docendi, erudiendi, orandi, sacrificandi, instituta est gloriosa illa hierarchia ecclesiastica, quae per septemplicem gradum distributa, est simul splendida sicut militia caeli, et *terribilis ut castrorum acies ordinata* [2], constans videlicet ostiariis, lectoribus, exorcistis, acolytis, subdiaconibus, diaconibus, et presbyteris, quorum culmen tenent episcopi. Ad hos commisit Christus

[1] Ibid., III, 1. — [2] Cant., VI, 3.

distributionem officiorum et munerum in Ecclesia sua, ut copiosa eius redemptio ad omnes abundanter posset dimanare.

At, cum tam speciosa sit et pulcro ordine disposita ecclesiastica hierarchia, mirandum non est, si hostis generis humani, cuius omnes huc conatus tendunt, ut opus Christi sua malignitate frustret et perimat, bellum acre contra eam iugiter moliatur: quippe qui confidit Christi aedificium se penitus pessumdaturum, si aut ecclesiasticos ordines e medio sustulerit, aut saltem veritatis christianae magistros suo veneno infecerit, aut tandem exercitus christiani duces profligaverit.

Hinc illum videmus primo quidem molimina sua huc convertisse, ut sacrorum ministros erroris veneno inquinaret, uti factum scimus priscis Ecclesiae saeculis, cum multi e clericorum ordine exorti fuerint haeresiarchae, quorum nefanda opera, hominum mentes et corda erroribus atque vitiis pleno sunt alveo aperta. Quinimmo, ulterius progressus est, ipsam sacerdotii essentiam e medio tollere nisus, cum maxime Lutheri opera, suam sacerdotio intrinsecam virtutem voluerit auferre, ablata videlicet sacrificii vera notione atque sacerdotio ipso plane redacto ad merum extrinsecum ministerium populum repraesentandi: quod quidem munus ab ipso populo ortum, ad nutum populi cessare poterit.

Nunc vero alio convertens arma sua, conatur diabolus virtutis florem a sacerdotio amovere: ad quod consequendum duo iam eum molitum fuisse videmus: scilicet, sinceritatem fidei in sacerdotum cordibus pervertere nisus est, opera modernismi; morum vero sanctitatem multiplici illa inducta vivendi licentia, a qua vel difficillime potest sacerdos immunis evadere. His addi debet vesanus libertatis amor, saeculi huius vitiosa progenies, qua daemon opportune utitur ut clerum ab obedientia suis praelatis debita arceat: sperat enim se tunc sacram hierarchiam devicturum, quando milites a ducum suorum obedientia divulserit.

Quae cum ita sint, ad oculum patescit, quanti sit faciendum accuratum de Ordinis sacramento studium, quo hierarchiae ecclesiasticae ratio, mirabilis distributio, multiplex of-

ficium, atque sanctitas ex propriis revelationis principiis hauritur. Nimirum, ex quo novae Legis ministri accurate instruuntur in his quae ad ordines sacros pertinent, primum quidem in eorumdem animis sponte enascitur magna sui status suaeque dignitatis existimatio; tum in eorum cordibus intimius excitatur sensus sacrorum illorum munerum quibus addicuntur. Praeterea, dum vident opus redemptivum Christi tam mirabili arte dispositum, maius concipiunt de salute animarum desiderium, simulque intimiori vinculo suis praelatis adhaerent, ut sub eorum ductu, redemptivo Christi operi efficaciter cooperentur. — Optandum ergo valde ut qui clericorum institutioni praeficiuntur totis nitantur viribus, ut eorum animos doctrinis hic contentis imbuant, ut suam agnoscentes dignitatem, ad propriam et aliorum sanctificationem, sacerdotes effecti, iugiter adlaborent, et sic reportent *finem fidei* suae, *salutem animarum* [1].

Asmarae, in Erythraea, in solemnitate S. Ioseph, Sponsi B. Mariae Virginis, 1927.

[1] 1 Petr., I, 9.

TRACTATUS
DE
SACRAMENTO ORDINIS

PROOEMIUM

1. — Ratio huius tractationis. — Ex septem sacramentis, quibus tanquam divinae misericordiae instrumentis, spiritualis vita hominis perficitur, quinque directe ordinantur ad sanctificationem individuorum Ecclesiae membrorum, duo vero ad hominem perficiendum in ordine ad communitatem, scilicet ordo et matrimonium: et hoc quidem respicit procreationem et educationem prolis in ordine ad vitam aeternam; illud vero, cuius tractationem hic suscipimus, spiritualem fidelium gubernationem, necnon potestatem exercendi actus publicos, quibus ipsi fideles ex divina ordinatione ad vitam aeternam facilius possint pervenire.

Quocirca dici possunt cetera sacramenta ab ordine quodammodo pendere, cum sine eo vel confici et administrari nullo modo queant, vel saltem non ea solemni caerimonia eoque religioso ritu, quibus res tam sanctas administrari congruit. Nimirum Deus, opera sua, ut argumentatur Angelicus [1], in sui similitudinem producere voluit, quantum possibile fuit, ut perfecta essent, et ut per ea ipsemet posset cognosci; ideoque quibusdam creaturis aliquid de sua gubernativa potestate contulit, in ordine non solum naturae, sed etiam gratiae. Quapropter, sicut videmus in corpore natu-

[1] S., Quaest. XXXIV, art. 1.

rali aliqua membra aliis influere; ita, ut pulcritudo Ecclesiae non deesset, posuit Deus ordinem in ea, quatenus speciales quidam homines aliis sacramenta traderent, et in hoc suo modo Deo assimilarentur, quasi eidem cooperantes in hominum salute procuranda.

2. — Utilitas doctrinae de ordinis sacramento. — Ex quo iam liquet, quanti sit momenti accuratum et profundum de sacramento ordinis studium fovere. Prodest nimirum huiusmodi doctrina ipsis sacerdotibus, qui, ut ait Catechismus Romanus [1], dum in huius argumenti tractatione versantur, ad eam gratiam excitandam, quam hoc sacramento adepti sunt, magis commoventur [2]; prodest et iis qui in sortem Domini vocati sunt, qui dum altitudinem suae vocationis considerant, hoc ipso magis exstimulantur ut dignos se tanto munere reddant; prodest denique et piis laicis, dum intelligunt quo honore Ecclesiae ministri sint digni; denique *quoniam saepe contingit ut multi adsint, vel qui spe liberos suos adhuc infantes Ecclesiae ministerio destinarint, vel qui sua sponte et voluntate illud vitae genus sequi velint* [3], hinc convenientissime et ipsi instruendi erunt quaenam sint huius sacramenti natura et dignitas, necnon munia eidem adnexa.

3. — Dignitas sacerdotii novae Legis. — Magna equidem est, et quae omnem aliam superat dignitatem, sacerdotii novae Legis excellentia. Cum enim ad sacerdotem, generaliter loquendo, tanquam Dei interpretem et internuntium ac quodammodo vicarium, pertineat divinam legem et vitae praecepta homines edocere, aliquid tamen adhuc excellentius sibi vindicat novi Testamenti sacerdos, scilicet potestatem tum corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi conficiendi et offerendi, tum etiam hominum peccata remittendi; unde ad eum potiori iure pertinet illa appellatio *angeli* ac *dei*, quae sacerdotibus veteris Legis interdum decernitur [4]. Praecellit demum sacerdotium novae Legis sacerdotio aaronico ipsa illius origine, necnon collationis modo: quae

[1] P. II, c. VII, n. 1. — [2] 2 Tim., I, 17. — [3] Ibid. — [4] Exod., XXII, 28; Malach., II, 7. Cf. Cat. Rom., loco cit., n. 2.

duo pulcre exponit S. Leo Magnus, dicens[1]: *Cum huius divini sacerdotii sacramentum etiam ad humanas pervenit functiones, non per generationum tramitem currit, nec quod caro et sanguis creavit eligitur: sed cessante privilegio patrum, et familiarum ordine praetermisso, eos rectores Ecclesia accipit, quos Spiritus Sanctus praeparavit; ut in populo adoptionis Dei, cuius universitas sacerdotalis atque regalis est, non praerogativa terrenae originis obtineat unctionem, sed dignatio caelestis gratiae gignat antistitem.*

4. — Gravia sacerdotum officia. — Cum autem tanta sit sacerdotum novae Legis dignitas atque excellentia, mirum non est, si gravia ipsis incumbant officia, quibus et excelso munere digni reddantur, et sui ministerii fructus in tuto ponantur: quae quidem officia ad tria capita congrue reduci possunt: nempe, primo, ad praecellentem scientiam; secundo ad insignem vitae sanctitatem, tertio ad assiduitatem in oratione, quo nomine omnes illos religionis actus intelligimus, quae ad cultum Dei pertinent.

5. — Ordo tractatus. — Porro, ut omnia quae ad hoc sacramentum pertinent rite tradantur, primo loco, erit considerandum in seipso (I-II), et secundo, in suis causis (III-V). Et quidem, de ordine in seipso considerato inquirendum veniet, primo an sit (I), et secundo, in quonam eius ratio consistat (II). Deinde, de causis huius sacramenti erit ordinatim considerandum: scilicet, primo, de causa efficiente (III), secundo, de causa materiali in qua, seu de subiecto (IV), et tertio, de causa finali, seu de huius sacramenti effectibus (V).



[1] Serm. II, in Anniv. die Assumpti., eiusdem. Paris., 1641, p. 2.

Hinc quinque in hoc tractatu de ordine quaeruntur.

Primo. De sacramento ordinis secundum se. (S., XXXIV, 1-3; XXXVII; XL, 4-6).

Secundo. De materia et forma sacramenti ordinis. (S., XXXIV, 4-5).

Tertio. De ministro sacramenti ordinis. (S., XXXVIII).

Quarto. De suscipientibus sacramentum ordinis. (S. XXXVI; XXXIX),

Quinto. De effectibus sacramenti ordinis. (S., XXXV).

QUAESTIO PRIMA.

(S., XXXIV, 1-3; XXXVII; XL, 4-6).

DE SACRAMENTO ORDINIS SECUNDUM SE.

PROLOGUS.

1. — Spiritualis potestas sub lege naturae et sub lege mosaica. — Cum homines naturali luminis ratione quovis tempore agnoverint Deum speciali ritu esse colendum, consequens fuit ut in qualibet republica aliquae personae ordinationi sacrorum ac divino cultui praeficerentur, quorum potestas quodammodo spiritualis diceretur [1]. Hinc et in naturae lege certis hominibus potestas tributa est res sacras procurandi; unde, scribit S. Hieronymus [2], in traditione Hebraeorum haberi, primogenitos fuisse in officio sacerdotum, *et habuisse vestimentum sacerdotale quo induti Deo victimas offerebant, antequam Aaron in sacerdotium eligeretur.* At cum, teste S. Paulo [3], ubi lex est, ibi et sacerdotium sit oporteat, ita ut, altero eorum translato, simul etiam alterum transferri debeat, hinc, cessante naturae lege et adveniente lege mosaica, in populo israelitico spiritualis adfuit potestas sacra ordinandi, quae, etsi dignitate antecelluerit potestatem qua in lege naturae sacerdotes praediti erant, longe tamen inferior extitit, quam spiritualis potestas sub Lege evangelica sacerdotibus concessa.

2. — Spiritualis potestas sub Lege evangelica. — Haec nimirum potestas adeo sublimis est, ut omnem etiam angelorum virtutem superet; nec illam novae Legis sacerdotes a Moyse, sed a Christo Domino, qui non secundum Aaron sacerdos fuit, sed secundum ordinem Melchisedech, mutuantur. Nimirum Redemptor noster singularem illam potestatem gratiam tribuendi et peccata remittendi, qua praeditus fuit, suis vicissim ministris, etsi virtute definitam atque sacramentis adstrictam, reliquit. Quare, concludit Catechismus

[1] Cat. Rom., P. II, c. IV, n. 8. — [2] L. Quaest. Hebraic. in Genes. Vol. III, P. I, col. 348. — [3] Hebr., VII, 12.

Romanus [1], *ad eam exercendam certi ministri instituti sunt, et solemni religione consecrati: quae quidem consecratio ordinis sacramentum vel sacra ordinatio vocatur.*

3, — **Ordo quaestionis.** — Investigaturi, in hac prima quaestione, de sacramento ordinis secundum se, primo loco dubium solvi debebit, an ordo revera sit sacramentum (1), et secundo, qualiter sit sacramentum (2-7). Porro, altera haec quaestio bipartita erit, ita ut, primo, consideretur ordo attenta prima entis passione, quae est unitas (2-4), et secundo, attenta eius relatione ad episcopatum (5-7). Et prior quidem quaestio iterum duabus quaestionibus resolvetur, secundum quod attendetur ordinum pluralitas in se (2-3), et quidem, tum generaliter (2), tum specialiter, et secundum sacramenti rationem in unoquoque ordinum participatam (4). — Comparatio vero ordinis ad episcopatum huc ordinatur, ut ad hunc sacerdotium referatur, et quidem duplici sub respectu: scilicet, primo, secundum quod episcopatus communiter accipitur (5-6), ut scilicet investigetur, tum an iste sacerdotio dignitate praecellat (5), tum an sit ordo specialiter a sacerdotio distinctus (6); secundo, ordo comparabitur ad episcopatum, secundum quod hic in suo vertice, id est in Summo Pontifice, residet (7).



[1] Loco cit.

Igitur septem sunt in hac quaestione investiganda.

Primo. Utrum ordo sit novae Legis sacramentum.

Secundo. Utrum debeant plures ordines distingui.

Tertio. Utrum septem ordines convenienter distinguantur.

Quarto. Utrum singuli ordines participent rationem sacramenti.

Quinto. Utrum episcopi sint iure divino presbyteris superiores.

Sexto. Utrum episcopatus sit ordo specialiter a sacerdotio distinctus.

Septimo. Utrum supra episcopos debeat esse aliquis superior in Ecclesia.

Articulus I. — *Utrum ordo sit novae legis sacramentum.*

1. — Quid significat nomen ordo. — Secundum primam nominis impositionem, *ordo*, τάξις, significat relationem, puta, domini ad servum, et viceversa, unde in utroque extremorum salvatur: extrema autem relationis ordinis sunt superior et inferior; unde sic inferiores habent ordinem sicut superiores; quocirca de ordine ait S. Augustinus, quod est *parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio* [1] — Alio modo autem accipitur *ordo* pro ipso gradu, vel conditione, seu vitae genere, in quo fundatur praedicta relatio prioris et posterioris; iuxta quam acceptionem, nominamus ordinem plebeium et nobilium; ordinem clericorum et religiosorum; militum et civium, etc. — Denique, quia ratio ordinis, prout est relatio, invenitur ubi primo aliquid superius alteri occurrit, ideo hic gradus eminens per potestatem spiritualem ordo nominatur [2], tanquam qui praestat ceteris ordinibus seu gradibus: unde ordo simpliciter significat gradum supereminentem in societate, qui est ecclesiasticus

Et hoc quidem generaliter; specifice vero *ordo* designat certum divini muneris gradum, qui sacro ac solemni ritu confertur, ad peculiare ministerium exhibendum relate ad divinum sacrificium: quo modo, plures dicuntur esse ordines ecclesiastici, qui ad sacram hierarchiam referuntur.

[1] S. XIX, de Civ. Dei, c. 13, n. 1. — [2] S., Quaest. XXXIV, art. 2, ad 4[m].

2. — Ordo et ordinatio. — Distinguitur autem ordo ab ordinatione, in hoc quod haec significat ritum sacrum quo praedictus gradus spiritualis potestatis confertur per respectum ad altaris ministerium, licet sacra haec ordinatio interdum et ipsa ordo nominetur: quo praecise sensu heic quaeritur, utrum ordo sit novae legis sacramentum. — A Graecis autem sacra haec ordinatio, a ritu quo Ecclesiae ministri inaugurantur, consuevit nominari χειροτονία, id est *manus extensio* aut *porrectio:* quod quidem nomen primitus usurpatum ad significandam manus elevationem in ferendis suffragiis, postmodum extensum est ad designandum ritum illum ordinationi essentialem, quo episcopus manus elevat super caput illius qui Ecclesiae suffragio electus est. Aliud nomen apud Graecos, ad eamdem sacram ordinationem designandam, est χειροθεσία, seu *manus impositio.*

3. — Errores. — Ordinem, seu sacram ordinationem esse sacramentum, nemo ante saeculum decimum sextum negasse perhibetur, quando primo Lutherus docuit omnes christianos, vi suscepti baptismi aequaliter esse sacerdotes, licet non omnibus permittatur ministerium verbi et sacramentorum exercere, sed quaedam ad id publica deputatio requiratur. — Lutheri seguaces, praesertim Calvinus, licet pastoribus a magistratibus saecularibus electis atque approbatis manus imponi concesserint, negarunt tamen sacram ordinationem veri nominis sacramentum esse, quo spiritualis potestas ordinato conferatur aut ille indelebili charactere notetur; sed illam veluti meram caeremoniam habuerunt, qua delecto pastori munus coetui fidelium praesidendi, eisdem coenam ministrandi atque verbum Dei annuntiandi, collato stipendio, committitur. — Ex qua positione facile erat deducere, non solum sacerdotes fidelibus sola quadam externa deputatione praeesse, sed etiam sacerdotes episcopis coaequari: unde presbyterianismus ex lutheranismo pleno fluxit alveo. — De officiali Anglicanorum sententia atque de valore sacrarum apud illos ordinationum, dicemus infra [1].

[1] Appendix ad quaest. III.

4. — Generale novatorum principium. — Haec igitur est apud novatores constituta lex, ut omnes aequaliter sacerdotes ac Evangelii administri habeantur: aut, si qua distinctio inter eos et laicos admitti videatur, haec tota pendeat ab hominum institutione et arbitrio, adeo ut quivis de trivio, mox ac ad praedicandum verbum Dei deputetur, eo ipso sacramenta dispensandi habeat potestatem, statim, absque honore et gradu, in laicorum ordinem reducendus, ac populi aut principis mandatum cessaverit.

His ad unguem quadrant quae olim de haereticorum ordinationibus animadvertebat Tertullianus [1]: *Ordinationes eorum temerariae, leves, inconstantes. Nunc neophytos collocant, nunc saeculo obstritos* [2], *nunc apostatas nostros, ut gloria eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur, quam in castris rebellium, ubi ipsum esse illic, promereri est. Itaque alius hodie episcopus, cras alius: hodie diaconus, qui cras lector: hodie presbyter, qui cras laicus. nam et laicis sacerdotalia munera iniungunt.*

5. — Modernistarum errores. — Modernistarum errores, sacrae ordinationis originem ab hominibus, per viam evolutionis, repetentium, sequentibus propositionibus continentur [3]: *Coena christiana paulatim indolem actionis liturgicae assumente, hi, qui coenae praeesse consueverant, characterem sacerdotalem acquisiverunt* [4]. *Seniores, qui in christianorum coetibus invigilandi munere fungebantur. instituti sunt ab Apostolis presbyteri aut episcopi ad providendum necessariae crescentium communitatum ordinationi, non proprie ad perpetuandam missionem et potestatem apostolicam* [5].

[1] L. de Praescript., c. 41. — [2] Saeculo obstricti, iuxta Tertullianum, sunt qui inter gentiles muneribus socialibus vel militaribus fungebantur. — [3] Decreto *Lamentabili sane exitu*, 3 Iul., 1907. — [4] Prop. 49. — [5] Prop. 50. Placet hic verba referre Alfredi Loisy, ex quo binae istae propositiones sunt excerptae (Autour d'un petit livre. Paris, 1903, pp. 252): *A mesure que la cène prit le caractère d'un acte liturgique, ceux qui y présidaient d'ordinaire acquirent le caractère de prêtres. L'institution des diacres, comme elle est racontée dans les Actes, peut bien être rapportée à une suggestion de l'Esprit, mais il est visible qu'on ne lui affirme pas encore le caractère d'une fonction sacrée.*

6. — PROP. — Ordo, seu sacra ordinatio, est vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum.

7. — Auctoritates. — Haec propositio est de fide, quam Tridentina Synodus his verbis definivit [1]: *Si quis dixerit ordinem, sive sacram ordinationem, non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis; aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei et sacramentorum, A. S.;* quibus quidem verbis Novatorum positio aperte confoditur [2].

8. — Canones de ordine. — Ut autem clarius omnis nostra procedat disputatio, praestat sequentes Iuris canones praemittere: *Ordo, ex Christi institutione, clericos a laicis in Ecclesia distinguit, ad fidelium regimen et cultus divini ministerium* [3]. — *In canonibus qui sequuntur, nomine ordinum maiorum vel sacrorum intelliguntur presbyteratus, diaconatus, subdiaconatus; minorum vero acolythatus, exorcitatus, lectoratus, ostiariatus* [4]. — *In iure verba:* ORDINARE, ORDO, ORDINATIO, SACRA ORDINATIO, *comprehendunt, praeter consecrationem episcopalem, ordines enumeratos in can. 949 et ipsam primam tonsuram, nisi aliud ex natura rei vel ex contextu verborum eruatur* [5].

9. — Prob. ex Sacra Scriptura. — Apostolus Paulus, scribens de ordinatione Timothei, ait [6]: *Noli negligere gratiam*

---

et qu'on ne croit pas remplir, en l'établissant, un article du programme constitutionnel que Jésus aurait prescrit à ses apôtres et qui paraît être dans la pensée des Pères de Trente. Les anciens (PRESBYTRES, *d'où le nom de prêtre*), *qui exerçaient dans les assemblées chrétiennes les fonctions de surveillants* (ÉPISCOPES, *d'où le nom d'évêques*), *ont été institués de même par les apôtres, pour satisfaire à la nécessité d'une organisation dans les communautés, non précisément pour perpétuer la mission et les pouvoirs apostoliques. Leur ministère coexistait à celui de l'apostolat et le remplaça en fait, autant que besoin était. La distinction entre l'évêque et le prêtre s'accentua plus tard.*

[1] Sess. XXIII, can. 3. — [2] Cf. can. 1; Cf. etiam cap. 1; Conc. Florent., Decretum pro Armenis. — [3] Can. 948. — [4] Can. 949. — [5] Can. 950. — [6] 1 Ep., IV, 14.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

quae in te est, quae data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii. μὴ ἀμέλει τοῦ ἐν σοὶ χαρίσματος, ὃ ἐδόθη σοι διὰ προφητείας μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου. His cohaerent omnino quae iterum ad eumdem Timotheum scribit Apostolus [1]: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei quae est in te per impositionem manuum mearum. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis et sobrietatis,* ἀναμιμνήσκω σὲ ἀναζωπυρεῖν τὸ χάρισμα τοῦ Θεοῦ, ὃ ἐστιν ἐν σοὶ διὰ τῆς ἐπιθέσεως, κ. τ. λ. — Quibus verbis Apostolus evidenter meminit illorum trium, quae requiruntur atque sufficiunt ad sacramentum novae Legis vere ac proprie constituendum, quae sunt signum sensibile, sive ritus externus, gratia huic ritui adnexa, ac divina institutio. Ergo sacra ordinatio, in praedictis locis, tanquam verum ac proprium novae Legis sacramentum exhibetur.

10. — **Evolvitur argumentum.** — I. Primo quidem, signum externum hic evidenter habetur in manuum impositione, qua sacri ministerii potestas Timotheo collata perhibetur, et quae solet in Scriptura commemorari, quando de sacra ordinatione sermo instituitur [2]; ex quo aperte deducitur, potestatem illam nonnisi praedicto ritu mediante primitus fuisse concessam. — Nec obstat locus [3]: *Et cum constituissent illis per singulas ecclesias presbyteros,* etc.: graeca enim vox χειροτονήσαντες sat clare evincit illam presbyterorum constitutionem per manuum impositionem fuisse peractam.

II. Quod autem ritus ille efficax sit gratiae, ostendunt tum particulae μετά, *cum,* quae hic valet pro *per,* quo modo dicitur [4]: *Pro virtute,* id est *per virtutem,* tum maxime alia particula διά, *per:* quae particulae simul sumptae significant, non solum gratiam una cum manus impositione dari, sed etiam dari hac mediante, tanquam per instrumentum, qua ratione dicuntur sacramenta producere gratiam, scilicet instrumentaliter. — Ubi advertendum est, graecam vocem, pro *gratia,* non esse χάριν, sed χάρισμα: quae quidem vox, licet saepe designet donum gratiae gratis datae, puta donum

[1] 2 Ep., I, 6, 7. — [2] Cf. Act., VI, 6; XIII, 3 1 Tim., V, 22. — [3] Sect., XIV, 22. — [4] 1 Cor., V, 4.

prophetiae, linguarum, aut dignitatem officii, interdum tamen ad significandam gratiam sanctificantem usurpatur, ut videre est apud S. Paulum ad Romanos [1]. — Quod autem hic revera pro gratia sanctificante accipi debeat, ostenditur tum ex modis loquendi quibus utitur S. Paulus, scilicet *negligere. resuscitare.* seu melius, ut graecus habet, *denuo vivificare,* sicut ignis sopitus flabello suscitatur, quae quidem gratiae habituali optime congruunt, quae, utpote habitus entitativus, cui virtutes tamquam actionum principia inseruntur, excitari opportune potest, ut fructus adferat. Non enim, ut advertit Tirinus, dona Dei sunt *veluti vivae prunae in cordibus nostris accensae; sed eas Satan et caro suffocare, vel saltem obruere nituntur: nos contra, magis ac magis oratione fovere, exercitio acuere, vigilantia custodire solemus.*

Congruit haec explicatio verbis Apostoli, qui mox subdit qualibus virtutum actibus episcopum maxime exornari oporteat: fortitudinis scilicet, atque dilectionis et sobrietatis, quae quidem sunt virtutes cum gratia infusae et per exercitationem explicandae. Quod autem Apostolus voce χάρισμα, magis quam χάρις utitur, ideo est quia, una cum gratia sanctificante, infunditur in ordinatione etiam spiritualis quaedam potestas, seu character sacerdotalis, ad sacra munia, Ecclesiae nomine, peragenda, in utilitatem et salutem aliorum. Ad rem S. Ioannes Chrysostomus [2]: ADMONEO TE UT RESUSCITES GRATIAM DEI; *hoc est, gratiam spiritus, quam accepisti ut praesis Ecclesiae, ut signa edas et cultum omnem exhibeas. Penes nos enim est illam vel exstinguere, vel accendere.*

III. Denique, quod stabilis hic et fixa Christi institutio habeatur, licet disertis verbis in Scriptura non dicatur, ex eadem tamen colligi commode potest: nimirum, in omnibus ordinationibus ibidem recensitis, eumdem videmus ritum semper commemoratum, imo et praescriptum, quod nonnisi a Spiritus Sancti inspiratione repeti potest; imo expresse ponitur ordinatio Timothei ex revelatione profecta, quod significatur per verba, *per prophetiam:* scilicet, revelatione admonitus, Paulus Timotheo manus imposuerat, eumque episcopum con-

[1] V, 15. — [2] Homil. I, in Ep. 2 ad Timoth.

servaverat, cohaerenter ad ea quae ipsemet antea scripserat [1]: *Hoc praeceptum commendo tibi, fili Timothee, secundum praecedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam.* Cum autem indefecturum sit praedictum ministerium sacerdotale, hinc nec illius ritus institutio ad certum tempus coarctata dicenda est, sed fixa et permanens.

11. — **Scholion.** — Quod hic dicitur: *cum impositione* (quod est, *per impositionem manuum presbyterii*, sibi vult, *manuum episcoporum*, qui te una mecum ordinaverunt, ut explicat S. Joannes Chrysostomus, aiens [2]: *Non de presbyteris hoc in loco, sed de episcopis loquitur: neque enim presbyteri ipsum ordinaverant.* Unde nomen presbyterii, ut notat Sylvius [3], sumitur hic concretim seu collective pro coetu presbyterorum, seu, in proposito, episcoporum. Inde enim ab exordio Ecclesiae, episcopus ordinabatur a pluribus episcopis, inter quos unus erat praecipuus, qui in casu videtur fuisse ipsemet S. Paulus [4].

12. — **Traditio.** — Porro, traditionis in Ecclesia perpetuo vigentis plures inveniuntur disertissimi testes, quorum alii implicite rem nostram conficiunt, dum docent sacra ordinatione Sanctum dari Spiritum, gratiam mirabilem conferri, etc.; alii vero hunc ritum inter novae Legis sacramenta expresse commemorant.

Ex prioribus dignus est qui audiatur pius quidam auctor, sub nomine S. Ambrosii, aiens [5]: *Sed tamen per hominem dat Deus: homo imponit manus, Deus largitur gratiam.* S. Ambrosius vero ipse dicit [6]: *Accepimus Spiritum Sanctum, qui non solum nostra peccata dimittit, sed etiam nos facit sacerdotes suos alios peccata dimittere.* Similiter S. Gregorius Nyssenus [7]: *Eadem verbi vis sacerdotem augustum et venerandum facit, novitate benedictionis a communitate vulgi segregatum. Cum enim heri*

[1] I Tim. I, 18. — [2] In h. locum. — [3] In Supplem., Quaest. XXXIV, art. 3. — [4] Cf. Canon. IV. inter Conc. Nic. I; item can. I. inter Can. Apost. Labb. an. 384, 624. — [5] In lib. de dignitate sacerdotali, cap. 2, n. VI, col. 385. — [6] In Psalm. CXVIII, Sermo X, n. 17, t. II, col. 588. — [7] Orat. in Bapt. Christi, Paris., 1615, t. II, p. 802.

ac tempore superiori unus e multitudine ac plebe esset, repente redditur praeceptor, praeses, doctor pietatis, mysteriorum latentium praesul; eaque contingunt ei, cum nihil vel corpore vel forma mutatus, sed quod ad speciem externam attinet, ille sit qui erat, invisibili quadam vi ac gratia, invisibilem animam in melius transformatam gerens. Ad rem etiam pertinet testimonium Concilii Chalcedonensis [1]: *Si quis episcopus, propter pecuniam ordinationem fecerit, et non venalem gratiam in venditionem deduxerit,...* εἰς πρᾶσιν καταγάγῃ τὴν ἄπρατον χάριν, *de proprio gradu in periculum veniat* [2].

Eorum vero qui conceptis verbis sacram ordinationem inter sacramenta enumerant, citari potest S. Leo Magnus, qui de ea loquens, ait [3]: *Quis igitur dissimulare audeat quod in tanti sacramenti* (ordinationis) *perpetratur iniuriam?* Qui etiam [4] sacerdotalem ordinationem expresse vocat sacramentum, et modum ac tempus illam conferendi praescribit. S. vero Augustinus, baptismum cum ordinatione conferens, ait [5]: *Nulla ostenditur causa cur ille, qui ipsum baptismum amittere non potest, ius dandi potest amittere. Utrumque enim sacramentum est, et quadam consecratione utrumque homini datur: illud cum baptizatur, istud cum ordinatur; ideoque in Ecclesia catholica utrumque non licet iterari* [6]. Pariter S. Hieronymus contendit iterum ordinandos non esse, quos haeretici iam ordinaverant, eo pacto quo ab haereticis baptizati rebaptizari minime debent: *Si in fide sua baptizato baptizans nocere non potuit, et in fide sua sacerdotem constitutum constituens non inquinavit* [7]. Denique S. Gregorius Magnus [8]: *Qui in culmine ponitur, sacramenta suscipit unctionis. Quia vero ipsa unctio sacramentum est, is qui promovetur bene foris ungitur, si intus virtute sacramenti roboretur.* — Notandum, graecam et omnes orientales ecclesias, hac in re, cum occidentalibus ecclesiis plane omnino consentire [9].

[1] Can. II, Mansi, t. VII, col. 358. — [2] Cf. S. Io. Chrysost., L. III de Sacerdotio, n, 4; S. Cyrillus Alexandr., in Io., XX, 22. 23; Theodoret., in 1 Tim., V, 22, etc. — [3] Epist. LXXXVII, ad episc. prov. Maur. Caesar., c. I, p. 157. — [4] Epist. LXXXI, c. 1, p. 149. — [5] L. II. Contra ep. Parmeniani, c. 13, n. 28. — [6] Cf. l. V de Bapt., n. 28. — [7] Dialog. adv. Luciferianos, n. 11, t. II, col. 183. — [8] L. IV, in lib. I, Reg., c. 4, in princ. t. II, p. 1029. — [9] Cf. Goar, Euchol., pp. 194, seq.

13. — Ratio theol. — Christus sacramentum sui corporis et sanguinis in coena dedit et frequentandun instituit. Porro, quia corporalem sui praesentiam erat Ecclesiae subtracturus, ideo necesse fuit ut homines institueret sibi ministros, qui sacramenta fidelibus dispensarent. Ministrum autem oportet esse principali agenti proportionatum; cum igitur salutem nostram Christus operatus sit ut homo pro nobis patiendo, ita tamen ut passio illa ex virtute divinitatis infinitum valorem haberet, ideo necesse est Christi ministros et homines esse, et aliquid divinitatis eius participare, secundum aliquam spiritualem potestatem, quae est ordinis potestas.

Haec autem potestas, quia data est in aedificationem Ecclesiae, ad alios derivari debuit, et quidem usque ad consummationem saeculi: tamdiu enim oportet hanc potestatem perpetuari, quamdiu necesse est aedificari Ecclesiam; praeterea debuit haec potestas sub quibusdam sensibilibus signis hominibus tradi, quae sunt certae formae verborum et determinati actus, puta, impositio manuum, inunctio, porrectio libri vel calicis, aliaque id genus, ad executionem spiritualis potestatis pertinentia. Ad divinam autem liberalitatem pertinet, ut cui confertur potestas ad aliquid operandum, conferantur etiam ea sine quibus huiusmodi operatio convenienter exerceri non potest, quod est gratia. Manifestum est igitur, concludit Angelicus [1], quod in collatione spiritualis potestatis quoddam sacramentum peragitur.

14. — Ad quaenam se extendit potestas ordinis. — Ulterius autem notandum est, ordinis potestatem attendi secundum dispensationem sacramentorum, quibus humana salus comparatur: atqui inter omnia sacramenta eminet Eucharistia; ordo igitur potissimum ordinatur ad hoc sacramentum conficiendum et ministrandum. Est autem eiusdem virtutis aliquam perfectionem tribuere, et ad eius susceptionem materiam disponere; oportet igitur ut ordinis potestas non solum ad hoc se extendat, ut sacramentum corporis Christi conficiat atque fidelibus tradat, sed etiam ad hoc ut

[1] L. IV Contra Gent., cap. 74.

removeat obstacula quibus homo praepeditur ne ad Eucharistiam accedat, quod fit per baptismum et poenitentiam. Ad haec igitur sacramenta ministranda potissimum ordinatur ordinis sacramentum [1]. — Ex quibus ita confirmatur enunciata propositio: propter quod unumquodque tale, et illud magis; sed propter ordinem homo fit dispensator aliorum sacramentorum; ergo multo magis est in ordine ratio sacramenti, quam in aliis [2].

15. — Definitio ordinis. — Quae cum ita sint, patet ordinis definitio Concilio Tridentino tradita [3]: *Potestas a Christo Apostolis eorumque in sacerdotio successoribus tradita, consecrandi, offerendi ac ministrandi corpus et sanguinem eius, necnon peccata dimittendi et retinendi, atque sacerdotio ex officio deserviendi:* quae definitio priore sui parte competit sacerdotio, posteriore vero ceteris ordinibus infra ipsum.

Celebris quoque est definitio a Magistro Sententia tradita [4] et a S. Thoma suscepta et explicata [5]: *Ordo est signaculum quoddam Ecclesiae, quo spiritualis potestas traditur ordinato:* ubi genus est illud: *signaculum,* seu signum quoddam exterius; differentia vero, *traditio potestatis spiritualis.* — Nimirum, cum ordo ecclesiasticus non attendatur per distinctionem gratiae gratum facientis, sed per distinctionem potestatis ad sacrum aliquod ministerium obeundum, hinc convenienter definitur per illam potestatem, tanquam per differentiam. Praedictis addi possunt sequentia verba: *ministeria ecclesiastica obeundi,* quibus verbis finis ordinis apposite designatur.

16. — Scholion. — Circa nomen quod generis locum tenet in hac definitione, scilicet *signaculum,* scite advertit S. Thomas [6], quod hic non ponitur pro charactere interiori, sed pro eo quod exterius geritur, quod est signum et causa interioris potestatis. — Addit tamen S. Doctor, quod non esset inconveniens si pro interiori charactere sumeretur, quod est

[1] S. Thom., loco cit. — [2] S., Quaest. XXXIV, art. 3. — [3] Sess. XXIII, cap. 1 et 2. — [4] 4, Dist. XXIV. — [5] S., Quaest. XXXIV, art. 2. — [6] L. cit., 2 ad 1[m].

in hoc sacramento principalius et magis essentiale: quia illud quod est res tantum, scilicet gratia, non est de essentia sacramenti; id vero quod est sacramentum tantum transit, et remanet sacramentum et res, scilicet character interior. — *Obiicienti*, non posse unam partem tenere locum generis, sicut nequit dici: *Homo est brachium, vel caput, — respondetur*, id omnino prohiberi cum agitur de partibus integralibus, non autem cum de partibus essentialibus est sermo: unde quodammodo dici potest: *Homo est anima rationalis*, etsi haec definitio non sit completa.

17. — **Solvuntur difficultates.** — I. In baptismo et confirmatione datur etiam aliqua potestas, ergo differentia ordinis non potest constitui per hanc potestatem.

Resp. In baptismo datur potentia, sed passiva, scilicet ad recipiendum sacramenta; potestas vero in ordine est activa; et quidem cum aliqua praeeminentia; in confirmatione vero datur aliqua potestas activa ad agendum ea quae pertinent ad pugnam spiritualem contra inimicos fidei, non autem potestas sacra munia obeundi [1].

II. Per ordinem aliquis constituitur superior alio. Atqui unusquisque debet seipsum aliis inferiorem existimare: hoc enim iubet humilitas christiana. Ergo non debet esse ordo in Ecclesia.

Resp. *Dist. mai.*: constituitur superior officio, *conc.*; merito, *nego. Dist. min.*: ratione meriti et virtutis, *conc.*; ratione concrediti officii, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Cum distinctio officiorum et munerum sit ab ipso Deo, hinc non hoc a nobis exigitur, ut gradui, quem in ecclesiastica hierarchia fors obtinemus, abrenuntiemus; sed suadet humilitas ut unusquisque alium se superiorem, praestantiorem atque meliorem iudicet, iuxta illud Apostoli [2]: *In humilitate superiores sibi invicem arbitrantes*: hoc scilicet pacto, quia alius, licet specietenus nobis merito inferior, aliqua tamen forsan dona possidet, quibus nos ipsi caremus. *Aliquid occultum esse* (potest)

[1] Cf. Tract. n. DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS, art. 5, n. 8, p. 343. — [2] Phil., II, 3.

in alio, ait S. Augustinus [1], *quo nobis superior sit, etiamsi bonum nostrum, quo illo videmur superiores esse, non sit occultum.*

III. Sicut praelatio spiritualis datur cum quadam consecratione, ita et praelatio saecularis, saltem in regum unctione. Atqui huiusmodi unctio regalis non est sacramentum. Ergo nec consecratio quae habetur in praelatione spirituali.

Resp. *Dist. mai.*: attenta differentia finis in una et altera consecratione, *conc.*; quasi unus idemque sit utriusque finis, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Non omnis benedictio vel consecratio, quae hominibus impertitur, est sacramentum; monachi enim et abbates benedicuntur et similiter reges unguntur, nec tamen illae benedictiones vel unctiones sunt sacramenta, quia per eas non ordinatur homo ad dispensationem divinorum sacramentorum, sicut per benedictiones ordinis, et ideo non est simile [2].

18. — Differentia inter ordines ecclesiasticos et ordines angelicos. — Ad pleniorem doctrinae hucusque traditae intelligentiam, iuvat hic assignare propriam et formalem differentiam quae intercedit inter ordines ecclesiasticos, in quibus attenditur ratio sacramenti, et ordines angelicos, in quibus talis ratio deest: nimirum, de horum necessitate est gratia gratum faciens, quae absolute in illis non requiritur. Ordines enim Ecclesiae militantis respiciunt participationem sacramentorum quae sunt causa gratiae; unde gratiam quodammodo praecedunt, et sic non est de necessitate nostrorum ordinum gratia gratum faciens, sed solum potestas dispensandi sacramenta; et propter hoc ordines ecclesiastici non distinguuntur per distinctionem gratiae gratum facientis, sed per distinctionem potestatis: unde potest diaconus sanctior esse presbytero, et presbyter episcopo, et laicus clerico. Sed in angelis ordines secundum se distinguuntur secundum distinctionem in gratia: nam ordines eorum respiciunt per se participationem divinorum et communicationem in statu gloriae, quae est secundum mensuram gratiae et

[1] Lib. LXXXIII, quaest. LXXI, n. 5, t. VI, col. 62. — [2] S., Quaest. XXXIV. art. 3, ad 3[m].

quasi finis et effectus eiusdem: per accidens tamen ordo in eis attenditur secundum distinctionem naturae, in quantum ad distinctionem naturae sequitur in eis distinctio gratiae [1]. Quocirca ordines angelici distinguuntur essentialiter secundum diversos gradus gratiae, non autem ordines ecclesiastici [2].

19. — **Scholion.** — Est etiam alia differentia attendenda inter potestatem spiritualem quam secumfert ordo in angelis et in hominibus. Nimirum, potestas spiritualis, quae sequitur ad ordinem angelicum superiorem per respectum ad ordinem inferiorem, non confertur angelo cum aliquo signo visibili, sicut hominibus fit, cum angeli signis sensibilibus non indigeant: et ideo nullo modo dici potest ordo angelicus sacramentum, cum de ratione sacramenti sit esse signum sensibile [3].

Articulus II. — *Utrum debeant plures ordines distingui.*

1. — **Ratio articuli.** — Acto in praecedenti articulo de ordine seu de sacra ordinatione, quatenus verum sacramentum est novae Legis, sequitur ut de eodem agatur quatenus significat gradum aliquem sacrae potestatis, ut scilicet determinetur utrum sit unus, vel multiplex. Sacram vero potestatem hic consideramus, non quae iurisdictionis dicitur, quae respicit spirituale regimen fidelium, et a papatu et cardinalatu deinceps, variis constat dignitatibus iuridicis, et constituit hierarchiam iurisdictionis; sed consideramus sacram potestatem huic praeviam quae respicit sacramentorum dispensationem, et constituit hierarchiam ordinis. Igitur de ordinum pluralitate generaliter hic quaerimus; de determinato eorumdem numero specialiter postea inquisituri.

2. — PROP. — **Conveniens fuit ut plures ordines in Ecclesia constituerentur.**

[1] Vide tr. n. de Angelis, vol. I, Quaest. LXII, art. 6. p. 283. — [2] S., Quaest. XXXIV, art. 1, ad 3m. — [3] Ibid., art. 3, ad 2m.

3. — Auctoritas. — Haec propositio ad fidem pertinet; sic enim in Concilio Tridentino legimus [1]: *Si quis dixerit, praeter sacerdotium, non esse in Ecclesia Catholica alios ordines et maiores et minores, per quos, velut per gradus quosdam, in sacerdotium tendatur. A. S.* Et rursus [2]: *Cum divina res sit tam sancti sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius et maiori veneratione exerceri posset, ut in Ecclesia ordinatissima dispositione plures et diversi essent ministrorum ordines, qui sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi, ut qui iam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad maiores ascenderent*

In doctrina autem eiusdem Concilii ad rem hanc spectante [3], septem clare enumerantur ordines, videlicet, sacerdotium, diaconatus, subdiaconatus, acolytatus, exorcistatus, lectoratus et ostiariatus: quae etiam enumeratio in Iure consecratur [4].

4. — Notandum. — Ubi advertendum sedulo est, ex citatis verbis, duo quidem fide credenda proponi: scilicet, primo, plures esse, praeter sacerdotium, ministrorum ordines; et secundo, eosdem per maiores et minores rite discerni; at utrum omnes isti ordines divinitus fuerint instituti, item an omnibus et singulis ratio competat sacramenti, an omnes aeque imprimant characterem, an ab initio, vel tantum decursu temporis, omnes viguerint — omnia haec theologis disputanda relinquuntur.

5. — Suadetur prop. — I. Ecclesia est corpus mysticum, simile corpori naturali, ut docet Apostolus [5]. Atqui in corpore naturali diversa sunt membrorum officia, quodam ordine distributa. Ergo et in Ecclesia diversi debent esse ordines, secundum diversa officia quibus corpus Christi mysticum regi postulat [6].

II. Ministerium novi Testamenti dignius est quam ministerium veteris Testamenti, ut ex S. Paulo constat [7]. Sed

[1] Sess. XXIII, can. 2. — [2] Ibid., c. 2. — [3] L. cit. — [4] Can. 949, art. praeced., n. 8, p. 132. — [5] Rom., XII, 5; 1 Cor. XII, 12; Eph., I, 23; Col., I, 18. — [6] S., Quaest. XXXVII, art. 1, Sed contra 1. — [7] 2 Cor., III, 6.

in veteri Testamento non solum sacerdotes, sed eorum etiam ministri seu levitae sanctificabantur. Ergo et in novo Testamento debent consecrari, per ordinis sacramentum, non solum sacerdotes, sed ministri eorum; et ita oportet quod sint plures ordines [1].

III. Idipsum constat ex comparatione ordinis cum reliquis sacramentis. Nimirum, alia sacramenta ordinantur ad quosdam determinatos spirituales effectus percipiendos; et quia isti effectus sunt specifice inter se diversi, propterea et sacramenta diversa instituta sunt. Atqui sacramentum ordinis datur principaliter ad actus aliquos agendos; ideoque, secundum diversitatem actuum, oportet quod ordinis sacramentum distinguatur, sicut potentiae distinguuntur per actus [2].

6. — Prob. rat. theol. — Ordinum multitudo, ait S. Thomas [3], est inducta in Ecclesia propter tria. Primo quidem, propter Dei sapientiam commendandam, quae in distinctione rerum ordinata maxime relucet, tam in naturalibus, quam in spiritualibus, quod significatur in hoc quod regina *Saba videns... ordines ministrantium* (Salomoni), *non habebat ultra spiritum* [4], deficiens in admiratione sapientiae illius. Secundo, ad subveniendum humanae infirmitati; quia per unum non poterant omnia quae ad divina mysteria pertinebant expleri, sine magno gravamine; et ideo distinguuntur ordines diversi ad diversa officia; et hoc patet per hoc quod Dominus dedit Moysi septuaginta senes in adiutorium [5]. Tertio, ut via proficiendi hominibus amplior detur, dum plures in diversis officiis distribuuntur, ut dicitur in libro *de Ecclesiastica Hierarchia* [6].

7. — Quo pacto ordo in plures dividatur. — Sciendum est autem divisionem ordinis in plures non esse totius integralis in suas partes, neque totius universalis in sua inferiora, sed totius potestativi in suas partes potentiales. Natura enim huiusmodi totius est quod totum, secundum completam rationem, invenitur in uno, in aliis autem secun-

[1] Ibid., 2. — [2] Ibid., ad 1[m]. — [3] Loco cit., corp. art. — [4] 3, Reg., X, 4, 5. — [5] Num., XI, 16. — [6] Cap. 3.

dum aliquam participationem ipsius: porro, tota plenitudo sacramenti ordinis invenitur in uno ordine, scilicet in sacerdotio; in inferioribus autem ordinibus invenitur tantummodo aliqua participatio ordinis. Et hoc significatum est in hoc quod Dominus dixit Moysi [1]: *Auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi;* et ideo ordo vel ordinatio, seu omnes ordines simul dicuntur unum sacramentum specie et numero; quia omnes ordines simul accepti constituunt unum completum sacramentum [2].

8. — Solvitur difficultas. — In regimine monarchico, in quo scilicet unus tantum principatur, tota potestas apud unum residet. Ergo in Ecclesia non debet esse divisio potestatis secundum ordinum distinctionem.

Resp. *Dist. mai.*: sic ut ista potestas admittat varios ministrorum ordines, *conc.*; sic ut per se sola omnia officia adimpleat, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Cum nobilius sit illud communitatis regimen in quo unus tantum principatur, quod est regimen monarchicum, prae regimine quo potestas penes plures residet, quod vocatur regimen aristocraticum [3], hinc recte in Ecclesia unus constituitur, penes quem tota potestatis plenitudo residet. Hoc tamen non tollit quominus plures ordines ecclesiastici esse debeant: quamvis enim tota potestas sit in rege, non tamen excluduntur ministrorum potestates, quae sunt participationes quaedam regiae potestatis [4].

Articulus III. — *Utrum septem ordines convenienter distinguantur.*

1. — Sententiae non probandae. — Ad numerum ordinum determinandum devenientes, prius recitare iuvabit tres hac de re sententias, quae probari minime possunt.

α) Primo, aliqui numerum ordinum assignare conati sunt per quamdam adaptationem ad gratias gratis datas, de quibus loquitur S. Paulus [5]: quod tamen perperam fit, cum

[1] Num., XI, 17. — [2] S. Thom., loco cit., ad 2[m]. — [3] Arist., L. VIII; Ethic., c. 10. — [4] Ibid., ad 3[m]. — [5] 1 Cor., XII, 8, seqq.

omnes ordines eidem dentur, non autem gratiae gratis datae, ut testatur idem Apostolus dicens [1]: *Divisiones gratiarum sunt.* Praeterea, cum novem sint genera charismatum, illi qui hanc sententiam sequuntur, quaedam recensere coguntur tanquam ordines, quae ordines revera non sunt, ut sunt episcopatus et psalmistatus vel cantoratus.

β) Alii vero censuerunt assignari posse septenarium ordinum numerum secundum quamdam assimilationem ad caelestem hierarchiam, in qua ordines distinguuntur secundum purgationem, illuminationem et perfectionem, quasi aliqui ordines, ut ostiariatus, acolytatus et exorcistatus ad purgandum, alii vero, ut lectoratus, subdiaconatus et diaconatus ad illuminandum, sacerdotium autem et maxime episcopatus ad perficiendum ordinentur. Deficit autem et haec assignatio, tum quia ordines caelestis hierarchiae non distinguuntur per praedictas actiones hierarchicas, cum quaelibet cuilibet ordinum conveniat, tum quia solis episcopis convenit perficere, illuminare autem sacerdotibus, purgare vero ministris omnibus.

γ) Alii denique appropriare nisi sunt ordines septem donis Spiritus Sancti, at non feliciori exitu, cum unoquoque ordinum septiformis gratia Spiritus Sancti homini conferatur. — Sit ergo

2. — PROP. — Septem ordines convenienter distinguuntur, sumpta ratione ab eorum relatione ad sanctissimam Eucharistiam.

3. — Auctoritas. — Imprimis, quod ad septenarium numerum pertinet, sat explicita sunt verba Concilii Tridentini [2]: *Non solum de sacerdotibus, sed et de diaconis sacrae Litterae apertam mentionem faciunt, et quae maxime in illorum ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docuit; et ab ipso Ecclesiae initio sequentium ordinum nomina atque uniuscuiusque eorum propria ministeria, subdiaconi scilicet, acolythi, exorcistae, lectores et ostiarii, in usu fuisse cognoscuntur.* — Quod autem septenario huic numero funda-

[1] Ibid., 4. — [2] Sess. XXII, cap. 2.

mentum sit in antiqua Ecclesiae fide, ostendetur percurrendo tum Scripturae, tum traditionis monumenta, quibus historice vindicari potest.

4. — Testimonium ex Sacra Scriptura. — Porro, incassum certe quis inferiorum ordinum, inde a subdiaconatu, mentionem, in Scriptura quaereret; attamen sacerdotium et diaconatus clare inibi significantur. Nimirum, ex sanctorum Pauli [1] et Petri [2] testimoniis accipimus, generali quadam ratione, sub Apostolis, seu episcopis, tanquam senioribus primi ordinis, quorum erat Ecclesiis praeesse, fuisse presbyteros seu seniores secundi ordinis, seu inferioris potestatis, illis subordinatos atque ab eis dependentes: sic quippe expresse loquitur S. Paulus [3]: *Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus:* hi vero ab illis sacram potestatem per manuum impositionem accipiebant [4]: *Manus cito nemini imposueris:* ubi liquido licet deprehendere rationem alicuius ordinis destinati ad perpetuandam, secundum distinctos gradus, missionem et potestatem apostolicam. Huc facit condemnatio lata a Pio X contra modernisticam propositionem superius recensitam [5]. — De diaconis vero explicitior adhuc est mentio, tanquam qui Apostolorum et episcoporum adiutores electi divinitus atque ad sacrum ministerium ordinati repraesentantur [6]. — Porro, Scripturae silentium de reliquis ordinibus supplet traditionis vox, ut mox videbimus.

5. — Testimonium ex traditione. — I. De superioribus ordinibus. — In traditione vero, vel ex antiquissimis temporibus, non solum quoad sacerdotium et diaconatum, sed etiam quoad inferiores ordines, tanquam distinctos gradus, mentio expressa passim invenitur.

Imprimis, quod attinet ad sacerdotium et diaconatum, iuvabit sequentia recitasse testimonia. S. Clemens Rom. († 100)

[1] Tit., I, 5, seq. — [2] 1 Ep., V, 1-4. — [3] 1 Tim., V, 19. — [4] Ibid., vers. 22. — [5] Art. 1, n. 5. Prop. 50 inter condemnatas in Decreto *Lamentabili sane exitu*, 3 Iul., 1907. — [6] Act., VI, 2; Phil., I, 1, seq.; 1 Tim., III, 1, seq.

haec scripsit [1]: *Summo sacerdoti sua munera tributa sunt; sacerdotibus locus proprius adsignatus est, et levitis sua ministeria incumbunt: homo laicus praeceptis laicis constringitur.* Qui etiam ad antiquiorem traditionem appellat [2]: *Neque hoc novum institutum fuit: multis enim retro saeculis de episcopis et diaconis scriptum est: sic enim alicubi dicit Scriptura:* CONSTITUAM EPISCOPOS EORUM IN IUSTITIA ET DIACONOS EORUM IN FIDE.

Similiter S. Ignatius Martyr († circa 105) ad Smyrnaeos scribens, ait [3]: *Omnes episcopo obtemperate ut Iesus Christus Patri, et presbyterio ut Apostolis; diaconos autem revereamini ut Dei mandatum.* Qui etiam Philadelphenses ita exhortatur [4]: *Studeatis una Eucharistia uti: una enim est caro Domini nostri Iesu Christi.... unum altare, sicut unus episcopus, cum presbyteris et diaconis, conservis meis; ut quod faciatis, secundum Deum faciatis.* Pariter, in epistola ad Polycarpum ait [5]: *Paratus sum animam meam ponere pro iis qui subditi sunt episcopo, presbyteris, diaconis; et utinam mihi contingat cum iis partem habere in Deo.* Pariter, dignus est qui recitetur Tertullianus [6]: *Dandi quidem* (baptismi) *habet ius summus sacerdos, qui est episcopus; dehinc presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate, propter Ecclesiae honorem, quo salvo, salva pax est.*

6. — II. De ordinibus inferioribus. — Quod attinet ad reliquos ordines, eos videmus in antiquis monumentis identidem recensitos, ex quibus iuvat citare Cornelii, Romani Pontificis, epistolam ad Fabium, episcopum Antiochenum, anno circiter 251 conscriptam, ubi de Novitiano sic loquitur: *Ille ergo Evangelii vindex* (Novatianus) *ignorabat, unum episcopum esse oportere in Ecclesia catholica* [7], *in qua non ei latebat,... presbyteros esse quadraginta sex, diaconos septem, subdiaconos septem, acolythos duos et quadraginta, exorcistas autem et lectores cum ostiariis quinquaginta duos, viduas cum thlibomenis* [8] *plus mille quingentas* [9]. Similiter refert Anastasius Bi-

[1] Ep. 1 ad Cor., C. 40. — [2] C. 42. — [3] C. 8. — [4] Ep. ad Phil., c. 4. — [5] C. 6, n. 1. — [6] De Bapt., cap. 17. — [7] De ecclesia urbis Romae loquitur. — [8] *Egenis.* — [9] Apud EUSEB., H. E., l. VI, c. 43.

bliothecarius, a Caio Romano Pontifice, circa annum 283, statutum fuisse ne quis constitueretur episcopus, qui non antea fuisset *ostiarius, lector, exorcista, sequens* (acolythus), *subdiaconus, diaconus, presbyter* [1]. Sanctus quoque Cyprianus mentionem interdum facit hypodiaconi [2], interdum acolythi [3], interdum vero lectorum [4]. Denique, in Concilio sic dicto Carthaginensi IV, singuli ordines recensentur, atque pro unoquoque eorum ritus ordinationis describitur [5]. Quod si inibi alius ordo, ut psalmistatus, nominatur, hoc fit non ad distinctum ordinem, sed ad peculiare quoddam officium designandum: quod pariter dicendum est de officio fossariorum seu laborantium.

Cum igitur tanta sit traditionis consensio, non immerito retineri potest, ut postea fusius ostendetur, omnium ordinum, sive maiorum, sive minorum, institutionem, *de iure* a Christo Domino esse repetendam, licet *de facto* aliqui ordines ab Apostolis vel eorum successoribus originem duxerint, quo facit nota S. Augustini regula [6]: *Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur.*

7. — Ratio theologica. — Sacramentum ordinis ad sacramentum Eucharistiae ordinatur, quod est sacramentum sacramentorum: sicut enim templum et altare et vasa et vestes, ita et ministri, qui ad Eucharistiam ordinantur, consecratione indigent, et haec consecratio est ordinis sacramentum. Et ideo distinctio ordinum est accipienda secundum relationem ad Eucharistiam, quia potestas ordinis vel est ad consecrationem ipsius Eucharistiae, vel ad aliquod ministerium ordinatum ad hoc sacramentum.

Igitur, si primo consideretur potestas ordinis relate ad consecrationem Eucharistiae, sic est ordo sacerdotum; et ideo cum ordinantur, accipiunt calicem cum vino, et patenam cum pane, accipientes potestatem conficiendi corpus et

[1] De vitis Rom. Pont., Romae, 1723, t. II, p. 249. — [2] Ep. XLV, n. 3; ep. XLVII. — [3] Ep. XLV, n. 4; et, XLIX, n. 3; ep. LII, n. 1. — [4] Ep. XXXIX, n. 5. — [5] D.-B., nn. 150, seq. — [6] De Baptismo, l. V, cap. 24.

sanguinem Christi. — Si vero, secundo, consideretur potestas ordinis relate ad aliquod ministerium praestandum circa hoc sacramentum, sic cooperatio ministrorum est vel in ordine ad ipsum sacramentum, vel in ordine ad suscipientes. Si primo modo, sic est tripliciter: primo, est ministerium, quo minister cooperatur sacerdoti in ipso sacramento quantum ad dispensationem, sed non quantum ad consecrationem, quam solus sacerdos facit, unde ad diaconum pertinet sanguinem Christi dispensare; secundo, est ministerium ordinatum ad materiam sacramenti, ordinandam in vasis sacris ipsius sacramenti, quod pertinet ad subdiaconos, qui proinde, cum ordinantur, accipiunt de manu episcopi calicem vacuum; tertio, est ministerium ordinatum ad praesentandum materiam sacramenti, quod competit acolytho, qui urceolum cum vino et aqua praeparat, unde in ordinatione accipit urceolum vacuum. — Ministerium vero ordinatum ad praeparationem recipientium non potest esse nisi super immundos, quia qui mundi sunt, iam sunt ad sacramenta percipienda idonei. Triplex autem est genus immundorum: quidam enim sunt omnino infideles credere renuentes, et hi arcendi sunt a visione divinorum et a coetu fidelium, ad quod pertinet ostiariatus; quidam vero sunt volentes credere, sed nondum instructi, scilicet catechumeni, ad quorum instructionem ordinatur ordo lectorum, et ideo prima rudimenta doctrinae fidei, scilicet vetus Testamentum, eis legendum committitur; quidam denique sunt fideles et instructi, sed impedimentum habentes ex potestate daemonis, scilicet energumeni, ad quod ministerium est ordo exorcistarum [1].

8. — **Scholia.** — I. Quoniam sacerdotum ordo ad Eucharistiam conficiendam ordinatur, ideo eisdem competit, naturali consequentia, homines proxime disponere ad huius sacramenti susceptionem, tum praedicatione verbi Dei, tum administratione baptismi, poenitentiae et extremae unctionis [2]. Hanc veritatem pulcre admodum exponit S. Thomas [3]. — Quia potestas ordinis, ait, ad dispensationem sacramentorum

[1] S., Quaest. XXXVI, art. 2, ad litt. — [2] Ibid., art. 4, ad 1m. — [3] Contra Gent., l. IV, cap. 74, ad litt.

ordinatur, inter sacramenta autem nobilissimum et consummativum aliorum est Eucharistiae sacramentum, oportet quod potestas ordinis consideretur praecipue secundum comparationem ad hoc sacramentum, nam unumquodque denominatur a fine. Eiusdem autem virtutis esse videtur aliquam perfectionem tribuere, et ad susceptionem illius materiam praeparare; sicut ignis virtutem habet ut formam suam transfundat in alterum, et ut materiam disponat ad formae susceptionem. Cum igitur potestas ordinis ad hoc se extendat, ut sacramentum corporis Christi conficiat et fidelibus tradat, oportet quod eadem potestas ad hoc se extendat ut fideles aptos reddat et congruos ad huius sacramenti perceptionem. Redditur autem aptus et congruus fidelis ad huius sacramenti perceptionem per hoc quod est a peccato immunis: non enim potest aliter Christo uniri, cui sacramentaliter coniungitur, hoc sacramentum percipiendo. Oportet igitur quod potestas ordinis se extendat ad remissionem peccatorum per dispensationem illorum sacramentorum, quae ordinantur ad peccati remissionem: cuiusmodi sunt baptismus et poenitentia.

II. Pariter, ad modum officii secundarii et consequentis, diaconis committitur pronuntiandum evangelium a Domino traditum, subdiaconis epistolae a sanctis Apostolis conscriptae, acolythis vero committitur deferendum lumen visibiliter figurans doctrinam novi Testamenti [1].

III. De minoribus ordinibus notandum venit quod illos suscipientes potestatem accipiunt ut omnia eisdem adnexa ex officio peragere possint, licet eadem ab aliis quoque compleri valeant, at non ex officio, quemadmodum etiam missa dici potest in domo non consecrata, quamvis consecratio ecclesiae ad hoc ordinetur, ut in ea missa dicatur [2].

9. — Officia psalmistarum et fossariorum. — De psalmistatu opportune notat Angelicus [3], quod non est ordo, sed officium ordini adnexum; et quia psalmi cum cantu pronunciantur, ideo psalmistae dicti sunt cantores, ψαλταί, κανονικοὶ

[1] Ibid., art. 4, ad 4^{m} et 8^{m}. — [2] Ibid., ad 9^{m}. — [3] Ibid., art. 2, ad 5^{m}.

ψαλταί : at vero psalmista vel cantor non est nomen ordinis specialis, tum quia cantare pertinet ad totum chorum, tum quia non habet aliquam specialem relationem ad Eucharistiae sacramentum: quia tamen officium quoddam est, ideo inter ordines largo modo acceptos aliquando computatur, quo sensu apud Syros et Maronitas tanquam gradus requiritur ad lectoratum suscipiendum [1].

Idipsum dicendum est de officio fossariorum, quos alio nomine *copiatas* (a κοπιάω, *laboro*), seu *laborantes*, vocabant: quod proprie ordo non fuit, sed nudum officium ac ministerium, circa ecclesias, coemeteria, aut defunctos praestandum, unde etiam dicti sunt *lecticarii* vel *libitinarii:* quae quidem officia interdum clericis sunt commissa, unde apud S. Hieronymum legimus [2]: *Clerici quibus id officii erat, cruentum linteo cadaver obvolvunt, et fossam humum lapidibus construentes, ex more tumulum parant.*

10. — Distinctio inter ordines sacros et non sacros. — Hic autem praetermittenda non est distinctio inter ordines sacros et non sacros, quam expresse tradit Concilium tridentinum [3] et clare explicat S. Thomas [4]. Nimirum, ordo sacer dicitur dupliciter: uno modo, secundum se, et sic quilibet ordo est sacer, cum sit sacramentum quoddam; alio modo, ratione materiae circa quam habet aliquem actum, et sic ordo sacer dicitur, qui habet aliquem actum circa rem aliquam consecratam. Et sic sunt tres tantum ordines sacri, scilicet primo, sacerdotium; secundo, diaconatus, qui habet actum circa corpus Christi et sanguinem consecratum; tertio, subdiaconatus, qui habet actum circa vasa consecrata, et ideo eis etiam continentia indicitur, ut sancti et mundi sint qui sancta tractant. Tres isti priores ordines dicuntur etiam maiores; quatuor vero postremi minores, vel non sacri, appellantur.

11. — Ordinum distinctio penes Orientales. — Sciendum autem, in graeca, aliisque orientalibus ecclesiis, non eosdem

[1] Cf. Ios. Sim. Assemani, Biblioth. Orient., t. III, p. I, p. 575. — [2] Epist., ad Innocent., n. 12, t. 1, p. 6. — [3] Sess. XXIII, cap. 2 et can. II. — [4] Ibid., art. 3.

ac apud ecclesiam latinam ordines minores recenseri. Graeci nimirum, uti ex eorum euchologiis ac pontificalibus libris constat, solum lectoratum agnoscere videntur; etenim cum generale Concilium octavum, seu Constantinopolitanum quartum, adversus Photium anno 869 coadunatum, declarasset, nonnisi aliis ordinibus initiatos episcopos posse creari, mox quatuor tantum gradus connumerasse invenitur, videlicet lectoratum, subdiaconatum, diaconatum et presbyteratum [1]. Sed nec Iacobitae aegyptii, nec Nestoriani syri a Graecorum consuetudine, in recensione ordinum minorum, dissentiunt [2]. Attamen, diversa ministeria, a Latinis singulis ordinibus minoribus attributa, Graeci in suis liturgiis et officiis ecclesiasticis, partim subdiacono, partim lectori tribuunt.

12. — Synodi Pistoriensis impia doctrina. — Claudemus huius articuli doctrinam, erroneam sententiam referendo pseudo-Synodi Pistoriensis, quae in propositione 55ª [3] vehementer optare se profitebatur, *ut aliqua ratio inveniretur minutuli cleri (quo nomine inferiorum ordinum clericos designabat), a cathedralibus et collegiatis submovendi, providendo aliter, nempe per probos et provectioris aetatis laicos, congruo assignato stipendio, ministerio inserviendi missis et aliis officiis velut acolythi, etc.. ut olim,* (dicebat), *fieri solebat, quando eius generis officia non ad meram speciem pro maioribus ordinibus suscipiendis redacta erant.* — Haec propositio a Pio VI [4], *quatenus reprehendit institutum, quo cavetur, ut* MINORUM ORDINUM FUNCTIONES PER EOS TANTUM PRAESTENTUR EXERCEANTURVE, QUI IN ILLIS CONSTITUTI ADSCRIPTIVE SUNT [5], *idque ad mentem Tridentini* [6], UT SANCTORUM ORDINUM A DIACONATU AD OSTIARATUM FUNCTIONES AB APOSTOLICIS TEMPORIBUS IN ECCLESIA LAUDABILITER RECEPTAE ET IN PLURIBUS LOCIS ALIQUAMDIU INTERMISSAE, IUXTA SACROS CANONES REVOCENTUR, NEC AB HAERETICIS TAMQUAM OTIOSAE TRADUCANTUR: damnata est uti *suggestio temeraria, piarum aurium offensiva, ecclesiastici ministerii per-*

[1] Mansi, t. XVI, col. 163. — [2] Cf. Renaudot, Perpétuité de la foi, t. V, l. V, c. 6. — [3] Apud Denzinger-B., n. 1555. — [4] Bulla *Auctorem fidei.* — [5] Conc. prov. IV, Mediol. — [6] Sess. XXIII, c. 17.

turbativa, servandae quoad fieri potest in celebrandis mysteriis decentiae imminutiva, in minorum ordinum munera et functiones, tum in disciplinam per canones et speciatim per Tridentinum probatam iniuriosa, favens haereticorum in eam conviciis et calumniis. — Ceterum, simile quid iam protulerat Calvinus, qui de Catholicis scribens, aiebat [1]: *Quaecumque de minutulis suis ordinibus balbutiunt* (catholici), *conflata esse ex inscitis insulsisque mendaciis, doctrinamque de ordinibus ecclesiasticis novitium esse inventum, de quo nunquam alibi, quam apud ineptos canonistas legitur.*

Articulus IV. — *Utrum singuli ordines participent rationem sacramenti.*

1. — Ratio articuli. — In hac quaestione definienda, non una invenitur fuisse theologorum sententia. Dum enim antiquiores scholastici Doctores, quibus Bellarminus et Sylvius consentiunt, ultro admittebant singulos ordines rationem sacramenti participare, recentiores, e contra, id negare deprehenduntur, hac potissime ducti ratione, quia secus plures quam septem numerari deberent sacramenta [2].

2. — Prima tonsura sacramentum non est. — Ubi primo sedulo notandum, nos de ordinibus formaliter sic dictis agere: certum enim esse debet primam tonsuram, non esse ordinem, sed caeremoniam quamdam ecclesiasticam, et quamdam veluti ad ordines praeparationem, ut ait Catechismus Romanus [3], qua videlicet clerici, in sortem Domini vocati, admonentur se, abiectis saecularibus vanitatibus, unius Do-

[1] Inst., l. IV, c. 19, § 24. — [2] Ad rem Dr. L. Atzberger (Handbuch der Kath. Dogmatik, IV B., II Abt., Freiburg im Breisgau, 1901, s. 759): *Seit Morinus und Benedict XIV, ist diese Ansicht* (d. i. dass der Subdiakonat und die vier nieder Weihen nicht sacramentale würde besitzen) *mehr und mehr zur* sententia communior *geworden und wird heutigen Tages von der weitaus grössten Mehrzahl der Theologen und Canonisten als sicher oder doch als sehr wahrscheinlich festgehalten.* — [3] P. II, c. VII, n. 13.

mini mancipio deputari et regiae quodammodo dignitatis participes fieri, atque ad vitae perfectionem necnon rerum divinarum contemplationem, id enim figura circuli non obscure significatur, ex officio destinari. — Nimirum, per tonsuram non accipit homo spiritualem potestatem in alios exercendam, sed ad statum clericalem evehitur atque clericorum collegio inscribitur; unde Concilium Tridentinum ait diversos ministrorum ordines ita fuisse distributos, ut *qui iam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad maiores ascenderent* [1].

Est igitur clericalis tonsura ritus ab Ecclesia institutus, quo homo disponitur ad clericalem statum amplectendum, atque ordines suscipiendos, seu est *praeambulum ad ordinem suscipiendum*, ut ait S. Thomas [2]. Propterea, vix in antiquitate exemplum profertur de clerico, qui sola fuerit clericali tonsura insignitus absque ullo ordine aut officio. *Singuli... in clericali ministerio constituti*, ait S. Cyprianus [3], *nonnisi altari et sacrificiis deservire, et precibus atque orationibus vacare debent.*

3. — Corona clericalis. — Adverti autem hic opportune poterit, sedulo distinguendam esse clericalem tonsuram ad modum coronae confectam, quae quidem nonnisi saeculo quinto vel sexto invecta est, ab illo antiquo more, quo clericis ad cutem fere crines detondebantur, cuius moris testis est, inter caeteros Prudentius, christianus poeta saeculi quarti, qui S. Cypriani in clericum carthaginensium adscriptionem his verbis describebat [4]: *Deflua caesaries compescitur ad breves capillos:* in quo quidem Ecclesia respexisse videtur ad illud S. Pauli [5]: *Nec ipsa natura docet vos, quod vir quidem, si comam nutriat, ignominia est illi : mulier vero, si comam nutriat, gloria est illi?* Perantiquus ergo mos est, clericorum comam tondi: quod autem tonsio haec coronae formam serius obtinuerit, commode referri potest ad illam coronam commemorandam, quae ex spinis contexta,

[1] Sess. XXIII, cap. 2. Cf. Cat. Rom., P. II, c. VII, nn. 13, seq. — [2] S., Quaest. XL, art. 2. — [3] Ep. I, al. LXVI, p. 169, n. 1. — [4] Hymn. 13, Peristeph., v. 3. — [5] 1 Cor., XI, 14.

Salvatoris nostri capiti fuit imposita: cuius memoria excitati curare debent Ecclesiae mimistri, ut omnibus in rebus Christi speciem et figuram gerant [1].

Quae cum ita de prima tonsura constiterit, iam ad proprium huius articuli argumentum accedendum est.

4. — PROP. — α) **Nulli dubium esse potest, quin tum in sacerdotio, tum in diaconatu, ratio sacramenti habeatur,** β) **probabilissime etiam tenetur subdiaconatum necnon quatuor minores ordines pariter sacramenti rationem participare.**

5. — 1ª **Pars.** — **Sacerdotium verum esse novae Legis sacramentum,** res est omnino de fide tenenda. Enimvero, in Concilio Tridentino, secundum perpetuam Ecclesiae traditionem, definitur quod sacra ordinatio sacramentum est [2]. Atqui de nulla ordinatione id magis constat quam de sacerdotali, cum sit apex ordinis, ad quem per inferiores ordines ascenditur. — Accedit quod ad fidem pertinet, per ordinationem sacerdotis, et gratiam conferri, iuxta illud [3]: *Accipite Spiritum Sanctum*, et characterem imprimi, ut in eadem Tridentina Synodo definitur [4].

6. — **In diaconatu** pariter **rationem esse sacramenti,** adeo certum est, ait Sylvius [5], ut absque temeritate negari non possit; quod dicitur contra Durandum [6] Caietanum [7] et alios paucos id negantes. Enimvero, de diaconis dicitur [8] quod ordinati sunt per impositionem manuum apostolicarum: quae caeremonia, in Scripturis novi Testamenti, sacramenti collationem plerumque significat; quo modo illam tota antiquitas in ordine ad diaconatum intellexit.

7. — **Confirmatur** ex verbis, quibus in ordinando diaconum utitur episcopus: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur,*

[1] Cat. Rom., l. c., n. 14. Cf. Martène, *de antiquis Eccl. ritibus.* l. I, P. II, cap. 8, art. 7, § 4; Morinus, *Comment. de sacris ordinat.* P. III, exercit. XV, etc.). — [2] Sess. XXIII, can. 3. — [3] Io., XX, 22. — [4] Loco cit., can. 4. — [5] In S., Quaest. XXXVII, art. 2, concl. 2ª. — [6] in 4, Dist. XXIV, Quaest. II, n. 6. — [7] t. I, Opusc. — [8] Act., VI, 6.

etc.; quibus verbis significari gratiae collationem aperte eruitur ex Concilio Tridentino [1]: *Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra episcopos dicere:* ACCIPE SPIRITUM SANCTUM, A. S. Insuper, in eodem Concilio dicitur [2], existere hierarchiam, *divina ordinatione institutam*, quae constat episcopis, presbyteris et ministris: ministrorum autem nomine ad minus diaconi intelligi debent. — Quocirca communiter testantur Patres, cum ordinatione diaconi gratiam conferri; quinimmo, in Concilio sic dicto Carthaginensi IV dicitur diaconos per manus impositionem ordinari et ad ministerium consecrari [3]. Porro huiusmodi ministerium absque gratia rite exhiberi nequit; character vero indelebilis, quem ad manus impositionem sequi agnoscit traditio, absque sacramento minime habetur.

8. — **Traditio circa diaconatum**. — Silenda hic quoque non sunt clarissima traditionis testimonia. Eusebius Caesariensis ait [4]: *Mox septem spectatae virtutis viri, per praedicationem et manus impositionem, diaconi ab Apostolis constituti sunt, qui Ecclesiae ministerium exhiberent. Quorum ex numero fuit Stephanus, qui statim post ordinationem*, etc. Explicitus adhuc S. Ioannes Chrysostomus ait [5]: *Vide quam non superflue scriptor loquatur: non enim dicit quomodo, sed simpliciter quod ordinati sint per orationem. Hoc enim est ordinatio: manus viro superponitur; totum vero Deus operatur; eiusque manus est quae tangit caput ordinati, si quemadmodum oportet, ordinetur.* — In quibus et similibus locis, vel aequivalenter, vel expresse, ritus sacer nominatur, a Christo Domino institutus, ad speciale in Ecclesia ministerium explendum, quod quidem absque gratiae collatione digne et competenter praestari nequit: unde rite concluditur Patres diaconatum tanquam verum sacramentum agnovisse.

9. — **Solvuntur difficultates.** — I. Diaconi instituti fuerunt ad ministrandum mensis [6]. Atqui tale officium citra dignitatem sacramenti adimpletur. Ergo diaconatus non est sacramentum.

[1] Sess. XXIII, can. 4. — [2] Ibid., can. 6. — [3] Can. 4. — [4] In Act. VI, 6. — [5] Comment in cit. loc. Act. Apost. Homil. XIV. — [6] Act., VI, 2.

Respondeo, hanc quidem fuisse occasionem, minime vero finem adaequatum eorumdem institutionis: nimirum S. Lucas, cum sibi praefixisset finem exponendi occasionem ordinationis diaconorum, de hac tantum verba fecit, praetermissa dispositione divinae voluntatis, quae causis secundis utitur ad beneplacitum suae voluntatis in actum traducendum. Porro altiorem fuisse finem ultimum institutionis diaconorum, constat tum ex dotibus in eis requisitis [1], tum ex officiis praedicandi verbi Dei et baptismi conferendi, quae ab eisdem expleta leguntur [2]. Adde, ipsum mensarum ministerium non mere profanum fuisse, sed etiam sacrum, cum ipsi accederet consecratio et distributio Eucharistiae [3].

Huc refertur quod scribit S. Cyprianus, ubi ad clerum et plebes Hispaniae de forma electionum scribens, ait [4]: *Nec hoc in episcoporum tantum et sacerdotum, sed in diaconorum ordinationibus observasse Apostolos animadvertimus, de quo et ipso in Actis eorum scriptum est* [5]: ET CONVOCAVERUNT, *inquit*, ILLI DUODECIM TOTAM PLEBEM DISCIPULORUM, ET DIXERUNT EIS, *Quod utique idcirco tam diligenter et caute convocata plebe tota gerebatur, ne quis ad altaris ministerium, vel ad sacerdotalem locum indignus obreperet.* Sic igitur primi illi diaconi ideo exhibentur coram plebe electi, ne indignus quis ad altaris ministerium obreperet.

II. S. Hieronymus scribit [6]: *Quid patitur mensarum et viduarum minister, ut supra eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi corpus sanguisque conficitur?... Sciant quare diaconi constituti sint, legant Acta Apostolorum, recordentur conditionis suae.*

Resp. Sanctus Hieronymus, in hac epistola, adversus quemdam Falcidium conscripta, totus est in cohibenda quorumdam diaconorum audacia atque impudentia, qui, ob favorem quo apud episcopos valebant, necnon bonorum temporalium dispensationem eis concreditam, eo arrogantiae ac superbiae devenerant, ut sui gradus immemores, sese presbyteris anteferrent.

[1] Ibid., vers. 3. — [2] Ibid., vers. 9; VIII, 5, 12. — [3] Cf. quae scripsimus in Comment. in Act. Ap. in h. l. — [4] Epist. LXVII, al. LXVIII, n. 3. p. 289. — [5] VI, 2. — [6] Ep. CXLVI, ad Evangelum, n. 2, t. I, P. II, col. 1081, 1083.

Quapropter illos suae conditionis admonet, quatenus occasionem suae institutionis recolentes, quae fuit ut in mensarum viduarumque ministerium incumberent, desisterent se cum presbyteris comparare, ad quorum preces Christi corpus et sanguis conficitur. Ceterum S. Doctor, in hac ipsa epistola affirmat diaconos id sibi in Ecclesia vindicare, quod levitae fuerant in templo; quinimmo in libro *contra Vigilantium* [1], diaconatum expresse vocat sacramentum Christi, et in epistola *ad Heliodorum*, illum appellat tertium ab episcopatu gradum [2].

III. S. Cyprianus, in Epistola ad Rogatianum [3], dum diaconos ab Apostolis secernendos esse testatur, negat illos a Domino nostro fuisse institutos.

Resp. Sensus huius Patris non est quod diaconatus sit iuris tantum ecclesiastici, sed quod Christus, licet hunc ordinem instituerit, non tamen per seipsum diaconos consecraverit, quemadmodum Apostolos in episcopos consecravit.

IV. Patres Concilii Trullani [4] praedictum Actorum locum explicarunt de profano tantum munere diaconis imposito.

Resp. Patres illi non omnino negaverunt ordinari diaconos ad sacra ministeria destinatos; sed singularem invehentes sententiam, utique toti antiquitati contrariam, autumaverunt duplicem distingui debere diaconorum classem: aliam ministrorum servitio vulgarium mensarum addictorum, qui etiam bonorum temporalium oeconomi essent, ut erant septem priores illi a S. Luca commemorati; aliam vero ministrorum divinis mysteriis servientium, de quibus loquitur S. Paulus ad Timotheum.

Quae quidem positio commentitia erat, non tamen excludebat existentiam diaconorum ab Apostolis ordinatorum, qui videlicet sacris operarentur. At recolendum est, illegitimum fuisse illud concilium, nec ab Ecclesia receptum.

10. — Diaconissae. — Ne cui autem difficultas contra anteactam doctrinam oboriatur ex diaconissarum institu-

[1] In fine. — [2] C. 1, t. II, p. I, col. 388. — Ep. XVI, n. 8, t. I, P. II, col. 35. — [3] Epist. III, al. LXV. n. 3, p. 173. — [4] Hard., Act. Concil., t. III, col. 1667, can. 16.

tione ducta, sciendum est hanc quidem ab ipsis Apostolis esse repetendam; quod, aliis omissis testimoniis, ex epistola S. Pauli ad Romanos [1] colligi potest. — Diaconissae erant mulieres aetate provectae, quadraginta circiter annorum, viduae, quaeque unum tantum habuerant virum. Tum incessu, tum habitu, tum moribus, graves atque modestas eas esse decebat. Ab Episcopo ad hoc munus obeundum eligebantur, ab eoque per certam manuum impositionem confirmabantur, quae quidem caerimonia benedictionem, minime vero consecrationem aut ordinationem secumferebat: quocirca ritus ille non sacramentum, sed potius sacramentale constituebat, qualis nunc ille censetur, quo sanctimoniales velum accipientes, ab episcopo benedicuntur.

Varia erant diaconissarum officia: nimirum, generatim loquendo, mulierum, sive christianarum, sive catechumenarum, curam gerere debebant, quasi diaconorum vice circa illas fungentes. Ianuae custodiae, per quam mulieres in ecclesiam ingrediebantur, praepositae erant, ac sui sexus fidelibus in Ecclesia invigilabant. Sacerdoti feminas baptizanti, quo melius earum pudori consuleretur, operam praestabant; catechumenas in doctrina christiana domi, non in Ecclesia, instruebant; aegrotas invisebant; confessoribus carcere detentis opem ferebant, quibus diaconorum aditus difficulter patuisset.

Cum vero quaedam saeculo secundo diaconissae huiusmodi munera sibi haudquaquam sufficientia duxissent, alia sibi indebite arrogare contenderunt, qualia sunt, verbi gratia, vasa sacra tangendi aut incensum circa altare comburendi: quos abusus Summus Pontifex Soterius fortiter proscripsit [2].

Qua aetate diaconissarum munus abolitum fuerit, certe determinari nequit: at constat illud non uno eodemque tempore ubique sublatum. In Ecclesia latina, ut plurimum, coepit in desuetudinem venire saeculo V, cum tamen in oriente saeculo VIII adhuc vigeret; compertum autem est, saeculo decimo nullum iam in occidente diaconissarum vestigium, nisi quod ad honorem pertinet, amplius reperiri [3].

[1] XVI, 1, 2; cf. 1 Tim., V, 9. De eisdem mentio fit in Ep. Plinii secundi ad Traianum, n. 8, et in Constitut. Apostol., c. 13. D.-B., nn. 24, 620. — [2] Epist. XII. Can. *Sacratas*, XXIII dist. — [3] Cf. Car-

II. — 2ª Pars. — Subdiaconatus et ordines minores. — Vix ambigi potest subdiaconatui et ordinibus minoribus vere inesse sacramenti rationem, maxime si prae oculis habeantur Conciliorum Florentini atque Tridentini verba. In illo quidem [1], cum generaliter dictum fuisset: *Sextum sacramentum est ordinis*, nulla introducta distinctione, mox tum maiores, tum minores ordines recensentur, additis iis quae ad ordinum collationem, ad ministrum atque effectum pertinent: ex quo deducere licet, omnes illos ordines rationem sacramenti proportionaliter participare.

Explicitiora adhuc sunt quae in Concilio Tridentino de eodem argumento leguntur, in quo primum definitur, praeter sacerdotium, dari in Ecclesia alios ordines, maiores et minores [2]; tum generaliter statuitur sacram ordinationem esse verum sacramentum [3]; demum declaratur esse in Ecclesia hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat episcopis, presbyteris et ministris [4], qua voce claudi debere subdiaconatus et minores ordines, ex enumeratione quam Synodus antea fecerat [5] legitime infertur. Ceterum, ex historia actuum Concilii Tridentini habemus, omnes ferme theologos, ad expendendas quaestiones de Ordinis sacramento, sententiam quam hic tuemur, tenuisse, pluresque ex illis eamdem expresse defendisse.

His adiungi potest suffragium Concilii sic dicti Carthaginensis IV in quo describitur modus quo clerici in singulis ordinibus sint consecrandi, recensitis singulis minoribus ordinibus; ubi autem venitur ad psalmistas, sanctimoniales et viduas, nulla fit de ordinatione mentio [6]: sic, verbi gratia, de psalmista vel cantore dicitur [7], quod *potest absque scientia episcopi, sola iussione presbyteri, officium suscipere cantandi, dicente sibi presbytero:* VIDE UT QUOD ORE CANTAS, CORDE CREDAS; ET QUOD CORDE CREDIS, OPERIBUS COMPROBES.

---

din. BONA. Rerum liturgic., l. I, c. 25, § 15. cum notis Roberti Sala; MARTIGNY, ad art. *Diaconesses:* cf. etiam quae scripsimus in opusc. *L'immaculée Mère de Dieu, Corédemplrice du genre humain*, Turnhout, 1905, cap. XXI.

[1] Decreto pro Armenis, Denzinger, n. 701. — [2] Sess. XXIII, can. II. — [3] Can. III. — [4] Can. VI. — [5] Can. II. — [6] D.-B., nn. 150, seq. — [7] Can. X.

12. — Explicatur qua ratione subdiaconatus et ordines minores rationem sacramenti participent. — Quo autem plenius haec veritas attingatur, advertendum est totam ordinis plenitudinem, ut docet S. Thomas, in sacerdotio contineri: non hoc sensu, ait Sylvius [1], quod gratia et character in eo solo reperiatur, sed quia in aliis ordinibus gratia et character sunt quaedam participationes effectuum qui sunt in sacerdotio, quatenus referuntur ad ministerium superioris ordinis. Quocirca, nec Christus per seipsum, nec Apostoli initio Ecclesiae statim ordinaverunt distinctas a diaconis personas, quae ministerio inferiorum ordinum fungerentur: unde, propter fidelium paucitatem, omnia illa officia diaconis committebantur. Crescente autem, non diu post Ecclesiae exordia, fidelium communitate, inferiora ministeria separatim collata sunt, et in distinctos ministros distributa; unde non tunc de novo instituti sunt illi ordines, sed qui prius per unum administrabantur, coeperunt singulis distribui.

Quae cum ita sint, dicendum est non esse necessarium, absolute loquendo, ut quis ordines minores prius accipiat, quam ad altiores ascendat; quia, ait Angelicus [2], potestates sunt distinctae, et una, quantum est de sui ratione, non requirit aliam in eodem subiecto. Quocirca aliqui, in primitiva Ecclesia, ordinabantur in presbyteros, qui prius inferiores ordines non susceperant, et tamen poterant omnia quae inferiores ordines possunt, quia inferior potestas comprehenditur in superiori virtute, sicut sensus in intellectu et ducatus in regno. Non enim ordines sunt gradus qui occurrant in actione una vel in uno motu, ut oporteat ad ultimum per primum devenire, sed sunt sicut gradus in diversis rebus constituti, sicut est gradus inter hominem et angelum; non oportet autem quod ille qui sit angelus, prius fuerit homo, sicut non oportet quod illud quod est caput, prius fuerit pes [3]. Ergo, quod ad maiores ordines quis non se ingerat, qui prius in minoribus officiis se non humiliaverit, per constitutionem Ecclesiae determinatum est; unde qui ordinantur per saltum sunt quidem irregulares, eo quod grave Ec-

[1] In S., Quaest. XXXVII, art. 2, quaest. I. — [2] S., Quaest. XXXV, art. 5. — [3] Ibid., ad 2[m].

clesiae praescriptum praetermiserint; non tamen reordinari debent.

13. — **Scholion**. — Ad hanc doctrinam pertinet quod docet Angelicus [1], in sacramento ordinis imprimi characterem, non solum quantum ad sacerdotium, sed etiam quantum ad ceteros ordines, tum maiores, tum minores. Revera, cum per quemlibet ordinem aliquis constituatur super plebem in aliquo gradu potestatis ordinatae ad sacramentorum dispensationem, character autem sit signum distinctivum unius ab aliis, oportet quod in omnibus ordinibus character imprimatur. Ulterius, quilibet ordo vel habet actum circa ipsum sacramentum, vel ordinat ad sacramentorum dispensationem, sicut ostiarii habent actum admittendi homines ad divinorum sacramentorum inspectionem, et sic de aliis; et ideo in omnibus ordinibus requiritur spiritualis potestas [2]; unde ordines perpetuo manent, etiamsi homo ad laicatum se transferat, nec, si ad clericatum revertatur, iteratur ordo quem habuerat.

14. — **Quaestio I**. — *Qua ratione ceteri ordines, tum maiores, tum minores, continentur in sacerdotio?*

Respondeo, ordines isti continentur in sacerdotio sicut partes continentur in toto potestativo: nimirum virtus sacerdotii se extendit ad actus caeterorum ordinum, potens praestare quidquid isti ordines praestare possunt, et amplius; et sic dicendi sunt contenti in sacerdotio virtualiter et eminenter, sicut anima sensitiva continetur in anima intellectiva. Quapropter, sacerdotium est quoddam totum potentiale, de cuius ratione est, ait S. Thomas [3], ut adsit singulis partibus secundum totam suam essentian, sed non secundum totam suam virtutem; et ideo potest quodammodo praedicari de qualibet parte, sed non ita proprie, sicut totum universale; unde omnes ordines, ab ostiariatu usque ad diaconatum inclusive, non sunt quidem totidem sacramenta, sed sunt proprie partes potentiales unius sacramenti ordinis, quod est sacerdotium [4]. — Quae cum ita sint, dicendum est,

[1] Ibid., art. 2. — [2] Ibid., ad 1[m]. — [3] 1, Quaest. LXXVII, art. 1, ad 1[m]. — [4] Cf. art. praec., n. 3.

apud graecos, qui praeter sacerdotium et diaconatum recensent tantum lectoratum et subdiaconatum, lectoratum continere etiam virtualiter ostiariatum; subdiaconatum vero tum exorcistatum, tum acolythatum.

15. — Quaestio II. — *Quare subdiaconatus aliquando habitus fuit ordo non sacer?*

Resp. Hoc fuit, non quia teneretur huic ordini deesse rationem sacramenti, sed sequentibus de causis. *Primo*, quia de eo in Sacra Scriptura mentio non fit; *secundo*, quia saltem per plures provincias adnexam non habebat legem caelibatus, vel continentiae; *tertio*, quia subdiaconis prohibebatur vasa sacra, maxime cum Eucharistiam continebant, nuda contingere; *quarto*, quia olim subdiaconi capaces non habebantur qui in episcopum eligerentur [1].

16. — Quaestio III. — *Quandonam subdiaconatus inter ordines maiores adnumeratus est?*

Resp. Probabiliter dici potest, id factum fuisse sub Urbano II, cum hic Pontifex, in Concilio Beneventano [2] statuit ut in episcopos assumi possent, cum prius solum ex ordine presbyterorum et diaconorum assumerentur. En verba [3]: *Nullus in episcopatum eligatur, nisi in sacris ordinibus religiose vivens fuerit inventus. Sacros autem ordines dicimus diaconatum et presbyteratum; hos siquidem solos primitiva legitur habuisse Ecclesia: subdiaconos vero, quia et ipsi altaribus ministrant, opportunitate exigente, concedimus, si tamen spectatae sint religionis et scientiae, quod ipsum non sine Romani Pontificis vel Metropolitani licentia fieri concedimus* [4]. — Re quidem vera, quod persuasum fuerit Innocentio III subdiaconatum ab Urbano II inter sacros ordines fuisse relatum, constat ex eius verbis [5]: *Cum hodie subdiaconatus in sacros ordines computetur, sicut Urbanus Papa II sub his verbis expressit*, etc. [6].

[1] Cf. Sylv., in S., Quaest. XXXVII, art. 2, Quaer. I, sol. 3. — [2] A. 1091. — [3] Grat. Dist. 60, c. 4, p. 301. — [4] Mansi, t. XX, col. 738. — [5] Cap. *A multis*. De aetate, et qualitate, et ordine praeficiendorum, Decret. n. 20, p. 270. — [6] Momenta controversiae, hac de re, videsis apud Hon. Tournely, de Sacr. Ord., p. 251.

17. — Quo pacto minores ordines Ecclesia instituerit. — Ex doctrina de istis minoribus ordinibus hucusque tradita, facile iam potest intelligi qua ratione Ecclesia, Spiritu Dei edocta, primo quidem unum vel alterum ex minoribus ordinibus, caeteris praetermissis, instituerit, postea vero expresse iusserit singulos inferiores ordines, antequam quis ad altiorem ascenderet, rite suscipi debere, ordinationem, ut dicunt, per saltum, omnino proscribens. Cum enim id sibi iuris vindicaret, ut quod virtualiter in sacerdotio continetur, formaliter et explicite per partes enuclearet atque conferret, sapientissime providisse invenitur, ut neophyti et rudes sacrorum tyrones inferioribus ordinibus probe initiarentur, priusquam ad altiorem hierarchiae gradum elevarentur: tantae dignitatis est incruentum Deo sacrificium offerre [1].

Ad rem facit quod scribit S. Thomas [2]: *In primitiva Ecclesia solum erant tres ordines,... scilicet episcoporum, presbyterorum et ministrorum, et non dividebantur per diversos gradus, sed omnia erant in uno ordine, propter paucitatem ministrorum, et propter novitatem Ecclesiae.* Huc etiam refertur illud Cardinalis Bona [3]: *Contingit Ecclesiae quod hominibus solet, qui, dum tenue patrimonium habent, uno servo contenti sunt, qui solus omnia administrat: si vero reditus augeantur, servorum etiam augetur numerus; eoque magis crescit familia, quo illi locupletiores et spectabiliores evadunt. Sic evangelicae praedicationis initio parvula adhuc et latitans Ecclesia, paucis indiguit ecclesiasticarum functionum ministris. Crescente autem credentium multitudine, et auctis facultatibus ex fidelium oblationibus, cum soli diaconi non possent omnibus incumbere, diversa onera et officia diversis personis distributa sunt.*

18. — Scholion. — Igitur, quaestioni utrum Christus an Ecclesia ordines presbyteratu inferiores instituerit, respondendum est cum distinctione: nimirum, eos utique directe et per se instituit Christus, prout virtute continentur in presbyteratu; prout autem singillatim et distincte explicati sunt, eos instituit Ecclesia [4].

[1] Cf. infra, Quaest. III, art. 2, n. 24. — [2] In caput III Epistolae 1ae ad Tim., Lect. 2. — [3] Rerum liturgicarum, L. I. c. 25. — [4] Hinc videtur non tam accurate scriptum ab Atzberger (Handbuch

19. — Solvitur tacita difficultas. — Per animadversionem praedictam, satisfieri potest difficultati obiicientium deesse minoribus ordinibus divinam institutionem: quandoquidem illos omnes virtualiter instituit Christus in sacerdotio, Ecclesiae id relinquens, ut, data opportunitate, tum maiores, tum minores ordines singillatim distingueret. Patet ergo Calvini inscitia, scribentis [1]: *Est vero istud perquam ridiculum, quod affirment* (catholici), *septem esse sacramenta, dum recensere ipsa volunt, tredecim enumerant* [2].

Articulus V. — *Utrum episcopi iure divino presbyteris superiores sint.*

1. — Errores. — Fuit olim Aerii, novatoris saeculi quarti, sententia, presbyteros episcopis, tum quoad potestatem ordinis, tum quoad potestatem iurisdictionis, in omnibus coaequari; quem errorem a Wicleffitis ac Waldensibus renovatum, prespbyteriani saeculi decimi sexti, duce potissimum Ioanne Knox, amplexati sunt, et ad ultimas usque conclusiones deduxerunt. His axioma fuit illud Aerii: τί ἐστὶν ἐπίσκοπος

---

der Kath. Dogm., IV B., II Abt., Freiburg im B., 1901, p. 756): *Die genannten Ordines* (minores cum subdiaconatu) *jedenfalls nicht unmittelbar und ausdrücklich von Gott eingesetzt sind. Man kann nur sagen, dass dieselben insofern göttlicher Einsetzung sind, als sie in dem von Gott instituirten Diaconate wie in ihrer Quelle und ihrem Ursprunge enthalten und nur entfaltete Theile oder Abzweigungen desselben sind.* — Sane, dicendus est Deus ordines hos immediate et expresse instituisse, prout virtute continentur, non in diaconatu, sed in presbyteratu, in quo et ipsa diaconatus virtus continentur.

[1] Institut., l. IV, cap. XIX, § 22. — [2] Quandonam isti ordines instituti fuerint, nequit exacte determinari; attamen minus recte diceretur, hoc non fuisse, nisi diminuta iam fide in Ecclesia: *Quand la foi se fut affaiblie, l'ordre des exorcistes s'établit peu à peu, mais non en même temps, dans toutes les Eglises.* Martigny, Dictionnaire d'Archéologie chrétienne, art. *Exorcistes.* Sane in Ep. Cornelii Romani ad Fabium Episc. antiochenum, hic ordo clare cum aliis recensetur. Euseb., Hist. Eccles., VI, 43.

πρὸς πσεσβύτερον; οὐδὲν διαλλάττει οὗτος τοῦτου · μία γὰρ ἐστὶ τάξις, καὶ μία τιμή, καὶ ἓν ἀξίωμα. *Quanam in re episcopus presbyteros antecellit? Nullum inter utrumque discrimen est: est enim amborum unus ordo, par et idem honor ac dignitas.* Vix autem impium dogma ille invenerat, cum ab universa Ecclesia, testibus sanctis Epiphanio [1], et Augustino [2], uti haereticus ac novitatis auctor, habitus est.

Ad hunc igitur errorem pertinet Presbyterianorum positio, omnem, in suo dogmate, episcoporum supra presbyteros eminentiam reiicientium; quibus catholicorum nonnulli plus aequo adhaeserunt, dum, duce Dionysio Petavio [3], male interpretantes aliquot locos Actuum Apostolorum et epistolarum S. Pauli, theoriam invexerint, Ecclesiae initio, exstitisse episcopos-presbyteros, in quibus utraque, ut aiunt, dignitas cumularetur, et qui recens fundatas ecclesias collegialiter gubernarent.

2. — PROP. — Episcopatus iure divino praestat presbyteratu.

3. — Auctoritas. — Propositio haec, quantum spectat ad superioritatem episcopatus super presbyteratum, est de fide, contenta in his verbis Concilii Tridentini [4]: *Si quis dixerit, episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem, A. S.* Porro, quod haec superioritas intelligi debeat orta ex iure divino, ex illo canone infertur, ubi dicitur adesse hierarchiam, divina ordinatione constitutam, constantem ex episcopis, presbyteris et diaconis [5].

4. — Sacra Scriptura. — Imprimis, potest haec veritas ex illo loco erui, ubi legitur [6]: *Et cum dies factus esset, vocavit discipulos suos, et elegit duodecim ex ipsis, quos et Apostolos nominavit.* Nimirum, ut argumentatur Perrone [7], Chri-

[1] Haeres: LXXV, cap. 3. — [2] L. de Haeres., cap. 53. — [3] Cf. infra, n. 14. — [4] Sess. XXIII, can. 7. — [5] Ibid., can. 6. Cf. CARD. PALLAVICINI, Storia del Concilio di Trento, l. XVIII, cap. 14, ubi tridentinorum Patrum suffragia super doctrinae articulo auctor ille recenset. — [6] Luc., VI, 13. — [7] Tr. DE ORDINE, cap. III, n. 95.

stus Apostolos ex discipulis selegit, iisque speciali potestate in Ecclesia donatis promisit sessionem super sedes duodecim, ad iudicandas duodecim tribus Israel; porro, unanimis est Patrum sententia, episcopos esse Apostolorum successores, quemadmodum presbyteri ab iisdem dicti sunt successores septuaginta duorum discipulorum, qui a Christo inferiori gradu constituti fuerant [1].

5. — Ecclesiae traditio. — I. Patres apostolici. — Est autem hac in re explicita omnino traditio Ecclesiae, ab ipsis Patribus Apostolicis clarissime proclamata, quam per summa capita recensuisse praestabit. — Saeculo primo, prostat auctoritas S. Clementis Romani, qui ait [2]: *Summo quippe sacerdoti* (id est, episcopo) *sua munia tributa sunt, et sacerdotibus locus proprius assignatus est, et levitis sua munia incumbunt.* Maxime autem ad rem nostram facit auctoritas S. Ignatii martyris qui, initio saeculi secundi, scribebat [3]: *Omnes episcopum sequimini, ut Iesus Christus Patrem, et presbyterium ut Apostolos; diaconos autem revereamini, ut Dei mandatum;* πάντες τῷ ἐρισκόπῳ ἀκολουθεῖτε, ὡς ὁ Ἰησοῦς Χριστὸς τῷ Πατρί· καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ ὡς τοῖς ἀποστόλοις· τοὺς δὲ διακόνους ἐντρέπεσθε, ὡς θεοῦ ἐντολήν [διακονοῦντας]. Et clarius [4]: *Quid est enim episcopus, nisi omnem principatum et potestatem illorum omnium tenens?... Quid est presbyterium, nisi constitutio sancta, consiliarii et consessores episcopi? Quid etiam diaconi, nisi imitatores Christi, ministrantes episcopo?* Et rursus [5]: *Hortor ut unanimes in Deo omnia facere festinetis, episcopo praesidente Dei loco, et presbyteris loco senatus Apostolorum, et diaconis mihi dulcissimis, quibus concreditum est ministerium Iesu Christi;* παραινῶ, ἐν ὁμονοίᾳ θεοῦ σπουδάζετε πάντα πράττειν· προκαθημένου τοῦ ἐπισκόπου εἰς τόπον θεοῦ, καὶ τῶν πρεσβυτέρων εἰς τόπον συνεδρίου τῶν ἀποστόλων, καὶ τῶν διακόνων τῶν ἐμοὶ γλυκυτάτων πεπιστευμένων διακονίαν Ἰησοῦ Χριστοῦ.

[1] Cf. S. Hieronym., qui, in Epist ad Marcellam, XLI, al. LIV, ait: *Apud nos Apostolorum locum episcopi tenent.* T. II, col. 189. — [2] Ep. I ad Corinth, c. 40. — [3] Epist. ad Smyrnaeos, c. 8. — [4] In Epist.. ad Trallianos, cap. 12. — [5] In Epist. ad Magnesios, c. 6.

6. — II. Patres aevi subsequentis. — Splendidis hisce testimoniis addi potest auctoritas subsequentium Patrum, qui omnes uno ore, tum distintionem episcoporum a presbyteris, tum illorum super istos praestantiam proclamant. Ex quibus iuvat audire inprimis Clementem Alexandrinum, qui ait [1]: *Sunt quoque in Ecclesia progressiones episcoporum, presbyterorum, et diaconorum, ut arbitror, imitationes angelicae gloriae et illius oeconomiae.* Origines quoque scribit [2]: *Plus a me* (presbytero) *exigitur, quam a diacono; plus a diacono quam a laico. Qui vero totius Ecclesiae arcem obtinet, pro omni Ecclesia reddet rationem.* Denique S. Cyprianus ait [3]: *Dominus noster, cuius praecepta metuere et observare debemus, episcopi honorem et Ecclesiae suae rationem disponens, in Evangelio loquitur, et dicit Petro* [4]: EGO DICO TIBI, QUIA TU ES PETRUS, etc. *Inde per temporum et successionum vices, episcoporum ordinatio et Ecclesiae ratio decurrit, ut Ecclesia super episcopos constituatur, et omnis actus Ecclesiae per eosdem praepositos gubernetur.*

7. — Confirmatur. — I. Confirmatur eadem veritas, primo, ex diligenter contextis, vel ab antiquissimis scriptoribus, episcoporum, qui sibi in ecclesiarum regimine successerunt, seriebus, quales, puta, ab Eusebio [5], necnon a S. Irenaeo [6] recensentur; presbyterorum successiones ut plurimum silentio praetermittuntur: quo non obscure significatur episcopos, non presbyteros, propius habitos fuisse tanquam Apostolorum successores. Celebris est haec sententia Tertulliani, qui sui temporis haereticos ita provocabat [7]: *Edant ergo origines ecclesiarum suarum; evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex Apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiae apostolicae census suos* [8] *deferunt: sicut Smyrnaeorum Ecclesia Polycarpum ab*

[1] L. VI Stromat., c. 13. — [2] Homil. XI in Ierem., Migne, P. V., t. X, col. 290. — [3] Epist. XXXIII, p. 216. — [4] Matt., XVI, 18. — [5] Hist. Eccles. I. IV, cc. 5 et 22 — [6] L. III Adv. haeres., c. 3. — [7] L. de Praescript. — [8] Id est *origines*.

Ioanne collocatum refert; sicut Romanorum, Clementem a Petro ordinatum. Itidem perinde utique et ceterae exhibent quos ab Apostolis in episcopatum constitutos, apostolici seminis traduces habeant. Nimirum, alte insita erat priscis illis viris, non presbyteros, sed solos episcopos tanquam Apostolorum successores proprie esse habendos.

II. Secundo, idipsum patet ex antiquissimis libris ritualibus utriusque Ecclesiae, orientalis et occidentalis, in quibus distinctio presbyteros inter et episcopos clare et indubitanter consignata reperitur: quae quidem non tanquam hominis inventum, sed tanquam Christi ipsius institutio constanter perhibetur [1].

III. Demum, id apparet ex sectis haereticorum, penes quas eadem iugiter invenitur viguisse distinctio inter episcopos, tanquam dignitate et auctoritate superiores, et presbyteros illis subiectos [2].

Cum igitur assignare non sit tempus quo illa distinctio in Ecclesia sit invecta; quinimmo, sursum versus ascendendo, inveniantur ipsi Patres apostolici illam agnovisse tanquam rem ab ipso Christo constitutam et in Scripturis Sanctis consignatam; aliunde, cum mox exortam Aërii sententiam de omnimoda inter illos aequalitate scriptores ecclesiastici acriter impugnaverint, hinc praescriptionis iure concludendum est, doctrinam illam esse revera revelatam et ut talem constanter retinendam.

8. — **Ratio theologica.** — Divina ministeria non debent esse minus ordinata quam humana. Atqui humanorum officiorum ordo exigit, ut in quolibet officio praeponatur unus qui sit princeps illius officii, sicut praeponitur militibus dux. Ergo et sacerdotibus debet aliquis praeponi, qui sit sacerdotibus princeps, et hic est episcopus. Igitur episcopalis potestas debet esse supra potestatem presbyteralem [3].

[1] Cf. MARTÈNE, de Antiquis Ecclesiae ritibus, l. I, P. II, c. 8, art. 11; GOAR, in Euchol., pp. 307, seq.; ASSEMANI, Biblioth. Orient. t. III, p. I, etc. — [2] Cf. RENAUDOT, Perpétuité de la foi, t. V, l. V, c. 10. — [3] S., Quaest. XL, art. 4, sed contra 2.

9. — Explicatur in quonam haec superioritas consistat. — Quae cum ita sint, iam declarandum est in quonam consistat huiusmodi superioritas: quod quidem a S. Thoma egregie explicatur. Sacerdos, ait ille [1], habet duos actus: unum principalem, scilicet consecrare corpus Christi, alterum secundarium, scilicet praeparare populum Dei ad susceptionem huius sacramenti. Quantum ad primum actum, potestas sacerdotis non dependet ab aliqua superiori potestate, nisi divina; sed quantum ad secundum actum, dependet ab aliqua superiori potestate, et quidem humana: omnis enim potestas quae non potest exire in actum, nisi praesuppositis quibusdam ordinationibus, dependet ab illa potestate quae facit illas ordinationes: sacerdos autem non potest absolvere et ligare, nisi praesupposita praelationis iurisdictione, qua sibi subduntur illi quos absolvit. Potest autem consecrare quamlibet materiam a Christo determinatam; nec aliud requiritur quantum est de necessitate sacramenti, quamvis ex quadam congruitate praesupponatur actus episcopalis in consecratione altaris et vestium, et huiusmodi [2]: et ita patet quod oporteat esse potestatem episcopalem supra sacerdotalem, quantum ad actum secundarium sacerdotis, non autem quantum ad primum, ut patet etiam ex eo quod a sacerdote, qui a gradu deponitur, haec potestas minime aufertur.

10. — Corollarium. — Ex hoc sequitur superiores haberi debere episcopos presbyteris, primo quidem potestate *iurisdictionis*, quod quidem et in veteri Lege, quae novae Legis figura extitit, adumbratum invenitur: nimirum, unus tantum tunc sacerdos constituebatur, cui si quis obedire renuisset, morte plectebatur [3]. A fortiori episcopus habendus est tanquam communitatis christianae praeses, quem fideles sequantur et cuius mandatis pareant. Praestat quoque episcopus presbytero potestate ordinis, quia potest sacerdotes ordinare, id est filios procreare, qui Eucharistiam valeant conficere: quod sacerdoti minime competit, ut ex tota tradi-

[1] S., loco cit. — [2] Hinc deduci potest, mentem S. Thomae fuisse, simplicem sacerdotem posse consecrare sacrum chrisma. Cf. tr. n. DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS, art. 3, n. 11, p. 334. — [3] Deut., XVII, 12.

tione eruitur [1]. Solus quoque episcopus potest, potestate ordinaria, fideles confirmare et sacrum chrisma conficere, licet id muneris extraordinaria a Summo Pontifice possit simplici presbytero committi.

11. — **Significatio nominum** EPISCOPUS ET PRESBYTER **in novo Testamento.** — Porro, ad diluendam ambiguitatem, quae multos solet agitare ex promiscua usurpatione, in Sacra Scriptura, nominum *episcopus* et *presbyter*, sciendum est graeca haec nomina, quorum prius idem sonat ac latine *inspector*, alterum vero *senior*, non omnino ita adhibita in initio fuisse, ut per hoc alterum semper sacerdotes secundi ordinis, aut per primum, sacerdotes primi ordinis designarentur: adhibita scilicet promiscua inveniuntur haec nomina ad designandos tum primi, tum secundi ordinis sacerdotes; donec, crescente necessitate alicuius accuratae distinctionis ex parte nominum, solis praesulibus cuiusque ecclesiae *episcopi* nomen cum dignitate relictum est, ceteris simpliciter *presbyteris* appellatis: quod censeri potest factum maxime post mortem Apostolorum. Quocirca, licet nomina haec, *episcopus* et *presbyter*, initio fuerint promiscue usurpata, distincta tamen semper extiterunt utrorumque dignitas, gradus, officium et munus.

12. — **Nominum extensio.** — Ceterum, haud raro, in Sacra Scriptura inferiorum officiorum nomina extenduntur ad superiora, et vicissim: sic, de Iuda Apostolo dicitur [2]: *Sortitus est sortem ministerii huius*, ἔλαχεν τὸν κλῆρον τῆς διακονίας ταύτης, cum tamen verus esset apostolus; pariter S. Paulus, ad Timotheum episcopum scribens, ait [3]: *Ministerium tuum imple*, τὴν διακονίαν σοῦ πληροφόρησον; sic etiam Christus ipse dicitur [4] *Apostolus et pontifex confessionis nostrae*, et rursus [5] *minister circumcisionis;* denique S. Paulus, in epistola ad Philemonem, vocat Archippum, Aristarchum ac

[1] Ex communiori sententia hoc dicimus: infra enim sententiam recitabimus probabiliter sentientium, posse a Romano Pontifice extraordinarie committi simplici sacerdoti collationem ordinis diaconatus, imo et presbyteratus. Quaest. III, art. 2, n. 8. — [2] Act., I, 17. — [3] 2 Ep., IV, 5. — [4] Hebr., III, 1. — [5] Rom., XV, 8.

Demam adiutores et commilitones suos, quemadmodum omnes fideles fratres appellat, Christum secutus, qui Apostolos amicos et fratres appellare non dedignatus est.

13. — Sententiae variae. — Et haec quidem est sententia S. Ioannis Chrysostomi, qui ait [1]: *Antiquitus ipsi etiam presbyteri vocabantur episcopi et diaconi Christi; et episcopi, presbyteri. Quocirca vel hodie multi episcopi ita scribunt: compresbytero et condiacono. Procedente tempore, proprium cuique distributum est nomen episcopi et presbyteri.* Et secundum hanc explicationem facile intelligi potest cur S. Paulus, in epistola ad Philippenses [2], episcopis tantum et diaconibus salutem dicat, nulla facta de presbyteris mentione; itemque cur in prima ad Timotheum [3], de virtutibus disserat, quae in episcopis et diaconibus requiruntur, praetermissis similiter presbyteris: nimirum, hoc fuit quia ea quae dicebat aequaliter presbyteros et episcopos respiciebat, quos omnes S. Paulus episcoporum nomine comprehendebat. Et hoc modo intelligendi sunt illi ex Patribus qui solos episcopos cum diaconis aut presbyteros cum diaconis recensent, ut puta S. Clemens Romanus [4], S. Polycarpus [5], S. Iustinus [6], etc.

Advertisse tamen hic iuverit, non omnibus interpretationem hanc arridere. Nimirum Theodoretus [7] vult nomen episcopi vel presbyteri olim tributum solis sacerdotibus secundi ordinis; sacerdotibus primi ordinis nomine apostolorum designatis. Nec silendus S. Epiphanius [8], cui visum est episcopi nomen nunquam sacerdotibus secundi ordinis, sed summis exclusive sacerdotibus fuisse tributum: iamvero, S. Ioannis Chrysostomi sententia superius recensita probabilior est et communius recepta.

14. — Dionysii Petavii de episcopis-presbyteris sententia. — Porro, digna est quae hic recenseatur Dionysii Petavii, de episcopis, in quibus, ait cumulatam fuisse presbyterorum et episcopororum dignitatem, celebris sententia, quam

[1] In Ep. ad Philippens., Homil. I, n. 1. — [2] I, 1. — [3] C. III. — [4] In Ep. ad Corinth., c. 42. — [5] In epist., ad Philipp. — [6] Apolog. I. — [7] In Comment., in cap. I, Ep. ad Philipp. vers. 1; item in cap. III Ep. I ad Tim., vers. 1. — [8] Haeres. LXXV, cap. 5.

multi recenter susceperunt atque defenderunt, et quam ille sequentibus verbis exponit. — *Primis illis Ecclesiae temporibus*, ait [1], *quae, quod ad formam et disciplinam attinet, quaedam illius infantia dici queunt, existimo presbyteros, vel omnes, vel eorum plerosque, sic ordinatos esse, ut episcopi pariter ac presbyteri gradum obtinerent. Id eo fieri solitum esse verisimile est, quod cum religio christiana progressionem in dies faceret, perque civitates et populos propagaretur, increbrescente multitudine, opus fuit paratam esse copiam episcoporum, qui ad urbes et provincias christiano partas nomini cum potestate mitterentur, ut ea quae ab solis episcopis administrabantur, praestare possent: cuiusmodi sunt clericorum ordinatio per manuum impositionem, confirmationis Sacramentum et alia quaedam, quae simplices presbyteri non attingebant. Hac de caussa videntur plures in eadem ecclesia, velut Ephesina, episcopi fuisse: qui Apostolis, tanquam maioris gradus pontificibus, adeoque summis, obsequebantur. Hoc tum simplices recens ortae mores Ecclesiae ferebant: nondum ambitione et honorum cupiditate, malisque ceteris artibus, depravatis christianorum animis. Posteaquam vero pristina illa caritas, et imitandi Christi amplectandaeque modestiae et humilitatis refrixit amor, tum quod Hieronymus scribit, ad tollendas simultates, et* IN SCHISMATIS REMEDIUM, *unum aliquem e turba presbyterorum eligi placuit, qui praeesset reliquis: atque ita desiere pari non solum dignitate, sed etiam ordine ac potestate plures creari, translata in unum tam honoris, quam functionis praerogativa. Quocirca nunquam non fuit in Ecclesia potestatum graduumque discrimen, hoc est episcopatus et presbyteratus simplicis; sed in eadem capita passim ambo conferebantur* [2].

15. — Critica huius sententiae. — Circa haec verba, plura occurrunt digna notatu. — Primo quidem non appareret quid sibi velit auctor, dum ait omnes presbyteros, vel

[1] L. I Dissertationum ecclesiasticarum, c. 2, n. 1. Ven., 1722, t. IV, p. 171. Cf. etiam L. de Eccles. Hierarch., c. 4. Ibid., p. 155, seq. — [2] Saepius recurrit sententia haec, de episcopis-presbyteris in MANUEL BIBLIQUE, Vol. IV, ed. 13ª, nn. 958, seq.: quae quidem editio in Indicem librorum prohibitorum relata est, 12 Dec. 1923.

eorum plerosque sic ordinatos esse, ut *episcopi pariter ac presbyteri gradum obtinerent*, quod et in fine repetit: quasi videlicet dignitas episcopalis et presbyteralis cumulari possent, et non considerando quod episcopus, eo ipso facto quod episcopus est, necessario etiam est presbyter.

Secundo, non magis recte dicitur factitum tunc fuisse ut episcoporum multi adessent, qui episcopalia munia, relate ad populos ad fidem recens conversos, gererent, quasi unus ad id in singulis civitatibus minime sufficeret. Sane si, vel in magnis dioecesibus, ex solis vel fere solis catholicis constantibus, unus nunc sufficit episcopus, cur initio Ecclesiae, cum videlicet christiani relative pauci erant, tanta episcoscoporum turba introducenda fuit?

Tertio, perperam ad rem inducitur exemplum, ut supponitur, episcoporum Ephesi: cum S. Irenaei sententia sit, ut mox dicemus [1], utique commentatorum consensu firmata, maiores natu illos Ephesi. quos Paulus Miletum ad se accersivit, fuisse praesules illarum minorum Asiae ecclesiarum, ad fidem recens adductarum, quarum Ephesus velut caput habebatur.

Quarto, gravius quid profert Petavius, cum unius episcopi, qui praeses esset communitatis, electionem invidiae et ambitioni attribuit, cum potius ab ipsius Christi institutione sit omnino repetenda: nec hunc sensum necessario habent verba a S. Hieronymo allegata, ut infra patebit [2].

Quae cum ita sint, reiiciendum est Petavianum istud de collegiali episcopatu, qui in monarchicum postea evolutus est, commentum, et potius insistendum in eo quod fert traditionalis sententia, videlicet divinae ipsi Ecclesiae constitutioni esse adscribendam episcopatus monarchici institutionem. Sane, quod in pluribus Paulinis epistolis legitur, puta [3]: *Huius rei gratia reliqui te Cretae, ut... constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi*, et rursus [4]: *Manus cito nemini imposueris*, supponunt ecclesias illas, quibus ex Apostoli assignatione, praeerant respective Timotheus et Titus, ab uno alterove, tanquam unico capite, fuisse administratam.

[1] Infra n. 17. — [2] N. 18. — [3] Tit.. I, 5. — [4] 1 Tim., V, 22.

16. — Reiicitur sententia de episcopatu collegiali. — Igitur, caveri sedulo oportet ab illa recentiorum scriptorum commentatione qui, ad exponendem promiscuitatem nominum *episcopi* et *presbyteri*, sententiam invexerunt, initio Ecclesiae, ministros extitisse, quos *episcopos-presbyteros* appellant, quasi distinctio inter illos et istos nondum clare existeret, et Ecclesia episcopatu, uti aiunt, collegiali aut collectivo, tunc administraretur: tale quippe figmentum ipsam Ecclesiae constitutionem, prout a Christo Domino instituta et sancita est, directe impetit, et viam sternit erroribus presbyterianorum vel puritanorum, a Ioanne Knox in Scotia, ut diximus [1], saeculo decimo sexto invectis.

Nec iuverit dixisse, quod ponunt nonnulli, ipsosmet Apostolos, et maxime S. Paulum, in iis ecclesiis, quas fundaverant, supremam retinuisse auctoritatem, usquedum, mortuo respectivo Apostolo, unus e turba illorum episcoporum-presbyterorum eligeretur, qui novas dioeceses monarchice, ut vult Ecclesiae constitutio, regeret atque gubernaret: — siquidem, nil in Scriptura, nil in traditione prostat, quod sententiae huic fulcimentum aliquod praebeat [2].

17. — Solvuntur difficultates ex Sacra Scriptura. — I. In Actis Apostolorum legitur [3] quod Paulus *a Mileto*

[1] Supra, n. 1, p. 165. — [2] Quae cum ita sint, apparet quam erronee et omnino praeter fas, ex quibusdam Actuum aut S. Pauli epistolarum locis, concluserit L. Duchesne (Storia della Chiesa antica, Vol. I, Roma, 1911, cap. VII, p. 51): *Si scorge qui di già la non distinzione dei preti e dei vescovi e il governo collegiale della Chiesa. Come quella di Filippi, la comunità efesina è retta da un gruppo di personaggi che sono nel medesimo tempo preti e vescovi.* — Nec minus a vero aberrat id quod ille de collegiis episcopalibus, quo nomine promiscue comprehendit episcopos et presbyteros, subinfert (p. 54): *Secondo alcuni vaghi ricordi trasmessici dalla tradizione. essi avrebbero conservato a lungo il potere di ordinare, oggi riservato, come caratteristico, alla dignità vescovile. I preti alessandrini provvedevano alla successione del loro vescovo defunto, non solamente eleggendo il successore, ma anche consacrandolo.* Alia quoque in hoc capite a Duchesne minus recte proferuntur circa episcopatus originem in relatione ad presbyteratum. — [3] XX, 17, 18, 28.

mittens Ephesum, vocavit maiores natu, τοὺς πρεσβυτέρους, *Ecclesiae: qui cum venissent ad eum, et simul essent, dixit eis... Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* Ergo iidem tunc erant presbyteri qui et episcopi, qui cum in una eademque civitate essent, omnes indiscriminatim regimini illius Ecclesiae praepositi erant.

Resp. Non solum a civitate Epheso, sed a vicinis etiam civitatibus, S. Paulus seniores, id est, tum episcopos, tum presbyteros, accersivit, ut eis salutis monita traderet, utrisque proportionaliter convenientia: sic quippe scribit S. Irenaeus [1]: *In Mileto enim, convocatis episcopis et presbyteris, qui erant ab Epheso et a reliquis proximis civitatibus, quoniam ipse festinaret Hierosolymis Pentecosten agere*, etc. Consequenter verba: *Attendite vobis*, etc., ad sacerdotes primi ordinis seu ad episcopos proprie pertinent, qui pro suo officio pastorali speciali ratione a Spiritu Sancto sint constituti, quatenus Apostolis in Ecclesiae regimine succedunt, ut habetur in Concilio Tridentino [2]. Hoc tamen non tollit quin ibi nonnulli esse potuerint semplices presbyteri; licet, ut observat Estius [3], fere praeter episcopum singulis locis non alius esset presbyter, ob paucitatem fidelium, cum in unaquaque civitate unus episcopus et forsan unus presbyter sufficere posset.

II. S. Paulus ad Titum scribens, cum praemisisset [4]: *Unius rei gratia reliqui te Cretae, ut constituas per civitates presbyteros*, mox quales esse deberent isti presbyteri oppidatim constituendi explicat: nimirum, *oportet*, ait [5], *episcopum sine crimine esse*, etc : ex quo patet, iuxta illum, episcopos in nulla re a presbyteris differre.

Resp. Presbyterorum nomine, hoc loco, iuxta expositionem S. Ioannis Chrysostomi, S. Hieronymi, aliorumque antiquorum interpretum, intelliguntur proprie episcopi, qui olim, sicut nunc, nascentibus Ecclesiis praeponebantur, quibus munus incumbebat inferiores ministros ordinandi, imo

[1] L. III Contra Haeres., c. XIV, n. 2 Opp. Ven., 1734, P. I, p. 201. — [2] Sess. XXIII, c. 1. — [3] Comment. in Act., XX, 17. — [4] I, 5. — [5] Vers. 7.

et episcopos ipsos, pro locorum necessitate, consecrandi. Et hoc modo intelligendi sunt illi ex Patribus, qui presbyteros vocant Apostolorum successores, ut S. Clemens Romanus [1]; S. Irenaeus [2]: per presbyteros, scilicet, intelligunt proprie episcopos.

18. — Doctrina S. Hieronymi de distinctione inter episcopos et presbyteros. — Porro cum consueverint haeretici ad S. Hieronymi auctoritatem provocare, quasi ille, Aerii seu Wicleffi sensu, perfectam propugnaverit, inter episcopos et presbyteros, in gradu, numere et dignitate aequalitatem, hinc pretium operae nostrae erit, primo quidem huius sancti Doctoris veram doctrinam exponere, et postea difficiliores ex eius scriptis locos explicare.

Imprimis, quod Stridonensis Doctor agnoverit episcopos dignitate, potestate ac officio presbyteris antecellere, ex hoc primum, eruitur, quod illos appellat Apostolorum successores, sacerdotes vero secundi ordinis in locum septuaginta discipulorum suffectos agnoscit: ait quippe [3]: *Apud nos Apostolorum locum episcopi tenent*; et rursus [4], agens de mansione sexta Israelitarum in deserto in Elim, agnoscit in duodecim fontibus, duodecim Apostolos, et in septuaginta palmis, septuaginta discipulos. Sic enim scribit: *Nec dubium quin de duodecim Apostolis sermo sit; de quorum fontibus derivatae aqu ae totius mundi siccitatem rigant. Iuxta has aquas, septuaginta creverunt palmae, quos et ipsos secundi ordinis sacerdotes intelligimus praeceptores* [5]. Quinimmo, eos qui nihil interesse inter episcopum et presbyterum affirmabant, aperte reprehendit: sic Ioannem Hierolymitanum episcopum carpit, aiens [6]: *Nihil interest, scribit, inter presbyterum et episcopum: eadem dignitas mittentis* (episcopi) *et missi* (presbyteri); *hoc satis imperite: in portu, ut dicitur, naufragium.*

Rursus, uni episcopo tribuit S. Hieronymus saltem ordi-

[1] In 1 Epist. ad Cor., cap. I. — [2] L. III, cap. 2, n. 2, p. 175. — [3] Epist. XLI, alias LIV ad Marcellam, n. 3, t. II, col. 189. — [4] Epist. LXXVIII ad Fabiolam, t. I, col. 474. — [5] Cf. Comment. in Cap. I Michaeae; Epist. ad Heliodorum, etc. — [6] In libro contra eumdem edito n. 37 t. II, col. 447.

nandi potestatem, cum scribit [1]: *Quid facit, excepta ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat?* Sed et ad ipsum solum docet pertinere facultatem confirmandi, cum dicit baptizatum nonnisi *per manus episcopi accipere Spiritum Sanctum* [2]. Ubi etiam ab episcopo repetendum vult, vel in ipsis presbyteris, ius baptizandi, scilicet solemniter et extra necessitatis casum [3]: *Ecclesiae salus in summi sacerdotis dignitate pendet: cui si non exsors quaedam et ab omnibus eminens detur potestas, tot in ecclesiis efficientur schismata, quot sacerdotes. Inde venit, ut sine chrismate et episcopi iussione, neque presbyter, neque diaconus ius habeant baptizandi.* Quid clarius, ad ostendendum S. Hieronymum revera tenuisse superiorem esse, et quidem iure divino, simplici sacerdote, episcopum, et locos dubios vel obscuros, si qui in eius scriptis reperiantur, sub luce horum evidentium testimoniorum esse intelligendos?

19. — Explicantur loci dubii apud S. Hieronymum. — Porro adsunt revera loci plures, in scriptis S. Hieronymi, ad quos heterodoxi, quanquam huic Doctori generaliter valde infensi, libenter recurrunt, ad suam thesim conficiendam scilicet posterioris aevi figmento attribuendam esse essentialem distinctionem episcopos inter et presbyteros. Qui quidem loci duo potissime sunt, singillatim examini subiiciendi.

20. — Primus locus. — Primus locus desumiter ex Commentariis S. Doctoris in Epistolam ad Titum, ubi haec scribit [4]: *Idem est ergo presbyter, qui et episcopus; et antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, et diceretur in populis* [5]: EGO SUM PAULI, EGO APOLLO, EGO AUTEM CEPHAE, *communi presbyterorum consilio ecclesiae gubernabantur. Postquam vero unusquisque eos, quos baptizaverat, suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis Ecclesiae cura pertineret, et schismatum semina tollerentur.* Quibus cohaerenter pergit monere episcopos [6], ut *noverint se magis con-*

[1] Epist. CXLVI ad Evangel., n. 1, t. I, col. 1082. — [2] Dialog. adv. Lucifer., n. 9, t. II, col. 181. — [3] Ibid. — [4] In Cap. I, v. 5, t. VII. P. col. 694, 695. — [5] 1 Cor., I, 12. — [6] Ibid., col. 695.

suetudine, quam dispositionis dominicae veritate, presbyteris esse maiores, et in commune debere Ecclesiam regere.

Ad quem locum rite intelligendum, praeiudicialiter reiiciendam ducimus illorum sententiam, qui arbitrantur, Hieronymum admisisse quidem discrimen inter episcopos et presbyteros, sed illud, utique optimis de causis institutum, ad tollenda scilicet schismata, non divino, sed humano dumtaxat, quod est ecclesiastico, iure, inductum [1].

Hac, inquam, missa explicatione, et concesso S. Doctorem aliquo sententiae excessu, ad vitium redarguendum, usum fuisse, adverti imprimis debet, eius scopum fuisse illos arguere episcopos, qui se supra presbyteros nimis efferebant. Praeterea, ratio hic habenda est distinctionis inter auctoritatem et usum auctoritatis, ita ut aliqua superiori quidem in episcopis auctoritate aut dignitate ultro agnita, in usu tamen huius auctoritatis deprehendat S. Doctor aliquem defectum ex parte episcoporum, qui in clerum dominari praetendebant: quod quidem clare eruitur ex verbis immediate subsequentibus [2], ubi iubet praesules imitari *Moysen, qui cum haberet in potestate solum praesse populo Israel, septuginta elegit, cum quibus populum iudicaret.* Ergo ex S. Hieronymi mente habemus, episcopos ministris inferioribus eo pacto praecellere, quo Moyses septuaginta illis viris, quos tamen in consortium regiminis vocabit; quo modo optat ille, simplices presbyteros in episcoporum consilium admitti.

Quod si cui dubium adhuc supersit, prae oculis habeat haec alia S. Doctoris verba [3]: *Et ut sciamus traditiones apostolicas sumptas de veteri Testamento, quod Aaron et filii eius atque levitae in templo fuerunt, hoc sibi episcopi et presbyteri et diaconi vindicent in Ecclesia.* Atqui Aaron, ut notat S. Thomas [4], a quo ordo sacerdotalis sumpsit exordium, aequales habuit minores sacerdotes in quantum fuit sacerdos sacrificia offerens, eis tamen superior fuit, quatenus aliqua facere poterat, ut ingredi semel in anno in Sancta Sanctorum, quod aliis non licebat.

[1] Sic censuere Durandus, in 4, Dist. XIV, quaest. 35; Dominicus Soto, pariter in 4, Dist. XXIV, art. 1; Vasquez, Disput. 140. Id quoque tanquam probabile existimat Scotus, in 4, Dist. V. — [2] Ibid., col. 696. — [3] Ibid. — [4] S., Quaest. XL, art. 4, ad 1[m].

21. — Sententia S. Thomae. — Aurea sunt et digna omnino quae hic recitentur verba quae habet idem S. Thomas, dum obiecto sibi praefato S. Hieronymi textui satisfacit. De presbytero et episcopo, ait [1], dupliciter loqui possumus: uno modo, quantum ad nomen, et sic olim non distinguebantur episcopí et presbyteri: nam episcopi dicuntur *ex eo quod superintendunt*, sicut dicit S. Augustinus [2]; presbyteri autem in graeco dicuntur quasi *seniores;* unde et Apostolus communiter utitur nomine presbyterorum quantum ad utrosque, cum dicit [3]: *Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habentur;* et similiter etiam nomine episcoporum, unde presbyteris Ephesinae ecclesiae loquens, dicit [4]: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* Sed secundum rem, semper inter eos fuit distinctio, etiam tempore Apostolorum, ut patet per Dionysium [5]; et super illud [6]: *Post haec autem designavit Dominus*, etc., dicit Glossa [7]: *Sicut in Apostolis forma est episcoporum, sic in septuaginta duobus discipulis forma est presbyterorum secundi ordinis.* Postmodum tamen, ad schisma vitandum, necesse fuit ut etiam nomina distinguerentur; ut scilicet maiores dicerentur episcopi, minores autem presbyteri. Dicere antem, presbyteros non differre ab episcopis, inter dogmata haeretica numerat S. Augustinus [8], ubi refert Aerianos dixisse presbyterum ab episcopo nulla differentia debere discerni [9].

22. — Alter locus difficilis apud S. Hieronymum. — Idem Stridonensis Doctor, in Epistola ad Evangelium [10], adductis Scripturarum testimoniis, aliquam inter episcopos et presbyteros aequalitatem suadentibus, ait: *Nam et Alexandriae, a Marco Evangelista usque ad Heraclam et Dionysium episcopos, presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, episcopum nominabant: quomodo si exer-*

[1] 2 2ae, Quaest. CLXXXIV, art. 6, ad 1m. — [2] L. XIX De Civ. Dei, cap. 19. — [3] 1 Tim., V, 17. — [4] Act., XX, 28. — [5] L. de Eccles. Hier., cap. V, circa med. — [6] Luc., X, 1. — [7] Ordin. Bedae. — [8] In libro DE HAERESIBUS. Haeresi LIII. — [9] S. Thom., l. c., ad litt. — [10] Epist. CXLVI, n. 1, t. I, col. 1081.

citus imperatorem faciat, aut diaconi eligant de se quem industrium noverint, et archidiaconum vocent.

At, non agit hic S. Doctor de potestate episcopi, sed solum de illius electione et suffectione immediata in locum episcopi defuncti. Nimirum, in ecclesia alexandrina consuetudo fuerat, ut electio haec ad lites et perturbationes vitandas, ex solo presbyterorum collegio et a solis presbyteris fieret, cum tamen alius mos alibi vigeret. Electione autem praefato modo completa, electus nomen atque auctoritatem episcopi statim adipiscebatur, consecratione ad aliud tempus dilata, ut ex superstitibus documentis patet. Duplex vero similitudo, a S. Doctore hic inducta, non quantum ad omnia est extendenda, sed respicit tantummodo electionis modum: nimirum, quemadmodum milites imperatorem et diaconi archidiaconum, ita presbyteri calculo suo illum demonstrabant, quem eligendum putarent. — Ceterum, quod hic quoque agnoscat S. Hieronymus potiorem in episcopo potestatem, evidenter eruitur ex verbis praeinductis [1]: *Quid facit, excepta ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat?* Omnia nimirum episcopalia munia potest presbyter, ex delegatione episcopi vel saltem Summi Pontificis, praestare, praeter ordinationem sacerdotalem [2].

23. — Scholion. — Ad diluendas difficultates quae ex scriptis alicuius forsan ex aliis Patribus aut Doctoribus posset moveri, animadvertisse sufficiet, istos interdum respexisse tantummodo potestatem Eucharistiam conficiendi, qua nulla celsior esse potest, et quae profecto par in episcopo et presbytero invenitur. Sed maxime inserviet locis difficilibus explicandis doctrina quam mox subnectemus [3], qua asseritur episcopatum, uti sacramentum, non constituere ordinem distinctum a sacerdotio.

[1] Supra, n. 18, p. 178. — [2] Quid de simplicis presbyteri potestate, relate ad confirmationem dandam vel chrisma conficiendum, retinendum sit, diximus in TRACTATU DE CONFIRMATIONE (art. 3 et 11): similiter infra dicetur de eiusdem potestate relate ad collationem ordinum. Quaest. III, art. 2, n. 8. — [3] Art. seq.

24. — Modernisticus error de episcoporum et presbyterorum institutione. — Ex huius et praecedentium articulorum doctrina, clare apparet quam longe a vero distet modernisticum de episcopatus et presbyteratus distinctione figmentum, quo utriusque gradus origo et discrimen non ex Christi institutione, sed ab Apostolis, repetendum praedicantur, quasi ea solum ex necessitate providendi crescentium communitatum ordinationi ortum duxerit [1]. Nimirum, contra hoc stat Canon Concilii Tridentini [2]: *Si quis dixerit, illis verbis:* HOC FACITE IN MEAM COMMEMORATIONEM, *Christum non instituisse Apostolos sacerdotes, A. S.* Instituit videlicet Christus Apostolos suos, uno verbo, simul sacerdotes et episcopos, illa potestate excellentiae utens, qua, ut homo, potuit effectum sacramentorum sine exteriori sacramento conferre [3].

25. — Sacerdos et episcopus diverso modo Christum repraesentant. — Iuvat hic, coronidis instar, ex S. Thoma, rationem reddere discriminis inter episcopum et simplicem sacerdotem, quae quidem in hoc sita est, quod hic repraesentat Christum in eo quod per seipsum aliquod ministerium implevit, ille vero in eo quod Christus alios ministros instituit et Ecclesiam fundavit; et quia ille superior est qui magis divinam perfectionem repraesentat, ideo episcopus praestat sacerdoti, quia gerit typum Christi quantum ad potiorem illius dignitatem. Enimvero, sicut perfectiones omnium rerum naturalium praeexistunt exemplariter in Deo, ita perfectiones omnium officiorum ecclesiasticorum sunt in Christo sicut in prototypo; et ideo episcopus hierarchice constituitur supra sacerdotem, cum ad ipsum pertineat personas et res divinis officiis mancipare, unde etiam sponsus Ecclesiae dicitur, sicut Christus. Quocirca, quemadmodum a sacerdote pendet sacrificii eucharistici perpetuitas, ita ab episcopo pendet perpetuitas ministerii sacerdotalis et consequenter ipsius Ecclesiae [4].

[1] Vide prop. 50 ex decreto *Lamentabili*, superius relatam, art. 1, n. 4. — [2] Sess. XXII, Can. 2. — [3] 3, Quaest. LXIV, art. 3. — [4] S., Quaest. XL, art. 4.

26. — Nomina SACERDOS **et** PRESBYTER. — Sciendum autem haec duo nomina *sacerdos* et *presbyter*, licet quantum ad significationes originarias non idem valeant, ex antiquo tamen ecclesiastico usu fere semper pro eodem usurpari, ut iam innuimus. Et primo quidem episcopus interdum vocatur presbyter, ut patet ex Actibus [1], ubi dicuntur seniores, sive presbyteri, cum Apostolis convenisse ad concilium Hierosolymitanum, in quo extiterunt iudices in causa fidei, cum dixerint: *Visum est Spiritui Sancto et nobis:* tale autem iudicium non est nisi episcoporum. Similiter, illi qui ibidem appellantur maiores natu, seu presbyteri [2], mox [3] episcopi nominantur [4]. Interdum vero, licet serius hoc evenerit, episcopus appellatur sacerdos, uti ex S. Cypriano constat [5].

At nomen *presbyter* etiam in Sacra Scriptura, aliquando usurpatur ad significandum eos qui in ecclesiastica hierarchia proximi sunt ab episcopo, ut in hoc [6]: *Qui bene praesunt presbyteri*, etc.; et iterum [7]: *Adversus presbyterum accusationem noli recipere.* Interdum etiam nomen *sacerdos* generaliter sumitur ad significandum quemcumque in sacris ordinibus constitutum [8].

27. — Quaestio. — *Cur in novo Testamento non sacerdotis, sed presbyteri nomen ministris novae Legis tribuitur?*

Resp. Duplicem ob rationem. *Primo*, quia quando adhuc vigebat usus sacrificiorum mosaicorum, ministri novae Legis a ministris veteris Legis, sicut in officii praestantia, ita etiam in nominis appellatione discerni debebant, ne videlicet intelligi daretur, hos illis, dignitate et munere, coaequari. — *Secundo*, ut ethnicis celaretur ratio sacrificii christiani. Cum enim, ait Sylvius [9], nusquam viderent ethnici oves aut boves a christianis offerri, si de eorum sacerdotibus aut sacerdotio aliquid audivissent, suspicari potuissent eos humana corpora offerre, quemadmodum postea suspicati sunt quod immolarent infantes. — At, non propterea prohibentur

[1] XV, 2, 22, 23. — [2] Act., XX, 17. — [3] Vers. 28. — [4] Cf. 1 Pet., V, 1; 2 Io., 1; 3 Ibid., 1. — [5] Epist. XLV, LII, LXVIII. — [6] 1 Tim., V, 17. — [7] Ibid., 19. — [8] Cf, Can. Apost., can. 50; Dist. XXXI, cap. *Aliter*. — [9] In S., Quaest. XXXVII, art. 2, Quaer. VI.

novae Legis ministri hoc nomine appellari, cum in veteri Testamento hoc eis nomen inveniatur attributum, verbi gratia [1]: *Vos autem sacerdotes Domini vocabimini* [2]; praeterea, ex hoc quod Apostolus docet Christum esse summum sacerdotem [3], sat aperte infertur, illum hoc nomen ministris novae Legis agnoscere: summus enim non est sine inferioribus.

Articulus VI. — *Utrum episcopatus sit ordo specialiter a sacerdotio distinctus.*

1. — Ratio articuli. — Instituta iam comparatione inter epicopatum et presbyteratum, sequitur ut ad illius propriam rationem discutiendam deveniamus, in ordine ad sacramentalem rationem. — *Ad sacramentalem*, inquam, rationem: nam si consideratur episcopatus tanquam gradus aut dignitas spiritualis in ordine ad actus hierarchicos exercendos, ut puta relate ad administrationem sacramentorum confirmationis et ordinis, aut ad regimen multitudinis, sic nulli dubium esse potest, illum esse ordinem, cum de fide sit dari *in Ecclesia catholica hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris* [4]. Tota igitur huc reducitur controversia, ut determinetur utrum episcopatus specialem ordinem, distincto charactere, in ratione sacramenti a Christo instituti, constituat, quemadmodum, puta, diaconatus aut unus ex aliis ordinibus sive maioribus, sive minoribus.

2. — Duplex modus considerandi episcopatum. — Adverti ulterius debet, episcopatum posse dupliciter considerari: uno modo, *adaequate*, scilicet secundum omnem potestatem quam essentialiter importat, nempe consecrandi Eucharistiam, absolvendi a peccatis, ordinandi ministros, confirmandi et gubernandi fideles; et *inadaequate*, videlicet pro eo quod addit supra simplex saeerdotium, quod est potestas

[1] Is., LXI, 6. — [2] Cf. Ibid., LXVI, 21; Ierem., XXXIII, 21. — [3] Hebr., V, 5; VII, 26; VIII, 1. — [4] Conc. Trid., Sess. XXIII, can. 6.

tantum ordinandi, confirmandi et gubernandi. Igitur dubium non est, utrum episcopatus, adaequate sumptus, sit ordo qui est sacramentum, hoc enim evidens est; pariter admittitur episcopatum, inadaequate acceptum, esse ordinem late intellectum, ut modo diximus; sed controvertitur utrum sit ordo, cui vera sacramenti ratio competat.

In qua difficili re definienda, recentiores theologi, ut plurimum, ab antiquioribus dissentiunt, negantibus istis, affirmantibus illis, episcopatum, tanquam sacramentalem ordinem, distingui a presbyteratu. Nos, re maturius perpensa, sequentem statuimus

3. — PROP. — **Episcopatus, in ratione sacramenti, non est ordo specialis, a sacerdotio distinctus.**

4. — Declaratur. — Sententiam hanc, quae est S. Thomae [1], S. Bonaventurae [2], necnon plerorumque scholasticorum sequentium Magistrum sententiarum et Hugonem a S. Victore, egregie exponit Billuart [3]; contra quam tamen recentiores plures, quos inter Tournely [4]. Estius [5] et Sylvius [6], probabilius ducunt episcopatum esse vere et proprie ordinem sacrum. Perrone vero, eousque progreditur, ut S. Thomae sententiam tanquam a nonnullis censura notatam traducat [7].

5. — Auctoritas. — Probari autem potest nostra propositio imprimis auctoritate Concilii Tridentini, in quo [8] septem tantum numerantur atque nominantur ordines, praetermisso videlicet episcopatu; quinimmo, sacerdotium exhibetur velut supremus ordo, ad quem per alios ordines tenditur [9]. Si vero episcopatus in ratione sacramenti, esset ordo a sacerdotio distinctus, profecto non septem, sed octo numerandi essent ordines, ex quibus non sacerdotium, sed episcopatus, tanquam apex habendus foret [10].

[1] S., Quaest. XL, art. 5. — [2] 4, Dist. XXIV, Quaest. 3. — [3] De Ord., Dissert. IV, art. 2. — [4] Prael. de sacr. Ordinis, t. X, p. 166. Ven., 1739. — [5] In l. IV, Dist. XXIV, § XXVIII. — [6] In S., Quaest. XL, art. 5, conclus. II. — [7] Tract. de Ordine, c. II, n. 73. — [8] Sess. XXIII, cap. 2. — [9] Can. 2. — [10] Cf. Card. Raym. Capisucchius. *in Controversiis theol. selectis.* Romae, 167, controv. XXVIII. de episcopatu, § 2.

6. — Ratio theologica ita exponitur a S. Thoma [1]. — Ordo potest accipi dupliciter. Uno modo, secundum quod est sacramentum, et sic ordinatur omnis ordo ad Eucharistiae sacramentum, ut patet considerando singillatim omnes ordines, tum maiores, tum minores; unde cum episcopus non habeat, quantum ad hoc, potestatem superiorem potestate sacerdotis, hinc episcopatus non est ordo sacramentalis. Alio modo, potest considerari ordo, secundum quod est officium quoddam, respectu quarumdam actionum sacrarum; et sic cum episcopus habeat potestatem in actionibus hierarchicis respectu corporis mystici supra sacerdotem, puta, fideles confirmandi, ordinandi, regendi, hinc quantum ad hoc episcopatus est ordo, scilicet hierarchicus.

7. — Verba Ferrariensis. — Egregie prorsus rem hanc explicat Ferrariensis [2]. *Nomen ordinis*, ait, *dicitur et de ordine quod est sacramentum, et de officio quodam respectu quarumcumque sacrarum actionum. Secundo... modo, episcopatus est ordo, quia habet potestatem in dictis actionibus respectu corporis mystici: sed primo modo non est ordo, quia ordo sacramentum, ordinatur ad sacramentum Eucharistiae secundum quod actu perficitur, aut scilicet ad praeparandum aliquid ad ipsum pertinens, sicut inferiores ordines, aut ad ipsum conficiendum, ut ordo sacerdotalis: episcopatus autem, licet ordinetur ad collationem ordinum ad Eucharistiam ordinatorum, non tamen ad ipsam Eucharistiam, ut actu perficitur, ordinatur.*

Ulterius iubet idem Ferrariensis, sedulo attendendum esse modum quo dicitur episcopalem potestatem excedere sacerdotalem in iis quae pertinent ad fideles, non autem quantum ad consecrationem corporis Christi. *Considerandum est*, ait ille, *quod duplex actus attribuitur potestati sacerdotali: scilicet conficere corpus Christi et praeparare populum ad Eucharistiae susceptionem per absolutionem a peccatis; et sic unus actus sacerdotis est circa verum corpus Christi, alius vero est circa corpus mysticum, sive super fideles. Intentio ergo S. Thomae est, quod potestas episcopalis non est superior potestate sacerdotali quoad actum primum, neque excellentior, sed bene*

[1] Loco superius cit. — [2] Comment. in cap. 76, l. IV contra Gent.

quoad actum secundum. Nam, ut dicitur in Quarto, quantum ad actum primum non dependet sacerdotalis potestas ab alia superiori potestate quam divina, unde potest sacerdos quamlibet materiam a Christo determinatam consecrare, nec aliud requiritur de necessitate sacramenti. Sed bene quantum ad actum secundum dependet ab aliqua superiori potestate etiam humana; unde sacerdos non potest absolvere aliquem a peccatis, nisi ab aliquo superiori in eum iurisdictionem accipiat.

8. — **Episcopatus specialem characterem non imprimit, distinctum a charactere sacerdotali.** — Ex hac vero doctrina rite sequitur, per ritum quo episcopus consecratur, novum characterem, a charactere scilicet sacerdotali distinctum, minime imprimi, sed praeexistentem characterem sacerdotalem extendi quodammodo atque ampliari per determinationem quamdam ad ulteriora ministeria; unde rite dicitur episcopatus plenitudo vel complementum sacerdotii.

Quod item pulcre exponit Angelicus. Ordo, ait ille [1], prout est sacramentum, imprimens characterem, ordinatur specialiter ad sacramentum Eucharistiae, in quo ipse Christus continetur, quia per characterem ipsi Christo configuramur. *Et ideo, licet detur aliqua potestas spiritualis episcopo in sui promotione respectu aliquorum sacramentorum, non tamen illa potestas habet rationem characteris; et propter hoc episcopatus non est ordo, secundum quod ordo est sacramentum quoddam.* Similia habet S. Bonaventura [2]. *Episcopatus, prout distinguitur contra sacerdotium, dicit dignitatem quamdam vel officium episcopi annexum, et non est proprie nomen ordinis, nec novus character imprimitur, nec nova potestas datur, sed potestas data ampliatur.* Quocirca episcopatus rite solet appellari superior sacerdotii gradus, plenitudo atque complementum [3], vel etiam *praecellenti gradu sacerdotium*, ut illum vocat Leo XIII [4].

9. — **Scholion.** — Adverti insuper poterit, inconveniens esse ut ille, qui potestatem habet in corpus Christi verum,

[1] Loco cit., ad 2m. — [2] Loco cit. — [3] Cat. Rom., P. II, c. VII, n. 26. — [4] Litt. Apost. *Apostolicae curae*, 13 Sept. 1896. Acta Leonis XIII, vol. III, p. 269.

novo sacramento, tanquam characterem imprimente, indigeat, ut potestatem accipiat in corpus Christi mysticum: quod patet etiam consideranti quod vel simplex sacerdos, dum accipit in ordinatione potestatem in corpus Christi mysticum, potestatem scilicet absolvendi baptizatos a peccatis suis, non recipit novum ordinem tanquam sacramentum characterem imprimens. Ergo nec episcopus in sui consecratione.

10. — Invalidus est episcopatus homini non sacerdoti collatus. — Ex hucusque explicata doctrina sequitur, invalidum esse episcopatum homini non sacerdoti, seu ut aiunt, per saltum, collatum. Quod ita ex S. Thoma potest explicari [1]. Ordo qui a praecedenti dependet quoad necessitatem sacramenti, invalide confertur praecedentem ordinem non habenti. Atqui episcopatus dependet a sacerdotio quoad necessitatem sacramenti, cum sit formaliter sacerdotii plenitndo. Ergo nullus potest recipere episcopalem potestatem, nisi prius habeat sacerdotalem.

Quae cum ita sint, non dicendus erit presbyteratus contineri in episcopatu, *virtualiter*, quemadmodum, puta, diaconatus in presbyteratu: sed potius presbyteratus praecontinetur in episcopatu *formaliter*, licet gradu superiori et excellentiori; et vis ordinationis episcopalis in hoc sita est, quod quis ex simplici sacerdote fit summus sacerdos, valens aliis communicare, iure nativo, per ritum a Deo institutum, potestatem sanctissimam Eucharistam conficiendi.

11. — Mens S. Thomae. — Sciendum autem a S. Thoma seniore doctrinam hanc minime retractatam fuisse, ut quidam cum Sylvio censent [2]. — Nam cum ille scripsisset [3]: *Quod... proponitur, quod episcopatus non est ordo, hoc manifeste continet falsitatem.* mox explicat qua ratione id dicatur: *Habet enim* ait. *ordinem episcopus per comparationem ad corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia, super quam*

[1] S., Quaest. XL, art. 5, sed contra 1. — [2] Comment. in h. l. S. Thomae. — [3] In Opusc. vitae spiritualis. cap. XXIV. Opusc. II theol. Ed. Parm.

principalem accipit curam, et quasi regalem. Sed quantum ad corpus Christi verum, quod in sacramento continetur, non habet ordinem supra presbyterum.

Nec iterum obstat quod ibidem addit Angelicus; *Quod autem habeat* (episcopus) *aliquem ordinem et non iurisdictionem solam. sicut archidiaconus vel curatus presbyter, patet ex hoc quod episcopus potest multa facere quae non potest committere. sicut confirmare*, etc.: etenim nihil aliud intendit, nisi episcopum simplici presbytero, non iurisdictionis tantum, sed etiam ordinis, potestate. Nimirum, ut explicat Ferrariensis [1], episcopalis potestas est potestas non solum iurisdictionis, sed etiam ordinis, non secundum quod ordo est sacramentum, sed secundum quod est officium respectu quarumdam actionum sacrarum. *Ideo cum dicitur quod episcopalis potestas est superior sacerdotis potestate in iis quae pertinent ad fideles, ista superioritas est superioritas non solum iurisdictionis, sed etiam ordinis, modo exposito.*

12. — S. Leo Magnus. — Pari ratione intelligi potest id quod habet S. Leo Magnus, dum scribit [2]: *Quod si in ordine, qui quartus a capite est* (scilicet in subdiaconatu), *dignum est custodiri* (perfectam continentiam), *quanto magis in primo, aut secundo vel tertio servandnm est, ne aut levitico ministerio, aut presbyterali honore, aut episcopali excellentia quisquam idoneus existimetur, qui se a voluptate uxori necdum frenasse detegitur?* Nimirum, dicitur episcopatus primus ordo, attento gradu et officio hierarchico, non autem considerata ratione sacramenti.

13. — Quo sensu posset diaconus ordinari in episcopum. — Hoc tamen quod hic dicimus, scilicet episcopatum sine sacerdotio suscipi non posse, intelligi debet attenta praesenti Ecclesiae ordinatione: non enim negandum est posse diaconum in sacerdotem et episcopum simul eodemque actu ordinari, si apta ad hoc significandum forma adhiberetur et adesset episcopi ordinantis expressa intentio. Enimvero,

[1] In L. IV C. Gent., c. 76. — [2] Epist. Decret., LXXXIV ad Anast. Thess. ep., cap. 4.

episcopatus, proprie loquendo, est sacerdotii plenitudo, vel melius, plenum ac perfectum sacerdotium, quod significatur quando appellatur *summum sacerdotium*: cum autem res generetur secundum perfectum suae speciei, hinc cum quis consecratur sacerdos, naturae cursu deberet plenus seu summus sacerdos fieri, nisi obstaret limitatio ex parte episcopi consecrantis, quam quidem limitationem ex ipsius Christi voluntate derivari novimus.

Et hoc quidem sensu, intelligi debent factae illae ordinationes, in media aetate, quando aliquis simplex diaconus, aut in episcopum aut etiam in summum pontificem electus, una ordinatione presbyter simul et episcopus ordinabatur: talis scilicet ritus adhibebatur, quo presbyteratus, prout formaliter in episcopatu praecontinetur, candidato, et quidem quoad illius plenitudinem, conferebatur.

14. — **Character presbyteralis est ipse character episcopalis, sed restrictus.** — Ex his sequitur, characterem episcopalem esse ipsummet characterem presbyteralem, sed ampliatum et extensum ad aliquas consecrationes ex parte corporis Christi mystici, vel potius characterem presbyteralem esse ipsum characterem episcopalem, sed restrictum et limitatum. Quapropter, episcopalis consecratio, ut est formaliter distincta ab ordinatione sacerdotali, hunc effectum habet scilicet tollere hanc limitationem, ita ut deinceps totam suam virtutem character ille recipiat et exerat. Et hoc modo intelligendus est episcopatus conferre gratiam: scilicet, non ex opere operantis tantum, sed formaliter ex opere operato, seu virtute sacramenti ordinis, qualis in sacerdotio habetur; et cum character sit res et sacramentum, hinc in sacerdote male deposito, seu ficte, ut dicitur, episcopatum suscipiente, fit titulus ad reviviscentiam gratiae sacramentalis.

15. — **Solvuntur difficultates.** — Christus Dominus Apostolos suos instituit episcopos, quin prius eos sacerdotes ordinaret. Ergo episcopatus est ordo sacramentalis, virtualiter continens presbyteratum.

Resp. Christus, in ordinandis suis Apostolis, ea pote-

state excellentiae usus est qua, ut sacramentorum auctor, potuit effectum sacramentorum sine exteriori ritu a se instituto conferre; quocirca, potuit uno verbo oris sui, quod protulit, cum dixit: *Hoc facite* etc., illos simul consecrare sacerdotes et episcopos, uno scilicet actu eisdem conferens sacerdotalem potestatem et complementum ac perfectionem illius [1]. Ministri autem Christi debent se eius institutis conformare, et ideo non possunt aliquem ordinare in episcopum, nisi ille prius fuerit sacerdos. Quod si tamen, uti diximus, adesset congrua forma et voluntas episcopi consecrantis, tunc posset simul eodemque actu aliquis sacerdos et episcopus ordinari, quemadmodum initio Ecclesiae, ob speciales causas, fieri consuevit.

II. Probavimus supra [2], ordinem esse sacramentum, ex iis quae habet Apostolus, ubi signanter agit de episcopatu quo Timotheum insigniverat [3]. Ergo episcopatus revera est sacramentum.

Resp. Id quod ibi Apostolus de episcopatu edisserit, ad illum non refertur secundum quod a sacerdotio distinguitur, seu secundum quod episcopatus inadaequate acceptus, est formaliter sacerdotii complementum, sed secundum quod adaequate accipitur, quatenus scilicet sacerdotii plenitudinem continet.

III. Sacramentum est invisibilis gratiae visibilis forma. Atqui in episcopatu, per signa sensibilia, confertur specialis gratia. Ergo vel est speciale sacramentum, vel est ordo qui est sacramentum.

Respondet Ferrariensis, quod licet conferatur gratia in collatione potestatis episcopalis, hoc tamen non fit, tanquam per causam instrumentaliter agentem ex virtute eidem inexistente, quod est de ratione sacramenti, sed sicut ex dispositione et causa sine qua non. — Melius tamen dicitur, gratiam conferri virtute sacramenti ordinis, non quasi sacramenti novi aut noviter inducti, sed sacramenti quod est sacerdotium per episcopatum perfectum et ampliatum. Et per hoc satis fit potissimae adversariorium obiectioni, qualis

[1] Cf. Tract. n. DE SACRAMENTIS IN COMMUNI. Quaest. LXIV, art. 3. — [2] Art. 1. — [3] 1 Tim., IV, 14; 2 Tim., I, 6.

invenitur penes Fr. Sylvium et Perrone [1]; hoc modo etiam intelligitur id quod dicit S. Thomas [2], nempe, in ea manuum impositione, qua Timotheus erat ordinatus episcopus, datam fuisse gratiam Spiritus Sancti.

IV. Si episcopatus non imprimit characterem, ergo potest iterari.

Resp. *Nego conseq. et conseq.* Nam cum character episcopalis sit ipsemet character sacerdotalis extensus et ampliatus, ut dictum est, hinc sicut iterari nequit sacerdotalis consecratio, ita nec episcopalis. — Ad quod intelligendum, advertendum est, ordinis sacramentum ad illas formas reduci debere quae magis et minus suscipiunt, augmentum videlicet accipientes, et quidem ex parte sui: non quidem sicut motus aut scientia, quae in infinitum augeri possunt, sed secundum mensuram praefixam a Deo: ita quod tum in presbytero tum in episcopo, haec forma aequaliter inveniatur relate ad corpus Christi verum, differenter vero relate ad corpus Christi mysticum.

16. — De Chorepiscopis. — De chorepiscopis [3], aliter etiam dictis episcopis agrorum et pagorum, aut villanis, ruralibus et oppidanis, hoc solum hic dicendum videtur, illos, ut formaliter distinguntur ab episcopis, iam inde ab initio saeculi quarti in Oriente viguisse, ut inferri licet ex Conliis Ancyrano [4] et Neocaesariensi [5]. Serius vero eos in Occidente invenimus, nempe saeculo quinto, ut ex Concilio Regiensi, in Gallia, constat [6]. — Erant autem chorepiscopi, simplices presbyteri, quasi episcoporum adiutores, ministri atque vicarii, quales fere apud nos sunt hodie vicarii foranei. Interdum tamen episcopalem consecrationem recipiebant, ut eruitur ex hoc Concilii Antiocheni [7]: *Ii sunt qui in vicis vel pagis, qui dicuntur chorepiscopi, etiamsi episcopi ordinationem manuumve impositionem acceperint, visum est*, etc.,

[1] Loco cit. — [2] Locis cit. — Expos. in 2 ad Tim., c. 1. — [3] Derivatur hoc nomen ex χώρη, *terra* vel *regio*, et ἐπίσκοπος. — [4] A. D. 314. can. XIII. T. II, col. 518. — [5] Eodem an., can. XIII. Mansi, t. II, col. 541. — [6] A. D. 439, can. 3. Mansi, t. V, col. 1191. — [7] A. D. 341, C. X. Mansi, t. II, col. 1311.

τοὺς ἐν ταῖς κώμαις ἢ ταῖς χώραις ἢ τοὺς καλουμένους χωρεπισκόπους, εἰ καὶ χειροθεσίαν εἶεν ἐπισκόπων εἰληφότες, κ. τ. λ.

17. — Scholion. — Pulcre recens scriptor doctrinam praecedenter expositam de relatione episcopatus ad presbyteratum perstringit, cuius verba hic adduxisse non pigebit. — *L'épiscopat et la prêtrise*, ait [1], *ne sont qu'un seul même sacerdoce: sans doute ils participent inégalement à cet unique sacerdoce: l'évêque est le* SUMMUS SACERDOS, *le prêtre est* SECUNDI ORDINIS SACERDOS, *suivant les expressions bien connues des Pères. Mais comme le plus et le moins ne changent pas l'espèce, pour me servir de l'axiome scolastique, l'épiscopat et la prêtrise ne sont que deux modes inégaux du même sacerdoce, du même ordre sacerdotal, du même sacrement. Et c'est ainsi que tous les théologiens ont pu continuer, même après le Concile de Trente et avec lui, à parler des sept ordres, le dernier et plus élevé se subdivisant en deux: le sacerdoce complet, total qui est l'épiscopat, et le sacerdoce incomplet, restreint, qui est la prêtrise. C'est d'ailleurs le pendant de ce qui se passe pour l'ordre ministériel: celui-ci comprend l'ordre ministériel intégral et complet, qui est le diaconat, et des participations inégales à ce ministère, qui sont tous les ordres inférieurs.*

Il arrivera nécessairement que l'unique sacerdoce sera conféré en deux fois lorsqu'un diacre sera d'abord ordonné prêtre et que plus tard le prêtre sera consacré évêque: dans ce dernier cas, l'épscopat ne pourra donner au prêtre que le complément du sacerdoce; c'est-à-dire les pouvoirs strictement épiscopaux. Mais quand, au contraire, un diacre était (car je dois reconnaître que la pratique s'est modifiée sur ce point) élu et sacré évêque, la consécration épiscopale lui donnait en une seule fois le sacerdoce total. Telle était la pratique générale pendant de longs siècles; de nombreux archidiacres de l'Eglise Romaine ont été ainsi sacrés évêques de Rome par une seule ordination et le premier archidiacre qui ait reçu après son élection la prêtrise et l'épiscopat en deux ordinations distinctes fut, autant que je puis le savoir, Saint Grégoire VII [2]. *Je m'abstiens à*

[1] A. BOUDINHON. Le Canoniste contemporain. 24e année, pp. 341, seq. — [2] Licet hac de assertione dubium movere.

dessein de rechercher quelle serait aujourd'hui la valeur d'une ordination accomplie dans ces conditions, la solution n'est pas nécessaire à mon raisonnement. Tout ce que je veux conclure de ces observations, c'est que l'épiscopat n'est qu'accidentellement le complément de la prêtrise, et qu'il est, de sa nature, aussi bien et plus que la prêtrise, le véritable sacerdoce, le sacerdoce complet et intégral. Quant à la prêtrise, il est inutile, je pense, de démontrer qu'elle est aussi le sacerdoce, mais elle est le sacerdoce incomplet et restreint, puisqu'elle peut recevoir un complément et qu'elle le reçoit en effet, mais cependant IN EODEM GENERE.

Mais ce qui est parfait et complet précède régulièrement ce qui est incomplet et imparfait: l'épiscopat est antérieur à la prêtrise. Il ne faut pas se représenter l'épiscopat comme un développement historique de la prêtrise; au contraire il faut voir dans la prêtrise une participation diminuée et restreinte à l'épiscopat, c'est-à-dire à l'unique sacerdoce primitif. C'est la prêtrise qui procède de l'épiscopat par voie de restriction.

ARTICULUS VII. — *Utrum supra episcopos debeat esse aliquis superior in Ecclesia.*

1. — Petri Primatus supra ceteros Apostolos. — Quod Petro aliquis primatus supra ceteros Apostolos collatus fuerit, evidentissime eruitur ex ipsamet Ecclesiae notione quae, utpote societas a Christo instituta ut homines perducat ad regnum aeternum, aliquo capite regi postulat: omnis quippe societas, ad instar corporis physici, subsistere nequit, nisi per aliquam auctoritatem membra illius in officio contineantur. Ex sacris autem Libris accipimus Christum Ecclesiae suae Petrum praefecisse: quocirca nequit mens, omni praeconcepta opinione seposita, non agnoscere in Petro quamdam rationem primatus supra ceteros fideles, primatus, inquam, ad eius in episcopatu successores transmittendi [1]. — At, cuiusnam generis sit ille primatus, an sci-

[1] Aurea sunt hac super re verba Bossuet: *Qu'on ne dise point, qu'on ne pense point que le ministère de saint Pierre finisse avec lui...*

licet honoris tantum et directionis, vel etiam verae auctoritatis et iurisdictionis etiam in ipsos episcopos, et utrum huiusmodi primatus specialem constituat ordinem : en maximi momenti in re dogmatica quaestio, quam hic, quantum praesentis tractatus natura postulat, discutiemus.

2. — **Sententia non probanda.** — Ad quam solvendam, contenderunt nonnulli, Romani Pontificis primatum episcopos ut sic non respicere, sed eiusdem esse generis ac metropolitarum atque patriarcharum iura, addita tantummodo potestate Ecclesiam universalem repraesentandi necnon procurandi fidei puritatem, aut morum atque disciplinae vigorem conservandi : ex quo consequeretur, omnes quidem ei parere debere, modo tamen ista praestet Ecclesiae nomine. Quapropter, aiunt, primatus iste proprie episcopalis non est, sed tanquam extraneus Ecclesiae universae considerari debet, adeo ut Pontifex ipse oecumenico concilio, seu episcoporum adunationi teneatur obedire. — Contra quod statuimus

3. — PROP. — **Supra episcopos debet esse aliquis superior in Ecclesia.**

4. — Sic quippe legimus in Iure [1] : *Romanus Pontifex, Beati Petri in primatu successor, habet non solum primatum honoris, sed supremam et plenam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, tum in rebus quae ad fidem et mores, tum in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent.*

5. — **Promissio primatus.** — Sicut in omnibus maioris momenti beneficiis quae divina largitate conceduntur fieri solet, ita in praesenti re evenisse comperimus, scilicet primo quidem Christus Dominus primatum Petro conceptis verbis

---

Pierre vivra dans ses successeurs ; Pierre parlera toujours dans sa Chaire : c'est ce que disent les Pères, c'est ce que confirment six cent trente évêques au Concile de Chalcédoine.

[1] Can. 218, § 1.

se collaturum promisit; postmodum, elapso tempore, illum reapse eidem contulit. Promissio haec sequenti S. Matthaei textu continetur [1]: *Beatus es, Simon Bar Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in caelis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni caelorum. Et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in caelis.* Quo loco, sub gemina fundamenti et clavium metaphora, spondet se Christus plenam atque supremam potestatem Petro collaturum, quem proinde decernit sui in Ecclesia vicarium constituturum.

Enimvero, quod in materiali aedificio est fundamentum, illud in aedificio spirituali, quod est Ecclesia, Petrus futurus erat. Fundamento autem totum sustentatur aedificium: Petro ergo erit omnis potestas conferenda, tum in legibus ferendis, tum in rebus fidei morumque definiendis. — Idipsum liquido constat ex clavium metaphora, cum compertum sit claves, apud omnes gentes, praesertim apud Hebraeos, tanquam insigne potestatis in domum vel civitatem haberi. Unde hoc ipso quod regni caelorum claves Christus se Petro daturum promisit, significat se illum totius Ecclesiae principem constituere voluisse, cui vicissim omnes, tanquam subditi obedire debeant.

In idem redit quod apud S. Lucam legimus [2]: *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos*, id est fideles omnes quos tibi committam regendos, ait Dionysius Cartusianus [3].

6. — Primatus collatio. — Porro, quod Dominus noster se Petro collaturum promiserat, reapse eidem solemniter et sine ambagibus donavit, cum, post resurrectionem suam, Apostolis se tertio manifestavit [4]: *Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos*

[1] Matth., XVI, 17-19. — [2] XXII, 32. — [3] Comment. in h. l. — [4] Io., XXI, 15, seq.

meos, βόσκε τὰ ἀρνία μου. *Dicit ei iterum: Simon Ioannis, diligis me? Ait illi: Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasces agnos meos*, ποίμανε τὰ προβατία (*oviculas*) μου. *Dixit ei tertio: Simon Ioannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, amas me? et dixit ei: Domine, tu omnia nosti, tu scis quia amo te. Dixit ei: Pasce oves meas.* βόσκε τὰ πρόβατά μου. Quae quidem verba ad unum Petrum exclusive dirigi, dubitandum non est, cum illum Christus, addito patris nomine, interpellet, sciscitatus de speciali erga se amore: *Diligis me plus his?*

7. — **Explicatur.** — Ad quod intelligendum, sciendum est quod pascere est pastoris officium exercere, cuius munus est agnis, oviculis ac ovibus pabulum praebere, eas in unitate continere, iuxta illud [1]: *Dispersae sunt oves meae, eo quod non esset pastor*, atque ab incursantibus lupis tueri, ut Dominus noster ipse testatur [2]. Agnorum autem, oviculārum atque ovium nominibus, qualia in lectione graeca subinde recurrunt, universitatem fidelium significari, aperte patet; quatenus intelligi datur, nullam prorsus ovem esse, sive parvam, sive magnam, sive etiam aliarum ovium parentem, quales profecto sunt episcopi, quae Petri curae subtrahatur. Christus igitur, pastorum pastor, suam Petro, tanquam *amoris sui vicario*, ut loquitur S. Ambrosius [3], triplicem potestatem, scilicet, legiferam, iudiciariam et coactivam transfert, qua fideles ac fidelium duces, id est episcopos, docere, sanctificare, regere ac corrigere, pro collata sibi auctoritate, valet. *Quid ergo incongruum*, quaerit S. Augustinus [4], *si Petrus post hoc peccatum* (negationis), *factus est pastor Ecclesiae, sicut Moyses post percussum Aegyptium, factus est rector illius Synagogae?*

8. — **Notandum.** — Adverti ulterius debet, circa citata S. Ioannis verba, Christum illa protulisse, post collatas in communi omnibus Apostolis praerogativas [5]: nimirum, Pe-

[1] Ezech., XXXIV, 5. — [2] Io., X, 9. — [3] L. X, in Luc., n. 175, t. III, col. 345. — [4] L. XXII. contra Faust., c. 70, t. VIII. col. 402. — [5] Io., XX, 21, seq.

trum hic singulariter ac solemniter, post trinam amoris professionem, alloquitur, significans se ei aliquid supra ceteros singulare conferre, quemadmodum eidem post solemnem fidei professionem specialem praerogativam se collaturum spoponderat [1]: quae quidem praerogativa in hoc consistit, ut fratres, scilicet apostolatum secum condividentes, in fide confirmet [2], quos nunc, translato nomine, oves appellat, a Petro pascendas.

9. — Verba SS. Ambrosii et Bernardi. — Praestat heic subnectere egregia verba quibus duo insignes Ecclesiae Doctores, S. Ambrosius nempe et S. Bernardus, traditionis vocem resonantes, citatum S. Ioannis textum commentantur. — Ille quidem, expendens Christi verba *Pasce*, etc., iubet ut ad distinctionem a Christo positam inter agnos aut oviculas et oves attendatur; et illorum quidem nomine, populum fidelem, harum autem, episcopos agnoscit designari, dicens [3]: *Et iam non agnos, ut primo, quodam lacte vescendos; nec oviculas, ut secundo; sed oves pascere iubetur, perfectiores ut perfectior gubernaret.*

Mellifluus Doctor autem haec scribit [4]: *Quis es? Sacerdos magnus, summus Pontifex. Tu princeps episcoporum, tu heres Apostolorum: tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus. Tu es, cui claves traditae, cui oves creditae sunt. Sunt quidem et alii caeli ianitores et gregum pastores; sed tu tanto gloriosius, quanto et differentius utrumque prae ceteris nomen hereditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos, tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed et pastorum tu unus omnium pastor. Unde id probem, quaeris? ex verbis Domini; cui enim non dico episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolute et indiscrete totae commissae sunt oves?* SI ME AMAS, PETRE, PASCE OVES MEAS. *Quas? illius vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certi regni?* OVES MEAS,

[1] Matth., XVI, 16, seq. — [2] Luc., XXII, 31. — [3] L. X in Luc., n. 176, t. III, col. 346. — [4] L. II de Consideratione ad Eugenium III, c. VIII, n. 15, t. IV, pag. 8.

inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil. — Quae scilicet verba sibi volunt, a Christo, pastorum principe, Petro primatum collatum fuisse, non in fideles tantum, sed etiam in fidelium pastores, seu in episcopos, ideoque primatum illum formaliter episcopalem esse.

10. — Ecclesiae Concilia. — Qua ratione autem haec veritas in generalibus Ecclesiae Conciliis consignata reperiatur, relegere iuvabit. In Concilio Ephesino, quod est oecumenicum III [1], legimus [2]: *Nulli dubium, imo saeculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus Apostolorum princeps et caput, fideique columna, et Ecclesiae catholicae fundamentum, a Domino nostro Iesu Christo, Salvatore humani generis ac Redemptore, claves regni accepit, solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est; qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit et iudicium exercet.*

Pariter, in Concilio Lateranensi IV de Romana Ecclesia expresse dicitur [3] quod, *disponente Domino, super omnes alias* (ecclesias) *ordinariae potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christi fidelium et magistra.* Nec minus diserte in Concilio Florentino [4]: *Diffinimus, sanctam apostolicam Sedem et Romanum Pontificem, in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur.*

Sed praecipue prae oculis habenda sunt decretoria verba Concilii Vaticani [5]: *Docemus et declaramus, Ecclesiam Romanam, disponente Domino, super omnes alias ordinariae potestatis obtinere principatum, et hanc Romani Pontificis iurisdictionis potestatem, quae vere episcopalis est, immediatam esse...*

[1] A. D. 431. — [2] Act. III. Mansi, IV, col. 1295. — [3] Cap. 5. — [4] Bulla *Laetentur*, 6 Iul., 1439. — [5] Const. de Ecclesia Christi, c. 3.

Si quis itaque dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis; aut hanc eius potestatem non esse ordinariam et immediatam, sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles: anathema sit.

11. — Traditionis vox. — Iuvat autem veritatem hanc vel in antiquissimis ecclesiasticis scriptoribus relegere, ut appareat quam altas in traditione radices habeat. — Legimus imprimis, in professione fidei olim a schismaticis S. Cornelio I oblata, sequentia verba [1]: *Nec enim ignoramus, unum Deum esse, et unum Christum esse Dominum, quem confessi sumus, unum Sanctum Spiritum, unum episcopum in catholica Ecclesia esse debere.* Similiter, S. Siricius [2]: *Portamus onera omnium qui gravantur; quin immo haec portat in nobis beatus Apostolus Petrus, qui nos in omnibus, ut confidimus, administrationis suae protegit et tuetur heredes.* Denique S Innocentius I [3]: *In requirendis Dei rebus... antiquae traditionis exempla servantes... vestrae religionis vigorem..... vera ratione firmastis, qui ad nostrum referendum approbastis esse iudicium, scientes quid Apostolicae Sedi, cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum, debeatur, a quo ipse episcopatus et tota auctoritas nominis huius emersit.*

12. — Voces quibus Patres utuntur ad primatum Romani Pontificis designandum. — Ut autem uno velut obtutu appareat, quam concors sit haec traditionis vox, non paucos hic dicendi modos subnectemus, quibus aut Petri Sedem, aut Petrum ipsum vel eius successores, inde a priscis temporibus, Ecclesiae Patres condecorare consueverunt. Ab eis nimi-

[1] Ep. *Quantam sollicitudinem*, ad Cypr. ep. Carthag., 252. D.-B., n. 44. — [2] Ep. ad Himerium ep. Tarracon., 10 Febr., 385. D.-B., n. 87. — [3] Ep. ad episc. afric., 27 Ian., 417. D.-B., n. 100.

rum, Romani Pontificis sedes interdum appellatur *Petri cathedra; Ecclesia principalis; exordium unitatis sacerdotalis* [1]; *Ecclesia fortis in fide* [2]; *catholicae Ecclesiae radix et matrix* [3]; *apostolica sedes* [4]; *caput orbis et mundi* [5]; *sedes Petri, a qua ipse episcopatus et auctoritas nominis huius emersit; sedes quae non humana, sed divina sententia res credendas determinat; natalis fons omnium ecclesiarum, a quo per diversas mundi regiones, puri latices manant* [6].

Rursus, ipse Romanus Pontifex dicitur *Summus Pontifex. et Episcopus episcoporum* [7]; *pater patrum, ad fastigium aedificii apostolici elevatus* [8]; *Summus Sacerdos* [9]; *petra supra quam aedificata est Ecclesia* [10]; *S. Petrus, qui in suis successoribus vivit et iudicium exercet* [11]; *cuius iudicium non est retractandum* [12]; *cui tantam dedit traditio Patrum auctoritatem. ut nemo audeat de eius disceptare iudicio* [13]; *heres Petri* [14]; *praepositus Concilii tamquam caput membris* [15]; *unus Episcopus sicut unus Deus et unus Christus* [16]; *ovilis dominici pastor et custos* [17]; *unus omnium pastor; claviger domus Domini; in plenitudinem potestatis vocatus* [18].

Denique, Ecclesia Romana describitur tanquam illa, quae *habet potiorem principalitatem*, et *ad quam omnes debent undique convenire* (ecclesiae) [19]; item, vocatur *tutissimus chri-*

[1] S. Cypr., Ep. LIX ad Cornel. — [2] Id., Ep. VIII. — [3] Id., Ep. XLIX. — [4] S. Leo, Ep. LXI. — [5] Id., in Nativit. Ss. App. Petri et Pauli. — [6] S. Innoc. ep. ad Episc. Afr. vide D.-B., n. 100. — [7] Tertull., l. de Pudicitia, c. I. — [8] Steph. Carthag., Ep. ad Damasum Papam. — [9] S. Hieronym., in Praefat. in quatuor Evang., t. X, P. II, col. 660. — Notandum tamen, nomen hoc, *Summus Sacerdos*, interdum episcopis quoque, ob plenitudinem sacerdotii, qua pollent, fuisse attributum, ut, puta, penes Tertullianum, L. de Baptismo, c. XVII. — [10] Id., Ep. ad Damasum, XV, t. I, col. 38. — [11] Conc. Ephes., Act. III. Mansi, t. IV, col. 1295. — [12] S. Bonif., Ep. 13 ad Rufum Episc. Thess. D.-B., n. 110. — [13] S. Zosimus, Ep. 12, ad Episc. Afr. D.-B., n. 109. — [14] S. Siricius, Ep. I, ad Himer. Episc. Tarrac., D.-B., n. 87. — [15] Patres Concil. Chalced. ad S. Leon., D.-B., n. 149. — [16] S. Corn., Ep. VI ad S. Cypr. D.-B., n. 44. — [17] S. Ambros., Ep. LXXXI, ad Siric. — [18] S. Bernard., l. II, de Consid., ad Eugen., c. IX. Cf. alia nomina ab hoc S. Doctore Petri successori attributa, supra, n. 9, p. 198. — [19] S. Iren. adv. haeres., III, c. III, n. 2.

stianae communitatis portus [1]; denique dicitur quod *semper apostolicae cathedrae in eadem viguit principatus* [2].

13. — Verba S. Francisci Salesii. — Huc opportune faciunt verba quibus S. Franciscus Salesius horum et similium titulorum recensionem claudit. *Je n'aurois onques faict, si je voulois entasser les titres que les Anciens ont donnés au Saint Siege de Rome et à son Evesque. Cecy doit suffire aux cerveaux mesme les plus bigearres, pour faire voir le magnifique mensonge que de Beze continue à dire apres son maistre Calvin en son traitté des marques de l'Eglise, ou il dit que Phocas a esté le premier qui a donné authorité à l'Evesque de Rome sur les autres, et l'a mi en primauté. Mais à quoy faire dire un si gros mensonge? Phocas vivoit au tems de saint Gregoire le Grand, et tous tant que j'ay allegué d'Autheurs sont plus anciens que saint Gregoire, hormis saint Bernard, lequel j'ay allegué au livre des Considerations, parce que Calvin les a pour si veritables qu'il luy semble que la verité mesme y ait parlé* [3].

14. — Nomen Papa. — Prae ceteris autem nominibus quibus, temporis decursu, usuvenit ut Christi in terris Vicarius appelletur, eminet nomen *Papa*, quod, iuxta communiorem sententiam, conflatur ex abbreviatis nominibus *pater patrum*, PA . PA, licet quibusdam satius edicendum videatur, id ex graeco πάπας vel πάππας, in latinum derivatum. Equidem, antiquitus adhiberi hoc nomen consuevit, ad omnes episcopos, imo et simplices sacerdotes designandos: unde et S. Hieronymus [4] hoc nomine vocat Ioannem et Epiphanium, episcopos, illum Hierosolymae, hunc Cypri: qui usus maxime apud Graecos invaluit, apud quos vel inferiores clerici papae interdum dicti sunt. Serius autem nomen hoc per antonomasiam uni Romano Pontifici designando reservatum est, ad spiritualem potestatem, quam ille in totum fidelium coetum exercet, significandam [5].

[1] S. Hieronym., Ep. CXXVII ad Princip., n. 5, t. I, p. 948. — [2] S. Augustin., Ep. XLIII ad Glor. et Eleus., c. III, n. 7, t. II, col. 91. — [3] Opp., Paris, 1862, t. VIII, p. 409. — [4] Ep. ad Pammach. — [5] Cf. MARTIGNY, Dict. des Antiquités chrétiennes, art. *Pape*.

15. — Scholion. — Cum igitur tam explicitae prostent definitiones, de fide retinendum est, Petri eiusque successorum primatum, quem divino iure supra ceteros episcopos obtinent, non honoris tantum gradu contineri, sed supremae potestatis amplitudine pollere; unde, a vero longe aberrant qui dicunt, quemlibet episcoporum ad Ecclesiae gubernationem non minus a Deo vocatum fuisse quam ipsum Summum Pontificem, nec minori praeditum esse potestate; aut Christum eamdem per sese Apostolis omnibus potestatem contulisse, aut voluisse ut Ecclesia reipublicae ad instar administraretur, cuius quidem regimini opus sit praeside pro bono unitatis, at huic non competat ius et officium se aliorum praesulum negotiis ingerendi, eosdem dirigendo ac, si forsan negligentes fuerint, in officio continendi.

At vero, non minus in errorem inducerentur, qui in primatu nihil aliud agnoscerent, nisi auctoritatem supplendae aliorum negligentiae, et adhortationibus aut exemplis unitatis conservationi prospiciendi: quasi Romanus Pontifex nihil in aliena dioecesi posset, praeterquam extraordinario casu; ideoque nonnisi per abusum eum sibi absolutiones, dispensationes, decisiones, appellationes, collationes beneficiorum, aliaque huiusmodi munia reservare [1].

16. — Ratio theol. — Cum bonum commune praestantius sit bono particulari, necesse est ut ubicumque multa sunt particularia regimina in unum ordinata, ibi adsit supra illa aliquod regimen universale, a quo in unum finem illa ordinentur. Sic, supra potestatem praefecti, quae bonum speciale respicit, est potestas regis bonum commune prosequens: alias, ait Angelicus [2], non posset esse collegatio plurium ad unum. — Cum ergo, prosequitur S. Doctor, tota Ecclesia unum corpus constituat, oportet, si ista unitas debeat conservari, quod sit aliqua potestas regitiva respectu totius Ecclesiae supra potestatem episcopalem, qua unaquaeque specialis ecclesia regitur, et haec est potestas Papae; et ideo illi qui hanc potestatem negant, schismatici dicuntur, quasi divisores unitatis Ecclesiae.

[1] Cf. Pius VI, Breve *Super soliditate*, 28 Nov., 1786, contra Febronianismum. — [2] S., Quaest. XL, art. 6.

17. — **Haec potestas respicit episcopos non solum singillatim, sed etiam collectim acceptos.** — At vero sedulo attendendum est, Papae potestatem non in singulos tantum episcopos exerceri, sed omnes collective comprehendere : quo facit illud Iuris [1] : *Potestas* (Romani Pontificis) *est vere episcopalis, ordinaria et immediata tum in omnes et singulas ecclesias, tum in omnes et singulos pastores et fideles, a quavis humana auctoritate independens.* — Etenim, absonum foret dicere Ecclesiae quidem partialiter ac divisim acceptae caput aliquod praeesse, quod tamen integrum corpus minime regeret. Enimvero, unitas Ecclesiae universae, cuius conservandae causa, primatum honoris ac iurisdictionis Christus instituit, a singulis membris non conficitur, quoadusque illa sparsa maneant; sed indigent sub uno capite ad invicem stricto foedere colligari: quod proinde caput non qualecumque membrum est, sed potissimum et honore et virtute. Quocirca praedicandum est Papae auctoritatem ipsius Concilii auctoritati praeeminere; revera, qualis esse potest Synodus aut collectio totius Ecclesiae, a qua Romanus Pontifex exulet, qui toti gregi praesse iussus est, id est, non singulis tantum agnis, sed etiam ovibus universis ?

18. — **Solvuntur difficultates.** — I. Legimus aqud S. Cyprianum [2]: *Episcopatus unus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur.* Idem S. martyr in Concilio Carthaginensi aiebat [3]: *Neque quisquam nostrum episcopum se esse episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit; quando habeat omnis episcopus, pro licentia libertatis et potestatis suae, arbitrium proprium.*

Resp. S. Cypriani mens est, non quidem episcopatum unum esse ratione auctoritatis et iurisdictionis, sed originis ac naturae: ut patet ex eius scopo, qui erat constabilire unitatis Ecclesiae fundamentum. Quocirca, in priori textu, unam ait esse agnoscendam totius episcopatus radicem; quo profecto non tollitur episcoporum omnium dependentia a Romano Pontifice, quinimmo implicite asseritur, quatenus

[1] Can. 218, § 2. — [2] L. de Unit. Eccles., Oxon., 1799, p. 78. — [3] Sententiae Episc. LXXXVII, de Haereticis baptizandis, p. 158.

ab illius episcopatu, velut a communi principio, particulares episcopatus sumant exordium, eique velut radici adhaereant, ut cum eo unum efficiant universalem episcopatum, quasi unum pastorale corpus constituentes. — In altero autem textu, non excludit plenam Romani Pontificis actoritatem ; sed id tantum protestatur, nolle se episcoporum libertatem, in determinando valore baptismi ab haereticis collati, coarctare. Quod si, ut nonnullis videtur, ad Stephanum, Romanum Pontificem alludere voluerit S. Cyprianus, non hoc ea mente fecit ut illius carperet potestatem, sed, quemadmodum falso existimabat, ut potestatis abusum in eo condemnaret, quasi in re disciplinari et nondum plene eliquata, qualis tunc agebatur, anathema in tot sanctos praesules ferre minime debuisset.

Ceterum, ad fidem S. Cypriani plene vindicandam, sufficit attendere ad similitudines, quibus hac super re illemet utitur: scilicet, *multorum ramorum*, unam arborem efformantium, aut *multorum rivorum*, quorum unitas servatur in origine; unde et Ecclesiam Romanam appellat *radicem* et *matricem* Ecclesiae catholicae [1]; qui etiam testatur singulis pastoribus adscriptam esse portionem gregis [2], affirmans, non aliunde oborta schismata, *quam inde, quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos, et ad tempus in Ecclesia iudex vice Christi cogitatur: cui si secundum magisteria divina obtemperaret fraternitas universa, nemo adversum sacerdotum collegium quicqum moveret* [3]. Qui demum cum S. Petri verba recitasset [4]: *Domine, ad quem ibimus? verbum vitae aeternae habes; et nos credimus et cognovimus quia tu es Christus, Filius Dei,* haec decretoria verba promit [5]: *Loquitur illic Petrus, super quem aedificanda fuerat Ecclesia, Ecclesiae nomine docens et ostendens, quia etsi contumax ac superba obaudire nolentium multitudo discedat, Ecclesia tamen a Christo non recedit, et illi sunt Ecclesia plebs sacerdoti adunata, et pastori suo grex adhaerens.*

II. S. Hieronymus, scribens ad Evangelum, ait [6]: *Si*

[1] Epist. XLVIII ad Cornel., p. 234. — [2] Epist. LIX ad eumd. Cornel., p. 261. — [3] Ibid. — [4] Io., VI, 69, 70. — [5] Epist. LXIX, p. 286. — [6] Epist. CXLVI, n. 1. t. I, col. 1082.

auctoritas quaeritur, orbis maior est Urbe. Ubicumque fuerit episcopus, sive Romae, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rhegii, sive Alexandriae, sive Tanis, eiusdem meriti, eiusdem est et sacerdotii.

Resp. S. Hieronymus hic aliud non intendit, nisi episcopos omnes, spectatis formaliter episcopatus natura et charactere, aequalis esse conditionis; ideoque illam esse quorumdam Ecclesiae Romanae diaconorum audaciam reprehendendam, qui gradum suum presbyterali dignitati anteponebant: quos proinde S. Doctor perstringit, advertens, ex Summi Pontificis maiestate, non tantum illis auctoritatis obvenire, ut propterea presbyteris sese praeferrre auderent, quemadmodum ex prava quadam consuetudine inducti sibi faciendum ducebant. Ceterum, notissima sunt Hieronymi de Summi Pontificis potestate verba [1]: *Quoniam vetusto Oriens inter se populorum furore collisus, indiscissam Domini tunicam et desuper textam, minutatim per frusta discerpit, et Christi vineam exterminant vulpes, ut inter lacus contritos, qui aquam non habent, difficile, ubi fons signatus et hortus ille conclusus sit, possit intelligi, ideo mihi cathedram Petri et fidem apostolico ore laudatam censui consulendam, inde nunc animae postulans cibum, unde olim Christi vestimenta suscepi.* Et rursus [2]: *Ego interim clamito, si quis cathedrae Petri iungitur, meus est.*

III. S. Gregorius Magnus nomen *episcopi universalis*, seu *oecumenici* proscripsit, illud tum a se, tum a Ioanne ieiunatore, episcopo Constantinopolitano, repellens [3].

Resp. S. Gregorius nomen episcopi universalis non ea causa a se proscripsit, quasi sibi res per illud nomen significata non competeret, sed ut Graecis occasionem tolleret eodem nomine in sui favorem abutendi. Cum enim huc iugiter tenderent episcopi constantinopolitani, ut se a Romani Pontificis auctoritate subducerent, imperio occidentali barbarorum devastatione iam evanescente, et eius vice orientali imperio surgente, eo illi devenerant, non solum ut super patriarchas

[1] Ep. XV, al. LVII, ad Damasum Papam, t. III, P. I, col. 38. — [2] Ep, XVI, al. LVIII, ad eumdem, col. 42. — [3] L. V. Epist.; ep. XVIII, ad Io. ep. CX.

Alexandrinum et Antiochenum praeeminentiam usurparent, sed etiam ut contenderent romanam sibi sedem subiicere. Qua de causa, ad mala haec semina suffocanda, S. Gregorius Magnus fortiter obstitit quominus antistes constantinopolitanus titulum usurparet episcopi oecumenici; et ut monitioni vim atque robur exemplo suo adiiceret, nomen illud a se ipse respuit, deinceps se *Servum servorum Dei* nuncupans. *Numquid non*, ait [1], *sicut vestra fraternitas novit, per venerandum chalcedonense Concilium, huius apostolicae Sedis antistites, cui Deo disponente deservio, universales, oblato honore, vocati sunt? Sed tamen nullus unquam tali vocabulo appellari voluit, nullus sibi hoc temerarium nomen arripuit; ne si in pontificatus gradu gloriam singularitatis arriperet, hanc omnibus fratribus denegasse videretur.*

Ceterum, quod primatum Romano Pontifici super ceteros episcopos vindicet S. Gregorius, ex multis eius locis evincitur; puta, cum illum vocat *caput fidei, ex quo membrorum status integer manet* [2]; cum testatur potestatem se exercere in orientales episcopos, licet aliis patriarchis subiectos [3]; cum affirmat Romanum Pontificem universis ecclesiis curam impendere; aut cum, loquens de Romana Sede, ait [4]: *Nescio quis ei episcopus subiectus non sit.*

19. — Quaestio. — *Utrum papatus specialem ordinem constituat?*

Resp. Negative: nimirum, ut iterum argumentatur S. Thomas [5], potestas sacerdotis exceditur a potestate episcopi, quasi a potestate alterius generis; sed potestas episcopi exceditur a potestate papae, quasi a potestate eiusdem generis; et ideo omnem actum hierarchicum, quem potest facere papa in administratione sacramentorum, potest facere episcopus: non autem omnem actum, quem potest facere episcopus, potest facere sacerdos in sacramentorum collatione; et ideo quantum ad ea quae sunt episcopalis ordinis, omnes episcopi sunt aequales: et propter hoc quilibet episcopus alium potest consecrare, et in iure statuitur ut episcopus Ostiensis consecret papam [6].

[1] Epist. cit. — [2] L. XIII Epist., ep. XX. — [3] L. VI, ep. LXVI. — [4] L. IX, ep. LIX. — [5] Loco cit., ad 3ª. — [6] Cf. can. 239, § 2.

20. — Gradus dignitatum inter episcopum et papam. — At vero sciendum est, inter papam et alios episcopos, diversos gradus intercedere, illis gradibus correspondentes, secundum quos una communitas potest in alia includi. Sicut enim civitates includuntur in provincia, provinciae in regno, regna in mundo: ita episcopi subsunt archiepiscopo sive metropolitano, archiepiscopus primati, primas Romano Pontifici.

Cum primate in quibusdam convenit patriarcha, in quantum scilicet archiepiscopi obedientiam sicut patriarchae, ita primati debent, et ab archiepiscopo potest appellari ad patriarchas, sicut etiam ad primatem. At, simpliciter loquendo, praestat patriarcha primate; non enim quilibet primas patriarcha vocatur. Quinimmo tres soli patriarchae primitus extiterunt, romanus scilicet, alexandrinus et antiochenus, cum illae solae ecclesiae tanquam patriarchales haberentur, quae S. Petrum fundatorem habuerant: notum est autem illum romanam ecclesiam per se constituisse et usque in finem vitae gubernasse; alexandrinam vero per Marcum quem eo direxit; denique antiochenam ecclesiam primo per se rexit S. Petrus, dein per Evodium.

Unde primus inter patriarchas ille est, qui Petro succedit non solum in episcopatu, sed etiam in regimine universalis Ecclesiae; secundus, qui in episcopatu succedit Marco Evangelistae; tertius qui Evodio, qui Marco minor extitit [1]. — Ad rem S. Gelasius I [2]: *Est ergo prima Petri Apostoli sedes, Romana ecclesia,* NON HABENS MACULAM, NEQUE RUGAM, NEC ALIQUID HUIUSMODI [3]; *secunda autem sedes apud Alexandriam, beati Petri nomine a Marco eius discipulo et evangelista consecrata est...; tertia vero sedes apud Antiochiam eiusdem beatissimi Petri Apostoli habetur honorabilis. Hierarchice tamen praeposita fuit Antiochia Alexandriae.* — Postmodum vero ad plures sedes dignitas patriarchalis extensa est [4].

[1] Fr. Sylv., in S., Quaest. XL, art. 6. — [2] Epist. XLII, seu decretali de recipiendis et non recipiendis libris, A. D. 495. D.-B., n. 163. — [3] Eph., V, 27. — [4] Cf. Comm. n. IN ACTUS APOST., Sect. LII, Quaest. V, t. I, p. 235.

APPENDIX

Utrum suam iurisdictionem episcopi immediate a Romano Pontifice vel a Christo repetant.

1. — **Status quaestionis.** — Quaestio haec in Tridentino Concilio magna animorum contentione agitata est, at in medio relicta, agente praesertim Cardinali a Lotharingia, cum disputatio esset inter catholicos, non inter catholicos et haereticos, pro quorum disceptationibus Concilium fuerat institutum [1]. — Ubi primo adverti potest, quaecumque solutio detur, nihil inde vel contra Papae primatum, vel contra episcoporum potestatem, rite deduci. Nam si quidem immediate a Deo repetatur episcoporum potestas, nihil inde monarchico Ecclesiae imperio detrahitur, cum potestas haec subiecta et obnoxia sit Romano Pontifici, a quo arctari, amplificari, vel etiam tolli potest. Rursus, si a Summo Pontifice in episcopos iurisdictionem derivari intelligamus, non inde sequitur illos nonnisi huius vicarios existere, cum prima huius potestatis origo sit a Deo repetenda, qui illam sic voluerit eis per Petri successorem communicari.

2. — **Praenotandum.** — Ut in re perdifficili definienda quid probabilius tenendum sit declaremus, primo advertimus, apud omnes compertum esse debere, episcopatum in se divinae esse originis et perenniter duraturum, cuius essentia fuit a Christo Domino ita determinata, ut episcopi ordinaria potestate polleant, tanquam Christi vicarii in particulari aliqua ecclesia; non vero ut delegata tantummodo potestate, tanquam Papae vicarii fruerentur. — Hoc igitur posito, dicimus

[1] Cf. Card. Sforza Pallavicino, Istoria del Concilio di Trento, l. XIX, c. 6.

3 — PROP. — **Iurisdictio episcopis, non immediate a Deo, sed mediante Romani Pontificis actu iniunctivo, obvenit, actu scilicet quo superior alicui imponit officium vel munus alios regendi et gubernandi.**

Haec est plurium gravium auctorum sententia, inter quos praecipui recensentur S. Thomas [1], Card. Bellarminus [2] et Benedictus XIV [3].

4. — **Suadetur.** — I. Imprimis, consonat haec sententia universali principio cui omnia divina opera innituntur, scilicet principio unitatis, quae in Ecclesia in hoc potissime consistit, quod caput a Deo, membra vero a capite suam virtutem immediate recipiunt. In quo alia quoque lex, in totius universi regimine impressa, in praxim traducta relucet, causam scilicet primam effectus suos mediante causa secunda producere: nimirum, quemadmodum presbyteris per episcopos, ita episcopis per Summum Pontificem, potestas a Deo provenit, ut sic perfecta habeatur harmonia inter opera naturae et opera gratiae [4]. *Ratio monarchici regiminis.* ait Benedictus XIV [5], *quod Christus in sua Ecclesia constituit. videtur exposcere ut totius Ecclesiae iurisdictionis fons et origo resideat in eiusdem Ecclesiae visibili capite, quod est Romanus Pontifex, atque ab eo profluat in cetera membra.*

II. Sed et eadem apparet veritas ex hoc quod Romanus Pontifex episcopi potestatem potest, sicut amplificare, ita etiam limitare, imo penitus auferre: cum ergo solemne sit rem, per eas causas per quas enascitur, per easdem dissolvi, vicissim rite potest concludi illam alicuius rei causam esse, a qua reapse dissolvitur, proindeque a Romano Pontifice episcopi auctoritatem in actu secundo dimanare. — Cui animadversioni robur adiicitur, si consideretur aliquando episcopos consecrari, quibus nulla prorsus competit iurisdictio, ut sunt episcopi titulares; ex altera parte, haud raro evenit quod iurisdictionem Papa hominibus confert charactere episcopali non insignitis, imo vel sacerdotali charactere carentibus.

[1] L. IV C. Gent., c. 76; et Comm. in Matth., XV, lect. 2. — [2] De Romano Pontif., VI, cap. 24. — [3] De Synodo dioec., t. I, l. I, cap. 4. — [4] Cf. S. Thom., loco cit. — [5] Loco cit.

5. — **Probatur**. - At huius rei propria ratio petenda est ex verbis Domini nostri [1]: *Tibi dabo claves regni caelorum:* quae quidem uni Petro dicta sunt, etsi subsequens promissio [2]: *Quodcumque ligaveris*, etc., ad ceteros quoque Apostolos fuerit extensa. Igitur, quemadmodum Christus principaliter est petra, fundamentum, caput, princeps Ecclesiae, cui proinde per se competit habere claves regni caelorum, id est potestatem gubernandi et regendi Ecclesiam a se fundatam; ita, secundario, haec omnia competunt Petro ut primo Christi ministro et formaliter vicario, a quo proinde accipiunt episcopi omnem quae sibi competere potest potestatem. Non enim quilibet episcopus accipit claves regni caelorum, cum sola Ecclesia universalis vocetur regnum, et singulae ecclesiae sint velut unius regni provinciae vel regiunculae; inde particulares isti pastores suam accipiunt potestatem ab illo, qui illius potestatis plenitudinem in seipso adunat. Exinde rite concludit S. Thomas [3]: *Papa qui est loco S. Petri, habet plenariam potestatem, alii vero ab ipso;* et rursus [4]: (Petro) *soli promisit* (Christus): TIBI DABO CLAVES, etc., *ut ostenderetur potestas clavium per eum ad alios derivanda, ad conservandum Ecclesiae unitatem.*

6. — **Confirmatur**. — Hanc eamdem veritatem non obscure significavit Pius VI qui, libellum Eybelii, *Quid est Papa*, in quo impius ille vir contra Summi Pontificis auctoritatem insurrexerat, condemnans, ait [5]: *Non ille veritus est fanaticam turbam appellare, quam prospiciebat ad aspectum Pontificis in has voces erupturam: hominem eum esse, qui claves regni caelorum cum ligandi solvendique potestate a Deo acceperit, cui non alius episcopus exaequari valeat, a quo ipsi episcopi auctoritatem suam recipiant, quemadmodum ipse a Deo supremam suam potestatem accepit.* — Idipsum antea sat aperte significaverat S. Innocentius I, dicens divina decretum sententia, ut ab Apostolica Sede *sumerent ceterae ecclesiae, velut de natali suo fonte aquae cunctae procederent* [6].

[1] Matth., XVI, 19. — [2] Ibid., XVIII, 18. — [3] Comment. in Matth., XV, 2. — [4] L. 1V, Contra Gent., c. 76. — [5] Brevi, *Super soliditate*, 28 Nov., 1786. — [6] Ep. *In requirendis Dei rebus*. ad episc. Afric., 27 Ian., 417.

Pariter, S. Leo Magnus [1]: *Huius muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in Beatissimo Petro, Apostolorum omnium summo, principaliter collocaret, ut ab ipso, quasi quodam capite, dona sua velut in corpus omne diffunderet* [2].

7. — **Oeconomia veteris Testamenti.** — Potest denique eadem veritas figura ex veteri Testamento deprompta confirmari. Nimirum, in libro Numerorum legitur [3] quod cum Moyses non posset solus totum populum regere, iussit Deus adesse septuaginta seniores; et auferens de spiritu Moysis, dedit illis ut una cum Moyse populum regerent. Porro ablatio haec spiritus a Moyse non significat, ut notat S. Augustinus [4], diminutionem spiritus in Moyse, quia tunc nihil ei profuisset habere coadiutores, si propterea debilior ipse factus esset, sed significat derivationem virtutis seniorum a virtute Moysis, ut ostenderetur seniorum auctoritatem a Moyse derivari. Porro, constat Moysen figuram extitisse Summi Pontificis, ita ut quem ille in populo Hebraeorum locum habuit, hic in Ecclesia obtineat.

8. — **Solvuntur difficultates.** — I. In Actibus Apostolorum legitur [5]: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.*

Resp. Episcopi positi sunt a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei, non necessario immediate: sed quemadmodum illi constituti fuerant episcopi virtute accepta a Spiritu Sancto, ita etiam virtutem suam mediantibus Apostolis acceperant, quo modo dicimus episcopos nunc virtutem suam accipere mediante Romani Pontificis auctoritate, sicut quando dicit S. Paulus [6]: *Non est potestas, nisi a Deo.* Igitur textus ille, sicut hic alius textus [7]: *Ipse dedit, quosdam... pastores et doctores*, probat quidem a Deo instituta esse munia ecclesiastica, omnemque potestatem ab eo originarie derivari; sed

[1] Epist. X ad Episc. Vienn. provinciae. — [2] Cf. Card. Pallavicino, l. cit. — [3] XI, 16. — [4] Quaest. XVIII, in lib. Numeri. — [5] XX, 28. — [6] Rom., XIII, 1. — [7] Eph., IV, 11.

non probat auctoritatem episcopis obvenire, sine interventu causae secundae, qualis est Summi Pontificis mediatio.

II. Sicut Romanus Pontifex succedit Petro, ita episcopi succedunt ceteris Apostolis. Atqui ceteri Apostoli, non secus ac Petrus, a Christo immediate iurisdictionem acceperunt. Ergo etiam episcopi, non minus ac Romanus Pontifex, suam a Christo iurisdictionem immediate accipiunt.

Resp. Dist. mai.: inspecto ordine successionis, *transeat*; consideratis successionis iuribus, *nego. Dist. min.*; sic tamen ut haec immediata iurisdictionis collatio ad Apostolorum successores derivari deberet, *nego*; sic ut Apostolorum successores iurisdictionem a Romano Pontifice acciperent, *conc. Nego conseq. et conseq.* — Ubi notandum est, cum B. Bellarmino [1], magnum esse discrimen inter successionem Petri et aliorum Apostolorum. Nimirum nec Romanus Pontifex succedit Petro, ut Apostolo, nec episcopi ceteris Apostolis, ut sic, proprie succedunt. Sed Papa succedit Petro ut pastori ordinario totius Ecclesiae, ideoque a Christo accipit iurisdictionem, sicut illam a Christo accepit Petrus. Episcopi vero evidenter non succedunt Apostolis ut sic, cum illi non fuerint ordinarii, sed extraordinarii pastores, qualibus non succeditur.

Qua autem ratione dicuntur episcopi succedere Apostolis? Certe non eo modo quo unus episcopus alteri succedit et unus rex alteri, sed, pergit explicans B. Bellarminus, duplici alia ratione. Primo, ratione ordinis sacri episcopalis; secundo, per quamdam similitudinem et proportionem: quia sicut Christo in terris vivente, primi sub eo fuerunt Apostoli duodecim, deinde septuaginta duo discipuli, ita nunc primi sub Romano Pontifice sunt episcopi, et post eos presbyteri, deinde diaconi, etc.

Revera nullam habent episcopi partem verae apostolicae auctoritatis: poterant enim Apostoli in toto terrarum orbe praedicare, et fundare ecclesias; hoc autem praestare nequeunt episcopi; pariter poterant Apostoli libros canonicos conscribere et revelationis depositum recognoscere [2], quod non possunt episcopi; ulterius, habuerunt Apostoli donum

[1] Loco cit., cap. XXV. — [2] Cf. tr. n. DE SACRA DOCTRINA, Quaest. IV, art. 2, n. 4, p. 242.

linguarum et miraculorum, quo dono episcopi carent; praeterea, Apostoli in totam Ecclesiam iurisdictionem habuerunt, quod episcopis minime convenit. His adde quod non succeditur proprie nisi praecedenti; at simul fuerunt in Ecclesia Apostoli et episcopi, ut patet de Timotheo, Tito, Evodio, aliisque permultis.

Eodem igitur modo succedunt episcopi Apostolis, quo presbyteri septuaginta duobus discipulis. Constat vero presbyteros non succedere proprie septuaginta duobus discipulis, sed solum per similitudinem: nam discipuli illi non fuerunt presbyteri, nec ullum ordinem aut iurisdictionem a Christo susceperunt. Siquidem Philippus et Stephanus et alii quinque diaconi ordinati ab Apostolis [1] erant ex septuaginta duobus discipulis, ut S. Epiphanius docet [2]: at certe non fuissent ordinati diaconi, si iam antea presbyteri fuissent [3].

III. Non omnes episcopi, ut patet de Orientalibus, a Romano Pontifice creati sunt.

Respondet B. Bellarminus [4], non esse necesse ut Pontifex immediate creet episcopos; sed satis esse, si mediate, id est, per patriarchas et archiepiscopos, id faciat. Itaque initio Petrus constituit patriarchas Alexandrinum et Antiochenum, qui accepta ab eo auctoritate, toti fere Asiae et Africae praeerant, et archiepiscopos creare potuerunt, qui postmodum episcopos crearent.

9. — **Corollarium**. — Ex hisce consequitur, tum ordinem, tum iurisdictionem episcoporum, esse quidem a Deo, aliter tamen et aliter: ille scilicet immediate, haec vero mediate eis a Deo confertur: cuius differentiae ratio in hoc reponitur, quod potestas ordinis consistit in charactere, quem solus Deus efficere potest; iurisdictio vero pendet a voluntate superioris, quae quidem voluntas sese extendere potest ultra naturalem ipsius superioris vitam, cum sit causa iurisdictionis in fieri tantum, non vero in conservari; et ideo mortuo Pontifice, non cessat episcoporum auctoritas.

[1] Act., VI, 56. — [2] Haeresi XX, quae est Herodian. — [3] B. Bellarm., fere ad verbum. — [4] Loco cit.

10. — **Scholion.** — Non idem dicendum est de episcopis relate ad Summum Pontificem, quod de Apostolis relate ad Petrum. Nam quia Apostoli habuerunt potestatem immediate a Christo, etsi Petro essent subiecti, hinc non potuit Petrus eam ipsis auferre vel minuere; episcoporum vero potestas iurisdictionis, quia a Romano Pontifice derivatur, ideo ab eodem minui vel etiam penitus auferri potest, non autem potestas ordinis, quam immediate a Deo illi percipiunt; unde episcopus, vel etiam presbyter, etiamsi excommunicetur, suspendatur, interdicatur vel degradetur, potest tamen, si velit, vere eucharistiam consecrare.

QUAESTIO SECUNDA.

(S., XXXIV, 4-5).

DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTI ORDINIS.

PROLOGUS.

1. — **Ratio et ordo quaestionis.** — Solemne est in theologia, omnia sacramenta duobus confici: quorum alterum habet rationem materiae, alterum vero formae; et illud quidem dicitur elementum, hoc vero verbum; unde, quemadmodum divinitatis Verbum accessit ad elementum humanitatis in utero Virginis, et factum est magnum Incarnationis sacramentum, ita *accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum* illud novae Legis, quo nobis virtus ex ineffabili hoc mysterio derivata applicatur [1]. Igitur, cum sacramentum sit signum sensibile, nomine autem rei sensibilis intelligatur tum materia, sive elementum, tum forma, quae in verbis consistit, et ad aurium sensum pertinet [2], hinc, ut quidditas sacramenti ordinis probe dignoscatur, necesse est doctrinam de illius propria tum materia, tum forma ordinatim expendere.

Quapropter duo hic investiganda proponuntur.

Primo. Utrum ordo habeat determinatam materiam.

Secundo. Utrum habeat determinatam formam.

2. — **Advertendum.** — Porro, ad clariorem dicendorum intelligentiam, primo advertendum est, actum illum, quo sacerdotium confertur, ditissimo caeremoniarum complexu, inde praesertim a media aetate, circumdatum fuisse, quo videlicet clarius appareret quam uberes sanctitatis fructus inde proveniunt: ex quo quidem difficultas haud levis exur-

[1] Cf. S. August., tract. LXXX in Io. — [2] Cat. Rom., P. II, c. I, n. 15.

git, quid ad illius ritus essentiam, quid ad accidentalem ornatum pertineat, clare discernendi. Ex altera autem parte, sedulo prae oculis retinendum est, id quod in tractatu de sacramentis in communi docuimus, nempe sacramentorum essentialia ita a Christo fuisse fixa et in particulari determinata, ut in iis quicquam mutare, quicquam addere aut demere Ecclesiae fas non sit [1]; unde cum illis theologis consentire nequimus, qui satis esse existimant, si dicatur Christus significationem quidem singulorum sacramentorum in communi instituisse, Ecclesiae vero reliquisse ut hanc in concreto ipsa determinaret [2]: quo quidem vix quidquam periculosius adseri potest, cum sic aditus reseretur magnae in elementis sacramentorum constitutivis variationi; unde nobis tesserae loco esse debent verba Pii X [3]: *Compertum* (est) *Ecclesiae minime competere ius circa ipsam sacramentorum substantiam quidquam mutandi.*

Articulus. I. — *Utrum sacramentum ordinis habeat determinatam materiam.*

1. — Distinctio inter ordines hierarchicos et ordines inferiores. — Ut in praesenti disquisitione ordinatim procedamus, primo loco distinguere oportebit ordines hierarchicos, quo nomine presbyteratum et diaconatum intelligimus, ab ordinibus inferioribus, scilicet a subdiaconatu deorsum: qui videlicet ordines proprie hierarchici non sunt, et, ut diximus, iidem apud occidentales et orientales non inveniuntur, cum isti, Armenis exceptis, solummodo subdiaconatum et lectoratum recenseant. — Ulterius adverti debet, quaestionem hic agitari de ordinibus inferioribus, non secundum quod in diaconatu virtualiter continentur, sed prout seorsim formaliter conferuntur: si enim priori modo inspiciantur, planum est eamdem eis inesse materiam ac ipsi diaconatui. — Prius hic de materia propria ordinum hierarchicorum: dein de materia propria ordinum inferiorum agemus.

[1] Cf. Tract. n. de Sacramentis in communi, Quaest. LXIV, art. 2, app. II, p. 195, seq. — [2] Ita Card. Billot, de Eccl. sacr., 3ª ed., 1901, t. I, pag. 34. — [3] Epist. *Ex quo*, 20 Dec., 1910.

2. — Nihil eorum, quae Ecclesiae praescripserit, praetermittendum est. — At vero statim advertimus, nihil omnino eorum quae Ecclesia, in ordinum collatione, praescripserit, esse omittendum, sed omnia diligentissime debere observari: unde, etiamsi retineri velit, quod quidem Ecclesia minime damnavit, instrumentorum traditionem non esse necessariam sacrae ordinationi, nihilominus id adeo in praxi faciendum est, ut si omissum fuerit, non solum suppleri debeat, sed vel tota ordinatio, saltem sub conditione, sit iteranda, ut ex pluribus S. Officii responsis resultat [1]. Praesens igitur quaestio speculativa potius est quam practica: scilicet, inquiri vult, in quonam formaliter consistat materia propria tum diaconatus, tum presbyteratus.

3. — Verba Concilii Florentini. — Quoniam vero magnam facessunt difficultatem verba Concilii Florentini, ex quibus prima facie videretur inferendum, materiam sacrae ordinationis in sola instrumentorum traditione reponi [2], statim ipsa verba Concilii, in quibus error admitti non potest, cum de dogmate agatur et declaratio ad Concilium oecumenicum, ut sic, pertineat, adducenda censemus, quae, si bene perpendantur, non id important, quod aliquibus potuit videri.

Eugenius IV, cum praemisisset [3]: *Ecclesiasticorum sacramentorum veritatem, pro ipsorum Armenorum, tam praesentium, quam futurorum, faciliore doctrina, sub hac brevissima redigimus formula*, veniens ad sacramentum ordinis, ait: *Sextum sacramentum est ordinis, cuius materia est illud, per cuius traditionem confertur ordo: sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino et patenae cum pane porrectionem. Diaconatus vero per libri Evangeliorum dationem. Subdiaconatus vero per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem.*

4. — Explicantur haec verba. — Circa quae verba, primo advertimus, gratis a quibusdam dici, Pontificem hic tantum sollicitum fuisse de indigitandis eis quae in Ecclesia latina erant diversa a ritibus Armenorum, non vero de definienda

[1] Benedictus XIV, in Op. de Synodo dioeces., l. VIII, cap. 10, n. 13. — [2] Vide R. P. Ed. Hugon, O. P. Tr. de Ordine, p. 509. — [3] Bulla *Exultate Deo*, 22 Nov., 1439.

materia tanquam parte sacramento essentiali. — At, potissime advertendum est, Pontificem minime dicere porrectionem, seu traditionem instrumentorum esse unicam materiam essentialem huius sacramenti: sed dicit sacramenti ordinis materiam esse *id per cuius traditionem confertur ordo*, quidquid id tamen sit, sive sit manus impositio, sive instrumentorum porrectio, sive melius utrumque simul. Et quod revera utrumque simul sit, evincitur ex eis quae, exempli instar, subiungit Pontifex: scilicet *porrectio* calicis cum vino, etc., pro presbyteratu; *datio* libri Evangeliorum pro diaconatu; *traditio* calicis vacui, etc., pro subdiaconatu. Porro, et porrectio, et datio, et traditio huiusmodi fieri nequeunt sine aliqua manus impositione, quemadmodum unctioni cum sacro chrismate impositio manus coniungitur, ut in tractatu de Confirmatione docuimus [1]. — At manet haud spernenda difficultas de instrumentorum porrectione, quam aiunt penes ecclesias orientales non haberi.

5. — Duplex porrectio instrumentorum in ordinum collatione. — Ad quod solvendum, advertere debemus, quod quidem penes auctores communiter praetermissum cernimus, duplicem distingui debere instrumentorum usum in ordinum collatione: nempe, alium traditivum, alium vero exhibitivum, quae quidem distinctio ex sola nominum varietate sat aperte innotescit. Nimirum prior usus in hoc consistit, quod ordinator episcopus vasa sacra tradat ab ordinando tangenda, et quidem contactu physico; altera vero, in hoc quod vasa illa eidem exhibeat vel indigitet, aut clericum ordinandum utcumque ad illa, utpote physice praesentia, referat. Et quidem, utraque illa instrumentorum traditio, seu porrectio, aut datio, aliquam habet secum necessario coniunctam manuum impositionem, ut diximus, unde in hoc quod dicitur materia sacrae ordinationis consistere in porrectione, datione aut traditione instrumentorum, non excluditur, quin potius, aperte includitur etiam impositio manuum.

6. — Usus communis prioribus Ecclesiae saeculis et usque nunc apud Graecos vigens. — Hic autem sedulo adverti

[1] Art. 2, n. 18 p. 329.

debet, usque ad saeculum nonum vel decimum, imo forsan aliquo tempore postea, consensisse Latinos cum Graecis in conferendo hierarchicos ordines per manuum impositionem, absque illa expressa instrumentorum traditione, quam postea videmus in usu fuisse, quemadmodum deduci potest ex antiquis libris sacramentariis vel ritualibus [1], necnon ex scriptoribus ecclesiasticis illius temporis, ut Alcuino, Rabano Mauro, etc. Apud Orientales vero compertum est antiquum hunc morem adhuc servari.

7. — Instrumentorum exhibitio in ordinatione penes Orientales. — Attamen, longe a vero abludunt auctores illi, et multi sunt, qui affirmant, penes orientales ecclesias, nullam nunc instrumentorum porrectioni vel usui locum esse, aut etiam penes Ecclesiam latinam, prioribus saeculis, talem porrectionem penitus defuisse. Enimvero viguit revera et etiamnum viget, penes Orientales, etsi modo ab hodierno Latinorum more paulisper diverso, aliquis instrumentorum usus, tanquam completivus materiae huius sacramenti, in collatione scilicet presbyteratus et diaconatus, licet non actu traditionis, sicut penes Latinos, consistens, sed actu exhibitionis, porrectionis aut praesentationis, coniuncto cum impositione manuum aut manus episcopi [2].

Nimirum, penes aliquem ritum orientalem, puta Coptorum, hoc in usu habetur, ut episcopus, dum manum dextram ordinando imponit, sinistram super altare extensam teneat, ubi sunt patena cum hostia et calix cum vino, quasi per posteriorem hunc actum, impositio manus dextrae ad propriam significationem et consequenter efficientiam pertrahi velit. Penes alium ritum, vero, ut puta, Iacobitarum, episcopus, cum iam oblata consecravit, ambas manus prius super hostiam et calicem sic consecrata extendit; dein, sic extensas defert super caput ordinandi, quasi significare intendat, se huic illammet potestatem supra corpus et sanguinem Domini

[1] Hos invenire est praecipue apud MARTÈNE, De Antiquis Ecclesiae ritibus. L. I, P. II, c. VIII. Photom., t. II, pp. 258, seq. — [2] Cf. Append. ad praesentem quaest., ubi Graecorum ritus, ex eorum libris liturgicis, in ordinatione diaconi, presbyteri et episcopi, refertur.

conferre, quam ipse modo exercuit. Porro, similia, attente rem consideranti in singulis liturgiis Orientalium, uno aliove modo expressa, recurrunt: et idem, ut censemus, dici debet de ritu olim penes Latinos, scilicet ante saeculum nonum aut decimum, vigente.

8. — Validitas ordinationis, apud Orientales, absque instrumentorum usu traditivo. — Quod autem attinet ad praesentem Ecclesiae orientalis praxim, dicendum est, ordines, per manuum impositionem, absque usu traditivo instrumentorum in ea collatos, tanquam omnino validos esse retinendos; eo vel magis quod Romani Pontifices, ut de Clemente VIII testatur Benedictus XIV [1], schismaticorum ad catholicam unitatem reversorum ordines, hoc modo collatos, iterandos non esse declaraverint.

9. — Manuum impositio. — Porro, de manuum impositione vel elevatione, quae a graecis χειροθεσία, χειρεπιθεσία, χειροτονία dicitur, et quae, ut mox docebimus, ad propriam huius sacramenti materiam, non tamen absque aliquo ad instrumenta respectu, pertinet, advertendum sedulo est, plures eidem adnecti posse significationes, cum illam videamus in Scriptura adhibitam, nunc in curando infirmos [2], nunc in orando [3], etc. Sed maxime in benedictionibus recurrit: sic Aaron, extendens manus ad populum, benedixit ei [4], et similiter Moyses Iosue, cum eum populo praefecit [5]. Sed et ipsos Apostolos per manus impositionem Spiritum Sanctum dedisse legimus [6]. Igitur manuum impositio nunc accipitur, secundum quod per eam significatur et efficitur collatio spiritualis potestatis seu characteris ad divina munia Ecclesiae nomine obeunda, quo modo vetabat S. Paulus illam circa indignum hominem adhiberi [7]: *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.*

At simul notandum est, ex dictis liquido sequi, sola manuum impositione non satis significari collationem spiritua-

[1] De Syn. Dioeces., l. VIII, c. X, n. 7. — [2] Luc., IV, 40. — [3] Matth., XIX, 3. — [4] Levit., IX, 22. — [5] Num., XXVII, 18. — [6] Act., VIII, 17. Cf. Gul. Durand., Rationale div. off., l. II, c. XI, n. 10. — [7] 1 Tim., V, 22.

lis potestatis seu characteris ad divina munia, nomine Ecclesiae, obeunda, nisi aliquid eidem addatur, quo ad hanc praecise significationem formaliter trahatur: et hoc quidem, ex parte formae, sunt verba sacerdotis; ex parte vero materiae, quid esse potest, nisi instrumentorum porrectio, vel traditiva ut penes Latinos, vel saltem, ut penes Graecos, exhibitiva? — Sit ergo

10. — PROP. — Materia ordinum hierarchicorum in manuum impositione reponenda est, cum aliqua instrumentorum porrectione, vel traditiva, vel exhibitiva.

11. — Sententiae. — Doctrina haec aeque discedit a sententia Dominici Soto, Goneti, aliorumque, ordinationis materiam in instrumentorum porrectione unice reponentium [1], et a recentiorum communiori opinione, volentium materiam hanc in sola manuum impositione sitam esse, cui tamen Ecclesia credatur addidisse traditionem instrumentorum, ad expressiorem collatae potestatis significationem. — Discedimus quoque, uti patet, a sententia dicentium cum B. Bellarmino [2], Billuart [3], aliisque, tum manuum impositionem, tum instrumentorum porrectionem, ad essentialem sacramenti ritum, non quidem ex divina institutione, sed ex Ecclesiae praescripto, hodiedum apud Latinos, pertinere. — Ostenditur autem praedicta propositio ex necessitate utriusque elementi, primo quidem, singillatim considerati, secundo autem simul sumpti.

12. — Impositio manuum in Sacra Scriptura. — Imprimis, quoad manuum impositionem, in relatione ad sacram presbyterorum et diaconorum ordinationem, plures in Sacra Scriptura evidentissimi loci commemorantur, quibus clare evincitur, hanc fuisse praxim apostolicam, scilicet, ut per manus impositionem sacra ordinatio conferretur: quos qui-

[1] Sententiam hanc ultro amplectitur egregius theologus R. P. Ed. Hugon, O. P., dum thesim statuit: *Recentissimae disquisitiones historico-theologicae vindicant sententiam S. Thomae et doctrinam Concilii Florentini, de porrectione ut unica materia essentiali.* Tr. de Ordine, p. 509. — [2] De Sacram. Ord., L. I, cap. IX. — [3] Tr. de Sacr. Ord., Diss. II, art. I, dico 1°.

dem locos hic recitasse non pigebit. Nimirum, S. Paulus ait [1]: *Noli negligere gratiam quae in te est, quae data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii.* Rursus [2]: *Manus cito nemini imposueris*: et iterum [3]: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te, per impositionem manuum mearum.*

13. — Manuum impositio in traditione. — Explicita quoque est, hac in re, traditio Ecclesiae, quae si, usque ad saeculum decimum, de instrumentorum porrectione, vel apud Latinos silet, manuum tamen impositionem constanter recenset. Sic, in Constitutionibus apostolicis, inter cetera, haec leguntur [4]: *Constituo vobis episcopis: cum presbyterum ordinas, episcope, manum super caput eius ipse impone;* quibus fere similia sunt quae de ordinatione diaconorum ibidem habentur [5].

Ex antiquis etiam scriptoribus qui ex professo de sacra ordinatione locuti sunt, idipsum facile evincitur, dum illius materiam memorantes, manuum impositionem expresse recensent, ut constat ex S. Cornelio Papa [6], S. Cypriano [7], S. Basilio [8], S. Epiphanio [9], S. Innocentio I [10], S. Hieronymo [11], S. Isidoro [12], Alcuino [13], Amalario [14], Rabano Mauro [15]; quibus accenseri potest Walafridus Strabo [16].

14. — Manuum impositio in libris liturgicis. — His addi debent libri rituales et sacramentarii illius temporis, magna diligentia a viris doctis, ut Menardo [17], Martenio [18], Morino [19] editi: hi nimirum exhibent, in collatione ordinum hierarchicorum, manuum impositionem tanquam universaliter agnitam. Denique, orientales ecclesiae, scilicet, graeca, syria-

[1] 1 Tim., IV, 14. — [2] Ibid., V, 22. — [3] 2 Tim., I, 6. — [4] L. VIII, cap. XVI. — [5] Cap. XVII. Cf. signanter Conc. Nic. I, can. XIX; Antioch., a. 341, can. X; Ancyr., can. IX. — [6] Ep. ad Fab., apud Euseb. H. E., l. VI, c. 43. — [7] Ep. LXVII, n. 5. — [8] Ep. CLXXXVIII, 1 can. ad Amphil. — [9] Haeres. LXXV, n. 4. — [10] Ep. XVII, cap. 3. — [11] In Is., l. XVI, c. 58, 10. — [12] L. II de Officiis, c. 5. — [13] L. de divinis Officiis, cc. 34, seq. — [14] De eccles. off., l. II, cc. 12, seq. — [15] De Institut. cleric., l. I, cc. 5, seq. — [16] De rebus eccles., cc. 24, seq. — [17] In l. Sacramentorum S. Gregorii Papae, t. III, nota 757. — [18] De antiquis Ecclesiae ritibus, l. I, P. II, cap. 8, art. 9 et 11. — [19] Comment. de sacris ordinat., p. II.

ca, chaldaea, coptica et Maronitarum, in ordinandis clericis, impositionem manuum tanquam propriam materiam adhibent.

Cavere tamen lectorem oportet, ne ex his praecipitanter cum multis inferat, tum Ecclesiam latinam, ante saeculum decimum, tum Ecclesias orientales, *solam* adhibuisse aut adhibere manuum impositionem : aliud quippe est, in citatis Conciliis, in scriptis Patrum, aut in libris ritualibus, hanc *expresse* recenseri, aliud vero hanc *exclusive* habitam fuisse, id est, sic ut instrumentorum usus tanquam formaliter exclusus inferri debeat.

15. — Concilium tridentinum. — Denique his omnibus accedit Concilii tridentini auctoritas, docentis [1] ministrum extremae unctionis esse episcopum aut sacerdotem rite ordinatum *per impositionem manuum presbyterii*; pariter, in eodem Concilio legitur: *Non solum de sacerdotibus, sed et de diaconis, sacrae Litterae apertam mentionem faciunt, et quae maxime in illorum ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent.* Atqui notum est, in sacris Litteris, pro ordinatione presbyterorum et diaconorum, impositionem manuum et orationem commemorari [2].

16. — Verba Leonis XIII. — Hisce luculentis testimoniis addi possunt verba Leonis XIII qui, in litteris Apostolicis de ordinationibus anglicanis [3], cum dixisset materiam sacramentalem esse per formam determinandam, subdit: *Id in sacramento ordinis manifestius apparet, cuius conferendi materia, quatenus hoc loco se dat considerandam, est manuum impositio: quae quidem nihil definitum per se significat, et aeque ad quosdam ordines, aeque ad confirmationem usurpatur.*

Porro, postrema haec Leonis XIII [4] verba sedulo sunt perpendenda, quibus asserit manuum impositionem, quae ponitur tanquam materia huius sacramenti, de se quidquam definitum minime significare: ex quo clare inferre licebit, manuum impositioni aliquid debere coniungi, quo trahatur ad significandum effectum sacramenti ordinis: hoc autem esse

[1] Sess. XIV, cap. 3. — [2] Act., XIII, 2; 1 Tim., IV, 14, etc. — [3] Sess. XXIII, cap. 2. — [4] *Apostolicae curae*, 13 Sept., 1896. Acta Leonis XIII, vol. XVI, p. 268.

debet, tum ex parte formae, tum etiam ex parte materiae; sic, ut illa manuum impositio habeatur tanquam insufficiens, primo, cui aut nulla, aut impar forma coniungatur; et secundo, quae per aliquem exteriorem actum, ex parte materiae se tenentem, non compleatur.

17. — Materia sacrae ordinationis non est sola manuum impositio, nec prima, nec secunda. — Hoc posito, pronum iam est ostendere, sacrae ordinationis materiam esse non posse nec primam manuum impositionem, nec eam quae communiter dici solet secunda: non quidem primam, cum haec fiat absque verborum prolatione; non secundam, quae primae continuatur, cui coniunguntur verba: *Oremus, fratres carissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos, quos ad presbyterii munus elegit, caelestia dona multiplicet: et quod eius dignatione suscipiunt, ipsius consequantur auxilio. Per Christum,* etc. Enimvero, verba ista minime significant, sive indicative, sive imperative, sive etiam deprecative, alicuius determinatae potestatis collationem, cum sint solum exhortatio ad orationem; unde nil mirum si immediate postea Pontifex super clericos ante se genuflexos, tanquam, ut habet Rituale Romano, adhuc *consecrandos*, Deum exorat, et postea, flexis genibus, hymnum *Veni, Creator Spiritus,* super ordinandos recitet, quo quidem clare significatur, candidatos adhuc sacra potestate esse insigniendos.

18. — Impositio manuum coniuncta cum instrumentorum traditione. — At vero est, praeter has, alia impositio manuum, quam communiter auctores praetermittere videntur, quae quidem instrumentorum traditioni coniungitur; et hanc dicimus esse proprie materiam sacrae ordinationis. Quod quidem clarius apparebit, si consideretur relatio instrumentorum ad impositionem manuum.

Nimirum, instrumentorum usus vel traditio, in sacra ordinatione conferenda, huc ordinatur, ut manus impositionem, ad specialem effectum huius sacramenti proprium, qui est character et gratia sacerdotalis, significandum et causandum determinet, cum notum sit, sacramenta novae Legis idipsum causare quod significant. Secus enim illa manuum

impositio indifferenter se haberet ad significandam collationem gratiae, cum et in confirmatione, imo in oratione, pariter adhibeatur. Nimirum, deficiente hoc instrumentorum adiuncto, sive in expressa traditione, sive saltem in praesentiali exhibitione, dicenda foret manus impositio minus determinata ad specialem effectum producendum; unde, ut aliquid determinate significet, ad praedicta instrumenta referri quodammodo indiget.

19. — Solvitur tacita obiectio. — Obiicienti, in Sacra Scriptura, ubicumque de ordinatione agitur, de sola manuum impositione fieri mentionem, — *respondetur*, opus non fuisse ut instrumenta utcumque tunc recenserentur, cum, ut habetur in Actibus Apostolorum [1], ordinationes durante liturgia, seu, ut nunc dicitur, inter Missarum solemnia, constanter fieri consueverint, ideoque sacra instrumenta super altare visibilia extiterint.

Diximus, sive in expressa traditione, qualis in Latinorum liturgia habetur, sive saltem praesentiali exhibitione, quemadmodum apud orientales usum instrumentorum haberi diximus: hic enim advertere opportune possumus, id in liturgia latina supra Orientalium liturgias contineri, scilicet per patenae cum hostia et calicis cum vino porrectionem, et quidem ante consecrationem, expressius significari potestatem quam episcopus ordinando conferre intendit, quam significetur sive per simplicem instrumentorum oblatorum ostensionem, sive per allusionem ad easdem res iam consecratas.

Porro, quod huiusmodi usus instrumentorum, in sacramenti ordinis collatione ad rationem materiae pertineat, evidenter eruitur ex notissimis verbis Eugenii IV, qui ait [2]: *Sextum sacramentum est ordinis, cuius materia est illud per cuius traditionem confertur ordo: sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino et patenae cum pane porrectionem*, etc.

At pronum est ut propius investigemus quorsum spectent haec Eugenii IV verba, de quibus tanta mota est, penes Doctores, postremis praesertim annis, controversia [3].

[1] Cf. Act., XIII, 2; 1 Tim., VI. 14; 2 Tim., I, 6. — [2] In Decreto pro Armenis. — [3] Cf. supra, p. 218.

20. — Refellitur sententia dicentium decretum Eugenii IV esse erroneum. — Ut ab auctoritate huius ad Armenos eugeniani decreti sese expediant, nonnulli, distinctione inducta inter magisterium ordinarium et magisterium solemne seu extraordinarium, praedictum decretum non ad istud, sed ad primum caput formaliter pertinere contendunt. Quod quidem ita explicant, quasi voluerit Christus ut Summus Pontifex ordinaria sua auctoritate regeret ac doceret Ecclesiam; non ita tamen ut in omnibus infallibili suo magisterio interveniret; unde addunt, absolute loquendo evenire posse, Deo ita permittente, ut in decretis ordinarii magisterii S. Sedis error irrepat. Ex quo conclusio pleno fluit alveo, licere nos a decreto Eugenii IV, tanquam mere disciplinari, et, hac in re, errore contaminato, recedere [1].

At, quam periculose dicatur posse Ecclesiam vel Summum Pontificem, in magisterio ordinario explicando, errori subiacere, clare apparet consideranti verba ipsa quae in Concilio Vaticano expresse leguntur [2]: *Porro, fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia, sive solemni iudicio, sive ordinario et universali magisterio, tanquam divinitus revelata credenda proponuntur.* Expressius adhuc legitur a Pio IX scriptum [3]: *Namque, etiamsi ageretur de illa subiectione quae fidei divinae actu est praestanda, limitanda tamen non esset ad ea quae expressis oecumenicorum Conciliorum aut Romanorum Pontificum huiusque Sedis decretis definita sunt, sed ad ea quoque extendenda, quae ordinario totius Ecclesiae per orbem dispersae magisterio, tanquam divinitus revelata traduntur, ideoque universali et constanti consensu a catholicis theologis ad fidem pertinere retinentur* [4].

[1] Conclusionem hanc suscepit et defendit E.mus Card. Gul. Van Rossum, in op. de Essentia sacramenti Ordinis. Disquisitio historico-theologica. Herder, 1914, pp. 196, 197. Hanc vero sententiam R. P. Pesch. S. I., tanquam moraliter certam vult habendam. De Ord., t. VII. prop. 48. — [2] Sess. III, Const., de fide cathol. c. 3, D.-B., n. 1792. — [3] Epist. *Tuas libenter*, ad Archiep. Monaco-Frising., 21 Dec., 1863. D.-B., n. 1683. — [4] Cf. tr. n. de Sacra Doctrina, Quaest. II, art. 3, n. 20, p. 148.

21. — Scopus decreti Eugenii IV. — Ceterum, si quis sedulo attendat ad rationem praedicti decreti Eugenii IV, facile deprehendet illud hoc fine pro Armenis confectum fuisse, ut tutam illi normam haberent de iis quae in sacramentorum administratione, et signanter in ordinis collatione, de necessitate observari oportet; ideoque decretum illud disciplinare simul et dogmaticum formaliter fuisse, a quo proinde omnis circa fidem error exulare debet.

Ad quod intelligendum, recolendum est Armenos, cum profiterentur se, in sua liturgia, ritibus Romanae Ecclesiae propinquissime adhaerere, ideo instrui debuisse de modo quo sacramentum ordinationis ab ipsis esset conferendum, ne ab uniformitate cum latinis hac in re discreparent; quin inde deduci debeat mentem Eugenii IV fuisse ut doceret, aut manuum impositionem ad essentiam sacramenti ordinationis non pertinere, de hoc namque agere ad eius scopum minime pertinebat, aut in sola instrumentorum traditione sacram ordinationem essentialiter consistere.

Cum enim satis evidens sit, Eugenium IV, in praefata instructione Armenis tradita, noluisse pro Latinis essentialem ritum in collatione ordinis adhibitum mutare, aut novum, veteri deinceps subrogandum, condere, necesse est ut concludatur, illum de eo locutum fuisse, quod specialiter optabat ab Armenis fieri, ut illi se Ecclesiae latinae moribus accommodarent, ac rituum uniformitate firmius eidem adhaererent [1].

[1] Cf. Bellarmin., De Sacr. Ord., l. I, cap. IX, in fine, qui duas hac super re assignat rationes: primam, quia Eugenius intendebat assignare pro materia rem aliquam subsistentem, qualis est porrectio calicis et patenae, alteram, quia Armeni qui ab eo instruebantur, fortasse in hac re errabant et non in alia. Ceterum, quae retulit Eugenius IV in Instruct. Armenorum, desumpta sunt ad verbum ex Opusc. V *de Sacramentis*. Cf. etiam Bened. XIV, de Synodo dioeces., l. VIII, c. 10, n. 8. — Cf. cit. opus E.mi Card. Van Rossum, *De essentia sacramenti Ordinis*, etc., cuius thesis ample discussa est in pluribus ephemeridibus, quas inter iuvat recensere, *Recherches de science religieuse*, Paris, 10e Année, Nos. 1-2. Janvier-Mars, 1919. Videri etiam potest *Revue pratique d'Apologétique*, t. XIX, Dec., 1914; P. de Guibert, S. I., *Bulletin de litt. ecclés.*, 1919, passim; P. Galtier, S. I.,

22. — Quaestio I. — *Utrum instrumentorum usus, in sacra ordinatione, pertineat ad essentiam, vel solum ad integritatem materiae?*

Resp. Non facile est huic quaesito responsionem dare, militantibus pro utraque parte rationibus. Enimvero, si consideretur quod usus instrumentorum inservit determinando ritui impositionis manuum illumque ad particularem effectum pertrahendo, videri poterit ad ipsam sacrae ordinationis essentiam requiri: ex adverso vero, cum manuum impositio suam determinationem, saltem quantum ad sacramenti validitatem attinet, ex forma recipiat, hinc sufficere videbitur si dicatur, instrumentorum usum ad integritatem solummodo materiae pertinere. Et haec secunda sententia, meliori salvo iudicio, nobis probabilior videtur, maxime ob superius relata verba Eugenii IV: si enim Pontifex instrumentorum traditionem tanquam essentialem materiam habuisset, profecto debuisset impositionem etiam manuum recensere, quae apud omnes tanquam essentialis materia habetur: secus non solum Armenos in errorem induxisset, sed etiam doctrinam usque ad illud tempus receptam subvertisset, intelligi dando solam instrumentorum traditionem ad essentiam sacrae ordinationis pertinere, cum contra, in Ecclesia, tum orientali, tum occidentali, semper retentum fuerit manuum impositionem essentialem materiam constituere.

23. — Doctrina S. Thomae. — Iuvat autem hic inquirere quid de hac quaestione tenuerit angelicus Doctor. In tractatu *de poenitentia* [1], quaerens utrum impositio manuum sacerdotis requiratur in illo sacramento, advertit quod impositio manuum, in sacramentis Ecclesiae, fit ad designandum copiosum effectum gratiae, quo illi, quibus manus imponuntur, quodammodo per quamdam similitudinem continuantur ministris, in quibus copia gratiae esse debet; et ideo manus

---

Diction. theol.-cath., art. *Imposition des mains*, col. 1408, seq., R. P. Hugon, O. P., Tr. de Ordine, art. 2, p. 509. — At non omnibus quae in praecit. articulis leguntur suffragium ferimus.

[1] 3. Quaest. LXXXIV, art. 4. Cf. quod scripsimus in illo tr., l. cit., p. 61.

impositio fit in sacramento confirmationis, in quo confertur plenitudo Spiritus Sancti, et in sacramento ordinis, in quo confertur quaedam excellentia potestatis in divinis mysteriis. Ex quo citra omnem dubietatis aleam apparet, S. Thomam tenuisse manuum impositionem esse de essentia ordinationis. Quibus cohaeret quod tradit S. Bonaventura [1]: *In ordinibus sacris, quoniam datur ibi nobilis potestas et excellens, fit manus impositio, non tantum instrumenti traditio: quoniam manus est organum organorum, in quo scilicet principalius residet potestas operandi: unde sic ordinabant in Ecclesia primitiva, ubi nonnisi isti duo ordines explicite erant.*

At, instrumentorum traditio adhibetur, ait idem S. Thomas [2], *magis ad demonstrandam potestatem quae traditur, quam ad potestatem causandam*, quod sibivult, porrectionem instrumentorum ordinatam esse ad clariorem declarationem potestatis quae confertur per impositionem manuum, seu, ut dicebamus, ad determinandam significationem impositionis manuum episcopi.

24. — Explicatur. – Ad quod melius intelligendum, distinguenda sunt, inter sacramenta, primo, aliquod sacramentum cuius effectus proprius percipitur ex aliqua operatione eius qui ad sacramentum accedit, qualis scilicet est poenitentia; secundo, illa sacramenta quorum effectus percipitur ex extrinseco [3], scilicet ex extrinseca materia: inter quae rursus est differentia: est enim aliquod sacramentum quod consistit in consecratione materiae, ut est Eucharistia, aliud vere quod consistit in usu materiae, ut baptismus; et hic iterum differentia invenitur: nam quod confertur, verbi gratia, in baptismo, derivatur tantum a Deo, non a ministro qui solum materiam sanctificat; in ordine vero, spiritualis potestas, quae in hoc sacramento traditur, derivatur etiam ab eo qui sacramentum confert, et ideo ad hanc de-

[1] 4, Dist. XXIV, P. II, art. 1, quaest. IV. — [2] S., Quaest. XXXIV, art. 5. — [3] Attende, lector, in fere omnibus editionibus Summae theologicae, in S., quaest. XXXIV, art. 5, corp., erronee haberi ly *ex intrinseco*, cum legi debeat: *sed omnino ex extrinseco adveniat*, ut etiam patet ex Commentario in Mag. Sent., 4, Dist., Quaest. I,art. 1, sol. V, ex quo loco articulus ille ad verbum desumptus est.

rivationem significandam, traduntur instrumenta; unde essentialis materia consistit in manuum impositione, cui rite adiungitur instrumentorum usus vel traditio, quasi ad illam materiam adintegrandam [1].

25. — Doctorum hac de re sententia. — Ceterum, quod haec fuerit communiter sententia Doctorum mediae aetatis, patet plures ex eis enumerando. Hugo Victorinus ait [2]: *Accipiunt calicem cum vino et patenam cum hostiis de manu episcopi, quatenus his instrumentis potestatem se accepisse agnoscant, placabiles Deo hostias offerendi.* Similiter Petrus Lombardus scribit [3]: *Accipiunt etiam calicem cum hostiis, ut per hoc sciant se accepisse potestatem placabiles Deo hostias offerendi* [4].

26. — Quaestio II. — *Quid retinendum sit de manuum impositione quae fit post communionem, cum dicitur ab Episcopo:* ACCIPE SPIRITUM SANCTUM, etc.?

Resp. Haec manuum impositio ad maiorem collatae potestatis declarationem, minime vero ad essentiam sacrae ordinationis pertinet, cum iam supponat hominem constitutum sacerdotem; aliter non potuisset in ipsa missa ordinationis valide consecrare cum episcopo corpus et sanguinem Domini nostri. Ceterum, postrema haec impositio nec apud Graecos reperitur, nec per plura saecula in usu fuit apud Latinos; et rationale est dicere quod potestas principalis in corpus Christi verum secumfert de necessitate, saltem in radice, subsequentem potestatem in Corpus Christi mysticum, tanquam rem ab una characteris impressione resultantem.

[1] Quod habet S. Thomas in resp. ad 3[m], scilicet: *Ipsa verba formae videntur ostendere quod tactus materiae sit de essentia sacramenti, quia dicitur*: ACCIPE HOC VEL ILLUD, sicut multa quae in Commentario in Magistrum ponuntur, non est accipiendum tanquam categorice dictum, sed dubitativo modo: id quippe quod ibidem categorice ponitur, est porrectio instrumentorum: quae quidem esse potest vel adhibitiva, vel exhibitiva, ut diximus. — [2] L. II, de Sacramentis, P. III, cap. 12. — [3] L. IV, Dist. XXIV. — [4] Cf. Durandus, l. II, Rational., cc. 10, seq. Cf. Martène, DE ANTIQUIS ECCLESIAE RITIBUS, l. I, P. II, c. VIII, art. 7, § 17.

Unde illa ultima manus impositio cum relativa forma explicite denotat id quod implicite significatur in manuum impositione, coniuncta cum instrumentorum porrectione [1].

27. — Materia propria diaconatus. — Quod ad diaconatum attinet, non aliud nobis proportionaliter decernendum videtur, ab eo quod de presbyteratu disseruimus: videlicet, illius materiam essentialem esse impositionem manus episcopi, cui coniungitur traditio vel exhibitiol ibri Evangeliorum, quatenus videlicet haec exhibitio vel traditio, ordinatur ad determinandam illam manus impositionem, ad diaconalem potestatem significandam, cui rei indicium est, quod orationes quas Ecclesia, usque ad praedictam libri Evangeliorum traditionem recitat, innuunt candidatum adhuc esse potestate diaconali donandum [2]. At manuum impositionem illam, ex mente Ecclesiae, essentialem dicimus, quae clauditur in porrectione libri evangeliorum, quemadmodum diximus, de porrectione patenae et calicis pro presbyteri ordinatione.

28. — Materia propria ordinum inferiorum. — Agentes modo de materia propria ordinum inferiorum, communis theologorum sententia est, illam consistere, apud Latinos quidem, in traditione seu porrectione instrumentorum, cui correspondet, tanquam forma, illa oratio, seu formula quae in instrumentorum porrectione profertur. — Ubi opportuna est S. Bonaventurae animadversio, videlicet manuum impositionem, in sacramento ordinis conferendo, etiam pro ordinibus minoribus, locum utique habere, *scilicet collationem alicuius instrumenti, in quo est protensio manus, et sic signatio collationis potestatis* [3]. Quocirca, iuxta hanc sententiam, ordines minores

[1] Quae cum ita sint, rite concludit Dr. Leon. Atzberger, *Handbuch der katholischen Dogmatik*, von M. I. Scheeben, IV B, n. 675, Freiburg im B., 1901: *Der Presbyteratscharacter ein einziger* (ist) *und nicht ein doppelter mit Rücksicht auf die dem Priester verliehene Gewalt über den wirklichen und mystischen Leib Christi, wie manche Theologen gemeint haben.* — [2] Cf. Pontif. Rom., de Ordinatione Diaconi. — [3] 4. Dist. XXIV, P. II, art. 1, quaest. IV. n. 1 t. IV, p. 628. Hanc sententiam ponit etiam doctus Petrus Arcudius, qui Romae obiit circa annum 1634, in opere *de Concordia Ecclesiae occidentalis et orientalis in septem sacramentorum administratione.* Paris., 1619.

dici debent, non secus ac maiores, collata manuum impositione, cum episcopus, dum instrumenta ordinando confert, manus quodammodo imponit, quo modo de chrismatione in confirmatione diximus [1].

29. — **Scholia.** — I. Ad pleniorem huius rei intelligentiam, advertendum est, manuum impositionem in tantum haberi tanquam materiam propriam ordinationis, ut sic, in quantum significat collationem potestatis ministerialis: atqui hoc aeque significatur, sive manus super caput ordinandi protendatur, sive ad ordinandum extendatur in collatione alicuius instrumenti.

II. Ulterius vero adnotandum venit, in ordinibus hierarchicis, scilicet in presbyteratu et diaconatu, cum maior tradatur dignitas et potestas, hinc ad hoc significandum, specialis praemittitur manus impositio, quam, propter sui solemnitatem, recensitam videmus etiam in antiquis libris liturgicis [2].

III. Praeterea, erraret certe qui solemnem hanc manuum impositionem, quae ordinationem formaliter praecedit, mere accessoriam aut accidentalem appellaret: licet enim ad essentiam sacramenti non pertineat, ut diximus, est tamen de illius integritate, unde omissa suppleri deberet.

IV. Quidquid tandem de hac re sentiatur, cavendum est ne, cum quibusdam recentibus scriptoribus, dicatur Romanum Pontificem sola sua voluntate aliquem efficere posse vere ostiarium, lectorem, etc. [3]: enimvero sive ordines minores considerentur tanquam sacramenta, sive tanquam sacramentalia habeantur, absque ritu externo nequeunt subsistere; unde non bene dicitur [4], modum assumendi ad tale ministerium penitus pendere ab arbitrio supremi legislatoris.

V. De ordinibus minoribus, si quidem considerentur prout in diaconatu virtualiter includuntur, idipsum decerni debet,

[1] Tract. n. de SACR. CONFIRM., Art. 2, n. 18, p. 327. — [2] Cf. S. Bonav., 4, Dist. XXIV, P. II, art. 1, Quaest. IV. — [3] Ita Ed. GÉNICOT, tr. XVII de Ordine, n. 426; qui citat LEHMKUL, II, n. 586 et BALLERINI, P., n. 10. — [4] Cum praefato auctore GÉNICOT, l. c.

quod de ipsomet diaconatu diximus; at, si singillatim considerentur, cum Ecclesia, pro potestate sibi a Deo collata et sub Spiritus Sancti directione, hos ordines actu evolverit, potuit etiam eorum materiam et formam determinare, et quidem non uno modo, sed attenta locorum varietate; ita tamen ut haec semel statuta amplius non possit, absque Dei consilio, mutari [1].

Articulus II. — *Utrum sacramentum ordinis habeat determinatam formam.*

1. — Forma ostiariatus, lectoratus et exorcistatus. — Ut statim ab ordinibus inferioribus incipiamus, dicendum est, formam *ostiariatus* esse verba ab episcopo prolata in traditione clavium, nempe: *Sic age, quasi Deo reddituras rationem pro his rebus, quae his clavibus recluduntur.* — Forma *lectoratus* sunt verba quae episcopus profert, dum tradit librum continentem Sacras Scripturas: *Accipe, et esto verbi Dei relator: habiturus, si fideliter et utiliter officium tuum impleveris, partem cum iis qui verbum Dei bene ministraverunt ab initio.* — Forma *exorcistatus* sunt verba ab episcopo prolata in porrectione libri exorcismorum, nempe: *Accipe et commenda memoriae, et habe potestatem manus imponendi super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos.*

2. — Forma acolythatus et subdiaconatus. — Pro acolythatu vero, et pariter pro subdiaconatu, duplex exhibetur forma: nimirum, pro acolythatu, primo, habentur verba quae ab episcopo proferuntur in traditione candelabri cum candela extincta, videlicet: *Accipe ceroferarium cum cereo, ut scias te ad accendenda Ecclesiae lumina mancipari, in nomine Domini, Amen;* secundo, sunt verba ab episcopo prolata in traditione urceoli vacui, videlicet: *Accipe urceolos, ad suggerendum vinum et aquam in Eucharistiam sanguinis Christi, in nomine Domini, Amen.* — Pariter forma *subdiaconatus* sunt verba, quae proferuntur ab episcopo dum tradit ordinando calicem cum patena: *Vide cuius ministerium tibi traditur;*

[1] Cf. supra, Quaest. I, art. 5, n. 17, p. 163.

ideo te admoneo, ut ita te exhibeas, ut Deo placere possit; dum vero tradit librum epistolarum, ait: *Accipe librum epistolarum. et habe potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei, tam pro vivis. quam pro defunctis. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.*

3. — Advertenda. — I. Hic vero notari debet, primo quod, in hisce omnibus ordinationibus, instrumentorum porrectio, quae ponitur illorum materia, haberi simul potest, ut diximus, tanquam manus impositio seu elevatio, quemadmodum, in confirmatione, manus impositio, quae ad sacramenti validitatem requiritur, est illa quae unctioni seu chrismationi connectitur [1].

II. Secundo, relate ad subdiaconatum, dici potest posteriorem formam esse de essentia sacramenti, priorem vero de integritate: quod probatur, tum ex hoc quod, prolata priori forma, candidati adhuc vocantur ordinandi, tum ex hoc quod sola verba posterioris formae designant formalem potestatis traditionem: unde prior forma magis pertinet ad designationem tradendae potestatis, ut mox de priori diaconatus forma dicetur.

4. — Forma sacri ordinis diaconatus. — Qnod ad formam ordinis diaconatus attinet, primo loco ob oculos habenda sunt verba quae recitat Pontifex, anteqnam manus super ordinandos imponat; videlicet: *Super hos famulos tuos, quaesumus. Domine, placatus intende, quos tuis sacris altaribus servituros in officium diaconatus suppliciter dedicamus,* etc. Post quod, manum dexteram singulis ordinandis imponens, ait Pontifex: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, et ad resistendum diabolo et tentationibus eius, in nomine Domini.* Quae verba, maxime si considerentur quatenus per praecedentia verba determinationem accipiunt, probabilius haberi possunt tanquam praeparatoria ad alia, quibus ritus sacrae ordinationis essentialiter completur, quae sunt: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Domini. Amen.* — Enimvero verba haec sufficienter exprimunt tum subiectum sacramenti: *Accipe,* etc.;

[1] Art. praec., n. 24, V.

tum effectum sacramentalem, scilicet gratiam Spiritus Sancti ad congruenter ministrandum in servitio altarium; tum denique causam principaliter agentem: *In nomine Domini*, licet huius causae mentio in hoc sacramento conficiendo necessaria non sit, ut dicemus [1]. Quapropter priora verba, quae videlicet concomitantur manus impositionem, potius pertinent ad ostendendum qualis potestas sit clerico mox tradenda, quam ad illam potestatem actu transmittendam.

5. — Verba in collatione sacri ordinis presbyteratus adhibita. – Quod ad formam sacri ordinis presbyteratus attinet, advertendum est ipsam, ex Pontificali Romano, non adeo manifeste prodire, sicut formas aliorum ordinum: unde diversi in diversas abiere sententias. Ut autem quid hac super re probabilius tenendum sit appareat, praemittere iuvabit varias orationes quas Pontifex in presbyteri ordinatione profert.

Imprimis, cum Pontifex, et cum eo praesentes sacerdotes, manum dexteram extensam super ordinandos tenet, ita adstantes ad orandum hortatur: *Oremus, fratres carissimi. Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos, quos ad presbyterii munus elegit, caelestia dona multiplicet, et quod eius dignatione suscipiunt, ipsius consequantur auxilio.* — Mox Pontifex, absque manuum extensione, precationem fundit, Deum exorans: *Super hos famulos tuos benedictionem Sancti Spiritus et gratiae sacerdotalis infunde virtutem; ut quos tuae pietatis aspectibus offerimus consecrandos, perpetua muneris tui largitate prosequaris.* Prosequitur vero Pontifex oratio nem in modum praefationis, Deum sit deprecans: *Da, quaesumus, omnipotens Pater, in hos famulos tuos presbyterii dignitatem*, etc. — Postea praefatione completa, necnon traditis vestibus sacerdotalibus, quibus ordinandi certa sub formula induuntur, sequentem subiungit episcopus orationem: *Super hos famulos tuos, quos ad presbyterii honorem dedicamus, munus tuae benedictionis infunde*, etc. — Mox ungens manus singulorum, dicit: *Consecrare et sanctificare digneris, Domine, manus istas,... ut quaecumque benedixerint, benedicantur*, etc. — Postea, tradens singulis instrumenta, scilicet calicem cum

[1] In fine art., n. 8, notanda.

vino et aqua, et patenam superpositam cum hostia, Pontifex ait: *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo missasque celebrare tam pro vivis. quam pro defunctis. In nomine Domini. Amen.* — Denique sub finem missae, episcopus ambas manus capitibus singulorum imponens, ait: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis,* etc.

6. — Quaedam ex verbis praedictis habenda sint tanquam forma presbyteratus. — Ut autem appareat quaenam, ex recitatis verbis, habenda sint tanquam forma sacri ordinis presbyteratus, per exclusionem procedere debemus. Imprimis, clarum est priora verba, exhortationem ad populum continentia, non posse haberi tanquam formam huius ordinis, cum nihil nisi exhortationem ad populum contineant. — Pariter, secunda formula, simplicem deprecationem, sine manus extensione, continens, non videtur per se sufficere ad perficiendum sacramentum; licet enim subiectum sacramenti, necnon effectum proprium et causam principalem significet, tamen cum haec non coniungantur impositioni manuum, potius tanquam praeparatoria ad formam habenda sunt, quam ut constituentia ipsam formam. — Idipsum dicendum est de verbis in praefatione contentis, quae licet antiquissima sint, et sacerdotii dignitatem exprimant, tamen cum manuum impositione minime coniunguntur.

Igitur, non restat nisi ut dicatur, verba illa, quae traditionem instrumentorum concomitantur, quatenus videlicet non solum determinant illam manus impositionem quae antea fuit inchoata, sed maxime quatenus manus impositionem, ut diximus, important, et simul specificant traditionem instrumentorum, efficacia esse ad sacramentum formaliter conficiendum. Igitur dicendum est quod, sicut oratio illa, per quam episcopus invocat Spiritum Sanctum in eos super quos manum detinet extensam, scilicet: *Oremus, fratres charissimi, Deum Patrem omnipoientem,* etc., habenda est tanquam praeparatoria ad ipsam formam. ita verba traditionem instrumentorum concomitantia constituunt veram formam huius sacramenti, quatenus haec traditio instrumentorum impositionem manuum habet adnexam, quae quidem cum praevia manuum impositione morali vinculo consociata manet.

Quae cum ita sint, ultimo dicendum est, verba, in unctione manuum et sub finem missae a Pontifice recitata, tanquam insufficientia haberi ad formam constituendam. — Confirmari autem poterit haec veritas ex praxi Ecclesiae graecae, penes quam, in ritu pro ordinatione presbyteri adhibito, nulla fit mentio traditae potestatis clavium: ex quo merito infertur, hanc in potestate supra corpus Christi verum sat implicite contineri.

7. — Ritus in consecratione electi in episcopum. — Cum episcopatus non sit, in ratione sacramenti, ordo proprie dictus, scilicet ab aliis ordinibus distinctus, sed sit complementum seu plenitudo sacerdotii, hinc posuerunt aliqui, in illius collatione, aliam materiam non esse distinctam a materia presbyteratus, scilicet impositionem manuum episcopi consecratoris et assistentium episcoporum, nec etiam aliam formam inveniri, nisi verba: *Accipe Spiritum Sanctum*, quae illi proferunt, dum ambabus manibus caput consecrandi tangunt: quibus verbis, sine limitatione prolatis, aiunt, significatur potestatem ordinis in tota sua plenitudine electo conferri, quin tamen per ipsa peculiaris potestas, tanquam novus character, presbytero superaddatur.

Attamen, si consideremus quod character episcopalis, etsi non alius substantialiter a charactere presbyterali, distinguitur tamen ab ipso per ampliationem et extensionem ad aliquas consecrationes ex parte corporis mystici, hinc rectius dicetur episcopatui quoque suam esse propriam materiam, suam formam: hoc videlicet pacto, ut illa episcopalium manuum impositio, cum invocatione: *Accipe Spiritum Sanctum*. rationem habeat praeparationis et sic ad integritatem ritus pertineat: essentia vero reponatur, ex parte quidem materiae, in impositione manuum episcopi consecratoris, cum impositione libri evangeliorum, cui accedit, apud Latinos, etiam unctio capitis et manuum electi; ex parte vero formae, in verbis ab episcopo, dum caput et manus electi inungit prolatis, ita tamen ut prior unctio, scilicet capitis, magis quam altera, ad ritus essentiam pertineat: unctio autem, ut patet, coniunctam habet manus impositionem.

Graeci autem unctionem capitis et manuum non habent:

habent tamen impositionem libri evangeliorum cum impositione manus episcopi consecrantis: et haec quidem sufficere videntur: ratio autem cur apud Latinos unctionem capitis necessariam dicimus, est quia solum in forma quae hanc unctionem comitatur, mentio fit de pontificali dignitate, quae apud Graecos sat aperte significatur per verba quae episcopus consecrator pronuntiat, dum electo liber evangeliorum capiti impositus manet. Insuper, nonnisi post unctiones, electus, in Pontificali Romano, vocatur consecratus [1].

8. — Notanda. — Ad complementum doctrinae de forma sacramenti ordinis, sequentia, ex S. Thomae penu deprompta [2], notasse iuvabit.

I. Si comparetur sacramentum ordinis cum ceteris sacramentis, hoc in illo proprium invenitur, quod ordinatur ad effectus producendos, similes ipsi potestati per quam sacramentum ipsum dispensatur, quod in aliis sacramentis non invenitur; unde univocus est effectus cum sua causa: nimirum, cetera sacramenta ordinantur ad effectum analogicum, sicut baptismus ad remissionem culpae originalis, etc.; ordo vero ordinatur ad effectum similem univoce causae per quam producitur, qui effectus est character seu potestas ministerialis. Hac ergo de causa, in ceteris sacramentis recensetur expresse virtus divina, per invocationem Trinitatis, cui effectus sacramenti assimilatur; in hoc sacramento autem. haec virtus non necessario nominatur: unde in tribus minoribus ordinibus, scilicet ostiariatu, lectoratu et exorcistatu, haec virtus tacetur.

II. Hac quoque de causa, sacramentum hoc per modum imperativum confertur, in quantum videlicet potestas, quam recipit ordinandus, derivatur a potestate ordinantis; unde dicitur: *Sic age*, etc., vel: *Accipe*, etc., vel *Vide*, etc.

III. Denique, ex praedicta differentia hoc demum consequitur quod, in aliquo ordine conferendo, puta lectoratus, mentio fit de remuneratione, quam ordinandus ex fideli ministerio reportaturus est: sic enim dicitur: *Habiturus partem*,

[1] Cf. Pontif. Rom., De Consecr. electi in episc. — [2] S., Quaest. XXXIV, art. 4, ad 1um, 2^{m}, 3^{m}, 4^{m}.

si fideliter, etc.; cuius ratio est quod, ut ait S. Thomas [1], per hoc sacramentum confertur officium aliquod vel potestas aliquid faciendi, et ideo convenienter fit mentio remunerationis acquirendae, si fideliter administretur: in aliis sacramentis vero non confertur simile officium vel similis potestas ad agendum, et ideo in illis nulla remunerationis mentio fit. Ad alia igitur sacramenta suscipiens se habet velut passive quodammodo, quia illa recipit propter proprium statum perficiendum tantum, sed ad hoc sacramentum se habet quodammodo active, quia illud suscipit propter hierarchicas functiones in Ecclesia exercendas: unde quamvis alia eo ipso quod gratiam conferunt, ordinant hominem ad salutem, proprie tamen illum ad remunerationem non ordinant, sicut hoc sacramentum.

[1] Loco cit., ad 4m.

APPENDIX

MATERIA ET FORMA DIACONATUS PRESBYTERATUS ET EPISCOPATUS IN GRAECORUM LITURGIA.

Ut appareat quam cohaereant quae de materia et forma sacrae ordinationis penes Latinos dicta sunt, cum Orientalium, et signanter Graecorum, liturgia, quae longe maiorem habet extensionem, nonnulla hic subiiciemus de recepto apud eos ritu in collatione ordinum diaconatus et presbyteratus, necnon in episcopi consecratione.

1. — Materia et forma diaconatus penes Graecos. — Duo, in ritu quem subiicimus, sedulo attendenda sunt: primum, ordinandum diaconum sacram mensam, in qua sunt oblata, ter circumlustrare, et cum fuerit a Pontifice ter in capite signatus, frontem in sacra mensa applicare debere, nec antequam haec completa fuerint, Pontificem illius capiti dexteram imponere. Quoniam vero et in Praesanctificatis fieri potest diaconi ordinatio, non tamen ritus supradictus tunc prius completur, quam cum praesanctificata in sacra mensa deposita fuerint [1].

In sanctum tribunal, βῆμα, *inducunt* (duo diaconi diaconum ordinandum), *ter sanctam mensam circumlustrantes, et canentes:* SANCTI MARTYRES, EGREGIE DECERTANTES. *Mox ordinandus ad Pontificem accedens. ter ab eo in capite signatur, et eum zona discingi et mantile ab eo tolli Pontifex iubet. Deinde frontem in sancta mensa ordinandus applicat, dextrumque genu inflectit, et Archidiacono exclamante,* ATTENDAMUS, *Pontifex impositam Ordinandi capiti dexteram habens, exclamat:*

[1] Quae sequuntur depromuntur ex Εὐχολόγιον, sive Rituale Graecorum, ed. et illustr. a IACOBO GOAR, O. P. Venet., 1730, p. 208.

Ἡ θεία χάρις ἡ πάντοτε τὰ ἀσθενῆ θεραπεύουσα, καὶ τὰ ἐλλείποντα ἀναπληροῦσα, προχειρίζεται, τὸν δεῖνα τὸν εὐλαβέστατον ὑποδιάκονον, εἰς διάκονον, εὐξώμεθα οὖν ὑπὲρ αὐτοῦ, ἵνα ἔλθῃ ἐπ᾽αὐτὸν ἡ χάπις τοῦ παναγίου πνεύματος.

DIVINA GRATIA, QUAE SEMPER INFIRMA CURAT, ET EA QUAE DESUNT, ADIMPLET, PROMOVET N. PIISSIMUM SUBDIACONUM, IN DIACONUM: OREMUS PRO EO, UT VENIAT SUPER EUM GRATIA SANCTISSIMI SPIRITUS.

Et confestim dicitur ter: DOMINE MISERERE, *ab eis qui sunt intus et extra tribunal. Et Pontifex ter eius capite signato. et Diacono dicente,* DOMINUM PRECEMUR, *Pontifex impositam tenens dexteram, precatur hoc pacto:* DOMINUS DEUS NOSTER, etc.

2. — Materia et forma presbyteratus penes Graecos. — In ritu ordinationis presbyteri, quo graeci utuntur, observandum est, illum primo sacram mensam in qua sacra sunt mysteria, ter circumire; tum a Pontifice ter in capite obsignari, et frontem sacra mensa suffulcire.

Excipiunt (presbyterum ordinandum) *duo presbyteri, primus et secundus, et ter simul sanctam mensam circumeunt, cantantes:* SANCTI MARTYRES PRAECLARE PRAELIATI. *Sciendum vero, quod quando decantant illud,* SANCTI MARTYRES, *coram sancta mensa in throno Pontifex sedet. et in gyrum illam obambulant. Cum ante Pontificem transierint, inclinationem faciunt, et eius genu ordinandus exosculatur, ea parte qua ei pallium superponitur. Exurgente deinde pontifice, ad eum ordinandus accedit, et ter ab eo in capite cruce signatur: et frontem sacra mensa suffulciens, utrumque genu incurvat. Et Diacono exclamante:* ATTENDAMUS, *confestim Pontifex dextram manum eius capiti impositam tenens, exclamat:*

Ἡ θεία χάρις, ἡ πάντοτε τὰ ἀσθενῆ θεραπεύουσα καὶ τὰ ἐλλείποντα ἀνᾶπληροῦσα, προχειρίζεται τὸν δεῖνα, τὸν εὐλαβέστατον διάκονον, εἰς πρεσβύτερον· εὐξώμεθα οὖν ὑπὲρ αὐτοῦ, ἵνα ἔλθῃ ἐπ᾽αὐτὸν ἡ χάρις τοῦ παναγίου πνεύματος.

DIVINA GRATIA QUAE SEMPER INFIRMA CURAT, ET EA QUAE DESUNT ADIMPLET, PROMOVET N. DEVOTISSIMUM DIACONUM IN PRESBYTERUM: OREMUS PRO EO, UT VENIAT SUPER EUM SANCTISSIMI SPIRITUS GRATIA.

Et qui sunt in tribunali, ter DOMINE MISERERE *dicunt, et similiter cantores. Iterum itaque consignans eum Pontifex, et manum impositam tenens, dicente Diacono:* DOMINUM PRECEMUR, *orationem istam secreto recitat.*

DEUS PRINCIPIO ET FINE CARENS [1], etc.

3. — Ritus in consecratione episcopi penes Graecos. — Ex pluribus qui recensentur apud Graecos ritibus pro episcopi consecratione, quique se invicem complent, sequentem, cui maius accedere videtur suffragium, subnectimus [2], in quo sequentia observare datur: primo, electum, antequam ad eius consecrationem procedatur, in conspectu sacrae mensae poni; tum eidem evangelium super caput poni; dein ab episcopo consecratore manum consecrando imponi [3], dum ille verba recitat: *Divina gratia*, etc.; post quod iam electus vocatur ordinatus [4]; tunc cruces tres super caput ordinati facit Pontifex, impositaque manu ulterius super eum precatur.

Assumitur deinde a Pontifice ordinandus, et cum eis ad sanctum altare coram sancta mensa adducitur: et continuo genuflectit coram Pontificibus. Unus vero Pontificum, nimirum primus, sanctum Evangelium accipit, et confestim inversum in faciem. ponit super caput eius, illumque hinc et inde Pontifices tenent. Deinde omnibus audientibus dicit Pontifex:

Ψήφῳ καὶ δοκιμασίᾳ τῶν θεοφιλεστάτων ἱερέων καὶ κληρικῶν πόλεως τῆς δεῖνος. Ἡ θεία χάρις, ἡ πάντοτε τὰ ἀσθενῆ θεραπεύουσα, καὶ τὰ ἐλλείποντα ἀναπληροῦσα προχειρίζεταί σε τὸν θεοφιλέλατον ἱερέα καὶ Ὑποψήφιον, τὸν δεῖνα, ἐπίσκοπον πόλεως, τῆς δε καὶ πρόεδρον τῆς θεοσώστου πόλεως ὃ· εὐξώμεθα οὖν ὑπὲρ αὐτοῦ, ἵνα ἔλθῃ ἐπ᾽αὐτὸν ἡ χάρις τοῦ παναγίου πνεύματος.

SUFFRAGIIS ET APPROBATIONE DEO AMANTISSIMORUM SACERDOTUM CIVITATIS N. DIVINA GRATIA, QUAE INFIRMA SEMPER CURAT, ET EA QUAE DESUNT ADIMPLET, PROMOVET TE DEO AMANTISSIMUM SACERDOTEM ET ELECTUM N. EPISCOPUM ET PRAEPOSITUM A DEO CUSTODIAE CIVITATIS N. PRECEMUR ITAQUE PRO EO UT VENIAT SUPER EUM GRATIA SANCTI SPIRITUS.

[1] Ibid, p. 242. — [2] Barberini S. Marci, apud Goar, p. 256. — [3] S. Marci, p. 251. — [4] Ibid.

Omnibus audientibus, legit (Pontifex), habens manum super ordinandi caput [1]; *et dicunt Pontifices ter:* DOMINE MISERERE. *Pontifices autem Evangelium tenent, et Pontifex, qui consecrat, super caput ordinati tres cruces facit, et ei benedicit:* IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI: NUNC ET SEMPER, ET IN SAECULA SAECULORUM. *Et imposita manu super caput eius, sic precatur:* DOMINATOR DOMINE DEUS NOSTER [2], *etc.*

[1] Ibid., p. 251. — [2] Ibid., p. 251.

QUAESTIO TERTIA.

(XXV, 2-7).

DE MINISTRO SACRAMENTI ORDINIS.

PROLOGUS.

1. — Ratio quaestionis. — Expleta modo quaestione de natura seu quidditate constitutiva sacramenti ordinis, sequitur ut de illius ministro tractatio instituatur. In quo statim apparet differentia inter sacerdotium novae Legis et sacerdotium veteris Legis: non enim voluit Christus ut praecellens sacerdotii sui dignitas uni familiae aut tribui esset affixa, in qua per generationem carnalem traduceretur; sed decrevit ut ministri sui, personali consecratione, singulis vicibus nomine suo iteranda, formaliter deputarentur, quatenus ab Apostolis, quos ipsemet consecraverat, ininterrupta sacerdotum serie ordinatim descenderent. — Quinam illi sint, ad quos spectat ministros novae Legis instituere, et quanam sint praediti potestate, in praesenti quaestione investigabitur.

2. — Dignitas, excellentia et sanctitas ministri sacrae ordinationis. — Qua in re, ob oculos habere iuvabit sequentia S. Pauli verba[1]: *Habentes... pontificem magnum, qui penetravit caelos, Iesum Filium Dei:* quibus verbis, tum dignitas, tum excellentia, tum sanctitas illius, ad quem pertinet huius sacramenti dispensatio, pulcre commendantur. — Dignitas quidem, cum ab ipso Christo, Pontifice summo, episcopus, qui est huius sacramenti minister ordinarius, virtutem derivet alios procreandi ministros, quasi particeps fecundae Redemptoris nostri paternitatis; excellentia, cum ad episcopum pertineat cultus divini rationem, qui in Eucharistia centrum obtinet, tueri et perpetuare, ex qua habet homo ut caelos post Christum penetrare valeat; sanctitas, cum minister sacramenti debeat conformari non tantum ipsi

[1] Hebr., IV, 14.

sacramento, quod est res sacra, sed etiam auctori sacramenti: unde imago sanctitatis Christi specialiter refulgere debet in episcopo, quem munus ipsi concreditum vere facit alterum Christum. Quapropter S. Paulus, dum Christi sacerdotium supra sacerdotium aaronicum extollere non desinit, scribens ad Timotheum et Titum episcopos et sibi dilectos discipulos, illos sedulo monet, qualis in episcopo debeat vigere sanctitas, ut digne munere suo fungatur.

3. — Verba Dionysii Cartusiani. — *Quamvis episcopatus sit dignitas magna,* ait Dionysius Cartusianus [1], *habet tamen summum laborem et maximam sollicitudinem sibi annexam, ita ut potius appelletur opus, quam dignitas. Et si quis episcopatum licite cupit, non propter dignitatem, sed propter administrationem eum cupit, optans prodesse, non praeesse. Denique nomen episcopi proprie sumptum significat opus, non dignitatem: dicitur enim ab* ἐπί, *quod est* SUPRA, *et* σκοπός, INTENTIO, *quasi saluti gregis superintendens.* — Idem scriptor, commentans illud [2]: *Oculi tui sicut piscinae in Hesebon,* ait [3]: *Per oculos Ecclesiae intelliguntur praelati, quos Deus dedit speculatores domui suae: qui habent seipsos subditosque dirigere, atque de necessariis providere... Claritas sapientiae, lumen copiosum intelligentiae, humor compunctionis, pretiositas sanctae et exemplaris conversationis abundare debent in praelatis Ecclesiae, praesertim in episcopis ceterisque maioribus.*

4. — Ordo quaestionis. — Porro, minister conferens sacramentum ordinis dupliciter potest considerari: scilicet, vel absolute (1-2), et quidem, tum ordinarie (1), tum extraordinarie (2), vel secundum quod per haeresim aut schisma est ab Ecclesiae unitate praecisus (3).



[1] Comment. in 1 epist. S. Pauli ad Tim., artic. 3, t. XIII, p. 418. — [2] Cant., VII, 4. — [3] Comment. in h. l., t. VII, p. 418.

Quocirca tria in hac quaestione sunt inquirenda.

Primo. Utrum episcopus solus sit ordinarius minister sacramenti ordinis.

Secundo. Utrum simplex presbyter possit esse minister extrordinarius sacramenti ordinis.

Tertio. Utrum haeretici aliique ab Ecclesiae unitate praecisi possint ordines conferre.

Articulus I. — *Utrum episcopus solus sit ordinarius minister sacramenti ordinis.*

1. — **Minister ordinarius et minister extraordinarius.** — Ordinarius dicitur alicuius sacramenti minister, qui potestatem habet illud sacramentum administrandi ex virtute officii quod iure possidet; extraordinarius autem, qui illam potestatem ratione ordinationis, vel ex alio titulo possidens, illam tamen nonnisi ex superioris mandato aut commissione exercere potest. Sic episcopus, verbi gratia, est minister ordinarius sacramenti confirmationis, presbyter vero minister extraordinarius: ubi adhuc sedulo retinendum occurrit quod alibi exposuimus [1], alium esse ministrum extraordinarium, alium vero delegatum: ille quippe per se et nomine proprio, hic vero per alium, et quidem huius nomine, potestatem exercet.

2. — PROP. — **Minister ordinarius sacramenti ordinis est solus episcopus consecratus.**

3. — **Notandum.** — Dicimus, *episcopus consecratus*, ad distinctionem *electi*, qui etsi hoc ipso quod eligitur, iurisdictionem ordinariam acquirat, non tamen gradum ordinationis episcopalis obtinet sine consecratione. Sensus igitur propositionis est, soli episcopo, non tantum ratione officii, sed maxime vi suae consecrationis, competere ius ordines conferendi.

4. — **Auctoritas.** — Sic autem intellecta, propositio est de fide, contenta in sequenti canone Concilii Tridentini [2]:

[1] Cf. quae scripsimus in tr. de sacramento Confirmationis. art. 11, Dissert. spec., § I, n. 2, p. 384. — [2] Sess. XXIII, can. 7.

Si quis dixerit, episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem; vel ordines ab ipsis collatos, sine populi vel potestatis saecularis consensu aut vocatione, irritos esse A. S.

5. — Sacra Scriptura. — Suaderi autem haec veritas potest, illis omnibus Sacrae Scripturae locis, ubi constanter exhibentur ordinationes sacrae vel ab Apostolis, vel ab illis perfectae, qui in dignitate episcopali essent constituti. Et quidem, imprimis, Christus Dominus, summus sacerdos, Apostolos suos ipsemet sacerdotes instituit; dein Apostoli, septem diaconos a multitudine electos, perhibentur ordinasse [1]; rursus, sancti Paulus et Barnabas presbyteros per ecclesias constituerunt [2]; idipsum deprehenditur praestitisse ipsemet S. Paulus [3], cum testatur Timotheum manuum suarum impositione ordinatum; insuper, idem Apostolus tum Timotheo [4], tum Tito [5], mandat, quibusnam manus imponere et ordines conferre debeant.

6. — Traditio. — Nec minus rem nostram conficiunt quae ex constanti traditione prodeunt testimonia. — In *Constitutionibus Apostolorum* legitur [6]: *Episcopus a duobus vel tribus episcopis ordinetur, presbyter ab uno episcopo, ac diaconus et reliqui clerici*, ἐπίσκοπος τοίνυν ὑπὸ ἐπισκόπων χειροτονείσθω δύο ἢ τριῶν, πρεσβύτερος ὑπὸ ἑνὸς ἐπισκόπου καὶ διάκονος καὶ οἱ λοιποὶ κληρικοί. — Ad hoc pertinet quod S. Athanasius Ischiram, accusatorem suum, ideo sacerdotem esse negabat, quod non ab episcopo, sed a simplice sacerdote Collutho ordinatus fuerat [7]. Huc etiam spectat quod de Novato refert Eusebius [8], qui cum romanum ambiret episcopatum, sollicite episcopos circumvenire nitebatur, a quibus episcopalem ipse perciperet ordinationem. Adeo vel ipsis haereticis, inde a saeculo tertio, persuasio inerat, episcopum nonnisi ab episcopo posse institui.

[1] Act., VI, 6. — [2] Ibid., XIV, 22. — [3] 1 Tim., IV, 14; 2 Ep., I, 6. — [4] 1 Ep., III, 2-8. — [5] I, 5. — [6] Can. Apost. VIII, 47; Kirch, 624. — [7] Apolog. contra Arian., n. 12. Ed. Maur., t. I. P. I. p. 134. — [8] Hist. Eccles., l. VI, c. 43.

His addi potest expressum S. Epiphanii testimonium, qui adversus Aërium scribens, praeeminentiam episcopi supra presbyterum ex hoc capite demonstrat. *Ordo.* ait [1], *episcoporum ad gignendos patres praecipue pertinet : huius enim est patrum in Ecclesia propagatio. Alter* (scilicet *presbyteratus*), *cum patres non possit, filios Ecclesiae lotionis regeneratione producit, non tamen patres aut magistros. Quinam vero fieri potest, ut is presbyterum constituat, ad quem creandum, manuum imponendarum ius nullus habeat? Aut quomodo presbyter episcopo dici potest aequalis? Verum Aërium istum nimia quaedam procacitas et aemulatio decepit.* — Celebre quoque est S. Hieronymi effatum [2]: *Quid facit, excepta ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat? — Sola namque ordinatione,* subdit S. Ioannes Chrysostomus [3], *superiores* (episcopi) *sunt atque hinc tantum videntur presbyteris praestare.*

7. — Confirmatur. — Argumento ex traditione deprompto magnum robur accedit ex consensu omnium Orientis ecclesiarum, quae numquam, vel dirissimis persecutionum temporibus, sivere, ut a presbytero episcopus aut presbyter vel diaconus consecraretur [4]. Quocirca mirum non est, si in omnibus, etiam antiquissimis libris ritualibus, constanter exhibetur episcopus tanquam sacrae ordinationis minister [5].

8. — Ratio theologica. — Theologicam huius rei rationem pulcre assignat Angelicus Doctor. Episcopalis potestas, ait [6], se habet ad potestatem ordinum inferiorum, sicut politica, quae bonum commune considerat, ad inferiores artes et virtutes, quae aliquod bonum speciale considerant. Atqui ad politicam pertinet legem ponere inferioribus artibus et virtutibus, scilicet, quis quam debeat exercere, et quantum et qualiter. Unde officia saecularia, in civitatibus, ab illo distribuuntur, qui excellentiori potestate praeditus est, qualis est

[1] Haeres. LXXV, n. 4. — [2] Epist. CXLVI, n. 1. — [3] Homil. XI, in 1 Ep. ad Tim., n. 1. — [4] Cf. Renaudot, Perpétuité de la foi, t. V, liv. 5, chap. 8. — [5] Cf. Martène, de antiquis Ecclesiae ritibus, L. I, P. II, art. 11. — [6] S., Quaest. XXXVIII, art. 1.

supremus magistratus. Similiter ad episcopum pertinet alios in omnibus divinis ministeriis collocare; unde ipse solus in ministeriis ordinum consecrat ordinandos, sicut ipse solus fideles confirmat, quia confirmati in quodam officio confitendi fidem constituuntur; et pariter ipse solus virgines benedicit, quae figuram gerunt Ecclesiae Christo desponsatae, cuius cura ipsi principaliter committitur; denique, ad eum pertinet consecratio vasorum, quibus ad sacrificium eucharisticum celebrandum ministri uti debeaut. — Ex his igitur patet, solum episcopum esse ministrum ordinarium sacramenti ordinis.

9. — **Solvuntur difficultates.** — I. Sacra ordinatio habet pro obiecto Sanctissimae Eucharistiae consecrationem. Atqui simplex presbyter est ordinarius minister Eucharistiae. Ergo et sacrae ordinationis.

Resp. Conc. mai. et min. Nego conseq. et conseq. — Imprimis adverti debet, omnia sacramenta ad Eucharistiam quodammodo referri, et tamen non omnium sacramentorum esse presbyterum aeque ministrum ordinarium: sic enim non est minister ordinarius confirmationis; alicuius etiam sacramenti possunt laici esse ministri, ut baptismi et matrimonii. Deinde attendendum est, quod licet Eucharistia sit finis et velut centrum omnium sacramentorum, non sequitur tamen quod potestatem habens Eucharistiam conficiendi, possit etiam ministros Eucharistiae promiscue consecrare, cum ad hanc ministrorum consecrationem requiratur deputatio quaedam, qualis resultat ex officio hierarchico, quo quis ex institutione Christi et ordinatione Ecclesiae insignitus manet.

II. Manuum impositio ordinatur ad aliquid efficiendum. Atqui ordinando sacerdoti non solus episcopus manus imponit, sed etiam sacerdotes adstantes. Ergo non solus episcopus est ordinarius minister sacramenti ordinis.

Respondent aliqui, Dist. mai.: vel per modum sacramenti, vel per modum sacramentalis, *conc.;* semper per modum sacramenti, *nego. Dist, min.:* et haec manuum impositio sacerdotum adstantium est caeremonialis, operans per modum sacramentalis cuiusdam, *conc.*; operans per modum sacramenti, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Quod impositio manuum

sacerdotum adstantium non operetur per modum sacramenti, ex hoc patet quod solus episcopus formam pronuntiat; habet tamen rationem sacramentalis cuiusdam producentis non characterem, sed gratiam. — *Quia* (ordinandi in presbyteros) *indigent amplissima gratia*, ait S. Thomas [1], *ideo sacerdotes manus cum episcopo imponunt eis qui in sacerdotes promoventur.*

At poterit forsan melius dici, ad rem istam referri quod mox dicturi sumus [2] de potestate extraordinaria, in simplici sacerdote, presbyteratum conferendi; non eo quidem modo quo plures simul unum valide baptizant, aut plures sacerdotes unam hostiam consecrant, intendente unoquoque, quantum in se est, conferre sacramentum [3]: nam potestas illa, relate ad ordinem in simplici sacerdote est ligata, ut dicetur; sed ut hinc significatum habeatur, talem in presbytero potestatem, scilicet alios sacerdotes procreandi, radicaliter residere.

III. Aaron fuit ordinatus a Moyse, qui tamen non videtur fuisse sacerdos, cum sacerdotium pertineret ad Aaron et eius filios.

Resp. Sacerdotium legale pertinuit quidem ad Aaron et ad eius filios; sed nihilominus, ait Sylvius [4], Moyses fuit verus sacerdos, ut colligitur ex Psalmo [5]: *Moyses et Aaron in sacerdotibus eius* [6]. At, praeterea, magna est differentia inter sacerdotium novae et veteris Legis, cum in hoc nulla specialis sacramentalis consecratio requireretur, sicut requiritur in nostro sacerdotio.

Articulus II. — *Utrum simplex sacerdos possit esse minister extraordinarius sacramenti ordinis.*

1. — **Ratio articuli** — Expensa iam quaestione de ministro ordinario sacramenti ordinis, sequitur ut de ministro extraordinario, iuxta praestituta, fiat sermo, et quidem tum

[1] S. Quaest. XXXVIII, art. 1, ad 1m. — [2] Infra, Appendix II ad art. 3, n. 3. — [3] Cf. tr. n. de Baptismo, Quaest. LXVII, art. 6, n. 7, p. 124; necnon tr. n. de SS.mo Eucharistiae sacramento, Vol. I, p. 521. — [4] In h. l. S. Thomae, ad 7m. — [5] XCVI, 6. — [6] Cf. S. Leo Papa, epist. LXXXVIII.

respectu ordinum inferiorum, scilicet ab ostiariatu usque ad subdiaconatum inclusive, tum respectu ordinum hierarchicorum, qui sunt diaconatus et presbyteratus: de qua re magna inter theologos extitit disceptatio. — Nos hic primo quae certa sunt vindicabimus; deinde, in bina appendice, quae libere disputantur exponemus.

2. — PROP. I. — Ex **Summi Pontificis commissione, simplex sacerdos, seu presbyter, est minister extraordinarius ordinum inferiorum.**

3. — **Auctoritas.** — Veritas haec ita traditur in Iure [1]: *Sacrae ordinationis minister ordinarius est episcopus consecratus; extraordinarius, qui, licet charactere episcopali careat, a iure vel a Sede Apostolica per peculiare indultum potestatem acceperit aliquos ordines conferendi.* — Porro, in Iure, Cardinalibus, qui sunt simplices sacerdotes, facultas conceditur primam tonsuram et ordines minores conferendi [2], qua etiam facultate gaudent, sub quibusdam conditionibus, Abbas regularis de regimine [3], necnon praefecti Apostolici [4].

4. — **Traditio.** — Imprimis, Gelasius Papa id de presbyteris monet [5]: *Nec sibi meminerint, ulla ratione concedi, sine Summo Pontifice, subdiaconum aut acolythum ius habere faciendi:* ex quo licet inferre, ex Summi Pontificis concessione, id presbyteris posse competere. — Idipsum, saltem quoad quatuor ordines minores, eruitur ex Concilio Tridentino, ubi dicitur [6]: *Abbatibus ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat in posterum, intra fines alicuius dioecesis consistentibus, etiamsi nullius dioecesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores ordines conferre.* — Denique, perplura suppetunt in historia haud dubia exempla talis concessionis abbatibus factae, tam pro minoribus ordinibus, quam etiam pro subdiaconatu [7].

[1] L. III, t, VI, cap. I, Can. 951. — [2] Can. 239, 1°, n. 22. — [3] Can. 964, 1. — [4] Can. 294, § 2; 957, § 2. — [5] Epist. IX ad Ep. Lucan., c. 6. — [6] Sess. XXIII, cap. X de reform. — [7] Cf. DE AUGUSTINIS, tr. de Ordine, art. VIII, de ministro sacram. ord., p. 531. Cf. etiam Benedict. XIII, Append., ad t. IV Bullar., p. XXIII, § 9.

5. — **Ratio theol.** — Per ordinationem presbyteratus, accipit sacerdos quamdam participationem potestatis episcopalis, vi cuius, ex commissione Snmmi Pontificis, nonnulla praestare potest, quae ad episcopum, iure nativo, pertinent, quale est, puta, fideles confirmare, et in casu, inferiores ordines conferre: cuius quidem participationis capax non est qui sacerdotio non est auctus, qui proinde, etiam cum tali commissione, si daretur, invalide omnino subdiaconatum aut minores ordines conferret. — Utrum vero invocatum modo principium, scilicet de participatione episcopalis potestatis in simplici sacerdote, eousque extendi debeat, ut possit etiam ordinem diaconatus, vel quod gravius est, ordinem presbyteratus conferre, mox propius examinandum occurret [1]. At in antecessum, quid de episcopatu conferendo, quae res dubitatione vacat, decernendum sit, paucis absolvemus.

6. — **Consecratio episcoporum.** — Quod episcopus nonnisi ab episcopo possit consecrari, nunquam dubitatum est; et quidem, de iure ecclesiastico ordinario, episcopatus a tribus episcopis solet conferri [2]. Hoc tamen non ita necessarium reputandum est, ut super duorum episcoporum praesentia Summus Pontifex dispensare non valeat, cuius rei plura suppletunt in traditione exempla, inter quae illud eminet S. Gregorii Magni, qui S. Augustino Anglorum apostolo licentiam fecit, ut solus ipse episcopos in Anglia ordinaret; ab eo enim interrogatus, quot necessarii essent episcopi in unius consecratione, respondit [3]: *Ut quidem in Anglorum ecclesia adhuc solus tu episcopus inveniris, ordinare episcopum, non aliter nisi sine episcopis potes.*

7. — **Episcopalis consecratio ab uno tantum episcopo facta, est valida.** — Quocirca dicendum est, consecrationem episcopi, ab uno tantum episcopo absolutam, illicitam quidem esse absque Pontificis venia, non tamen irritam: enimvero, Sedes Apostolica nunquam permitteret huiusmodi con-

[1] Scilicet in duabus appendicibus. Infra, pp. 254, seq. — [2] De S. Anacleto Papa et Martyre legitur in Breviario Romano: *Decrevit ut episcopus a tribus episcopis, neque a paucioribus consecraretur.* Die 13 Iul., lect. IV. — [3] Ben. Hyac. Drouven, t. II, l. VIII, n. X.

secrationes ab uno tantum episcopo absolvi, praesentibus dumtaxat duobus presbyteris, si ad earum valorem essentialem tres omnino requirerentur episcopi. Ceterum, id insinuatur in sic dictis canonibus apostolicis, qui trium episcoporum ministerium in unius ordinatione non adeo requirunt, quin illam a paucioribus fieri posse significent. *Episcopus*, ibi legitur [1], *a duobus vel tribus episcopis ordinetur*. Aliunde, attendendum est, unius episcopi potestatem ordinis plenam esse, quin ex aliorum praesentia augeatur; et in Pontificali Romano unus tantum episcopus vocatur consecrator, dum alii dicuntur assistentes. Denique S. Paulus exhibetur solus discipulum Timotheum episcopum consecrasse [2].

8. — Iuris dispositio. — Notanda sunt quae hac de re in Iure leguntur [3]: *Consecratio episcopalis reservatur Romano Pontifici, ita ut nulli episcopo liceat quemquam consecrare in episcopum, nisi prius constet de pontificio mandato. — Episcopus consecrator debet alios duos episcopos adhibere, qui sibi in consecratione assistant, nisi hac super re a Sede Apostolica dispensatum fuerit* [4].

[1] D.-B., n. 624. — [2] 2 Tim., I, 6. Cf. Bened. XIV, de Synodo dioec., l. XIII, c. 13, nn. 2, seq. — [3] Can. 953, 954. — [4] Exemplum talis dispensationis invenire est, inter alia, in consecratione episcopali Ven. Iustini de Iacobis, Vicarii apostolici Abyssinorum, quae a solo Exc. Dom. Massaja, in pago Massaouah, anno 1849, peracta est. Vide, Vie du Vén. Justin de Jacobis, *de la Congrégation de la Mission, premier Vicaire Apostolique de l'Abyssinie*, par M. Demimuid. Paris, 1906, pp. 288, seq. Eventum hunc eo libentius hic commemoramus quod, dum praesentia folia prelo committuntur nosipsi haec loca, praedicti Servi Dei laboribus sanctificata, de Sedis Apostolicae mandato, peragramus.

APPENDIX I

Utrum diaconorum ordinatio a simplici pbesbytero possit perfici.

1. — **Ratio dubitandi.** — Licet a recentioris aevi theologis communiter retentum fuerit hierarchicum ordinem, qualis est diaconatus, a simplici presbytero nullo modo posse conferri, non leve tamen dubitandi momentum oritur ex privilegio, uti supponitur, abbatibus cisterciensibus ab Innocentio VIII, anno 1480, quinto idus aprilis, concesso, quo facultas eis fit, monachis sibi subditis, praeter minores ordines et subdiaconatum, hunc etiam diaconatus ordinem conferendi.

2. — **Privilegium Innocentianum.** — Verba huius privilegii a Martène, qui illud pro genuino habet, ita recitantur [1]: *Ac ne monachi dicti ordinis pro suscipiendis subdiaconatus ac diaconatus ordinibus, extra claustrum discurrere cogantur, tibi et successoribus tuis, ut quibuscumque dicti ordinis monachis, aliis vero quatuor abbatibus praefatis ac eorum successoribus, ut suorum monasteriorum praedictorum religiosis, quos ad id idoneos repereritis, subdiaconatus et diaconatus ordines huiusmodi alias rite conferre* (possitis),... *auctoritate apostolica et ex certa scientia, tenore praesentium, de speciali dono gratiae indulgemus.*

3. — **Discutitur privilegium.** — Certe, si tanquam authenticum sit agnoscendum illud documentum, quaestioni amplius locus non est, ut scite advertit Card. Gasparri [2]; *sed.* pergit E.mus auctor, *dum multi de Bullae genuinitate dubitant, mihi, facta inspectione in archivio Vaticano, relatum est*

[1] De antiq. Eccl. Rit., l. I, p. II, c. 8, art. 5, § 1. — [2] Tract. can. *de Sacra Ordin.*, n. 798.

Bullam quidem ibidem reperiri, sed mentionem de diaconatu in eadem deesse, — Circa quod tamen advertit Pius Sabadel, ex ordine Minorum Capulatorum [1]: *Hanc acceptam informationem, quam diligentissimus Canonista proprio examine cribrare non valuit, duplici errore laborare in propatulo videtur. Et primo quidem, in tabulariis Vaticani archivii, non obstantibus quamplurium eruditorum accuratis investigationibus, Bulla originalis hucusque reperta non fuit; et secundo, tenor Bullae, supposita transumpti genuinitate, non solum subdiaconatum, sed et diaconatum terminanter ac bis specificaret* [2]. Adsunt tamen historica testimonia fide digna, circa usum, apud praefatos Cistercienses huiusmodi privilegii, certe non inscia aut reclamante Ecclesia [3].

4. — Solvitur dubitatio. — Quae cum ita sint, haud alia restat solvendae quaestioni via, quam ut ad ipsa sacrae ordinationis principia recurratur: non enim dubium solvit illa plurium animadversio: si Summus Pontifex illam aliquando commisit potestatem, ergo committere potuit, cum noverimus de Pontificis potestate dubitari haudquaquam posse, postquam illam semel in actum traduxerit: quandoquidem, in casu, de pontificia concessione nil certi statui valet.

Primo igitur, recolendum venit, quod superius demonstravimus, videlicet eumdem esse, in ratione sacramenti, ordinem, episcopatum nempe et presbyteratum: nisi quod episcopus est sacerdos primi ordinis, presbyter vero secundi

[1] In Dissertatione de Bulla Innocentiana, seu *de potestate committendi simplici presbytero subdiaconatus et diaconatus collationem*, in eph. Analecta Eccles., A. D. 1901, pp. 313. Cf. etiam de hac re art. *Le " Collectaneum „*. L'ordination du diacre par un Abbé. In Annuaire Pontifical Catholique, 1902, pp. 11, seq. — [2] Immerito clar.mus H. Noldin, S. I. in op. *de Sacramentis*, p. 556, Oenip., 1912, asserit a Leone XIII, in nova approbatione privilegiorum Cisterciensium, 30 Iul., 1902 (vide Anal. eccles., vol. X, p. 477), hoc privilegium, scilicet ut simplex sacerdos diaconatum conferre valeat, fuisse abolitum, cum in citatis Litteris Apostolicis de diaconatu mentio expressa non fiat; aliunde, de concessione privilegii, quidquid dicat Noldin (l. cit., p. 555, nota 5), licet adhuc dubitare cum originale Bullae minime prostet. — [3] De Bulla Innoc., ibid., nn. 69, seq.

ordinis: unde eadem est utriusque potestas in corpus Christi verum, ita tamen ut *solus episcopus proprie praelatus Ecclesiae dicatur; et ideo ipse solus quasi sponsus annulum Ecclesiae recipit. Et ideo solus ipse habet potestatem plenam in dispensatione sacramentorum et iurisdictionem in foro Ecclesiae, quasi persona publica* [1].

5. — Duplex episcopalis iurisdictio. — Sed maxime attendendum est quod alibi posuimus [2], duplicem nempe distingui debere in episcopo iurisdictionem: aliam radicalem et communem, in omnes scilicet fideles, pro quanto respicit administrationem quorumdam sacramentorum; aliam specialem seu forensem, in fideles sibi immediate subiectos: et primam quidem iurisdictionem habere omnes episcopos vi suae consecrationis, ideoque inamissibilem esse; alteram vero solis competere episcopis residentialibus.

Aliunde sciendum, Summum Pontificem habere in Ecclesia plenitudinem potestatis, *ex qua*, ait Angelicus [3], *potest quaedam quae sunt superiorum ordinum committere quibusdam inferioribus*: et hinc est quod simplici presbytero committit collationem ordinum inferiorum necnon sacramenti confirmationis: quae de se pertinent ad episcopalem potestatem.

6. — Conclusio. — Quae cum ita sint, non erit cur Summo Pontifici potestas denegetur committendi simplici presbytero collationem diaconatus, cum ordines inferiores, ut diximus, sint et ipsa sacramenta, non secus ac diaconatus ipse; nec

[1] S., Quaest. XXVI, art. 2. Referri huc potest quod de episcopis titularibus in Iure legitur (can. 223. § 2): *Etiam episcopi titulares, vocati ad Concilium, suffragium obtinent deliberativum, nisi aliud in convocatione expresse caveatur*. Olim tamen censebant insignes canonistae, huiusmodi episcopis ius inesse decisivi suffragii ferendi in conciliis generalibus, unde ad huiusmodi concilia fuissent de iure vocandi: licet enim ab infidelibus sint occupatae ecclesiae, ad quarum titulum illi episcopi consecrantur, ipsi tamen retinent iurisdictionem in actu primo quoad istas titulares ecclesias. Cf. Luc. Ferraris, Prompta Biblioth., ad verb. *Concilium*, art. 1, n. 29. — [2] Tract. n. de Confirmatione, art. XII, Diss. spec., § I, n. 16, p. 397. — [3] 3, Quaest. LXXII, art. 11.

valet obiici quod habet S. Thomas [1], nempe Papam posse committere simplici presbytero ea solum quae non habent immediatam relationem ad verum corpus Christi, in diaconatu vero talem haberi relationem: nam plus et minus non variant speciem; ideoque si Papa potest presbytero committere ordinationem subdiaconi, quidni diaconi?

Concludendum igitur, utique non sine aliqua contrariae sententiae formidine ac reverentia, et salvo semper Ecclesiae infallibili iudicio, non repugnare, ut a Papa simplici presbytero committatur diaconi ordinatio [2].

[1] S., Quaest. XXXVIII, art. 1, ad 3[m]. — [2] Cum hoc, ut patet, a S. Thomae sententia discedimus, quam ille tum loco modo citato. tum in 4, Dist. VII, Quaest. III, art. 1, q. 3, sol. 3, proponit: licet dici possit eum ibi rem academice potius quam definitive tractasse: maxime cum ex principiis ab eodem in Summa theologica positis. nostra, quae aliunde multorum est, sententia, possit ultro confici.

APPENDIX II

UTRUM ORDO PRESBYTERATUS A SIMPLICI SACERDOTE, DE MANDATO SUMMI PONTIFICIS, EXTRAORDINARIE POSSIT CONFERRI?

1. — Variae de hac re sententiae. — Communior theologorum sententia negat, eo quod nullum, sive in Scriptura, sive in Traditione, certum suppetit vestigium talis modi ordinandi, cum tamen occasiones non defuissent, saevientibus maxime persecutionibus, talis potestatis a simplici sacerdote, si id utique fuisset possibile, exercendae. Nec urgeri valent quae in contrarium a nonnullis auctoribus adducuntur, deprompta ex quorumdam chorepiscoporum agendi ratione, qui leguntur presbyteros ordinasse, cum constet quosdam saltem ex illis chorepiscopis dignitate episcopali fuisse insignitos. Ad rem Fr. Sylvius [1]: *Aliud genus chorepiscoporum erat eorum qui erant veri episcopi, poterantque sacros ordines valide conferre: sed vel erant sine certa dioecesi, ad conversionem infidelium ordinati, ut S. Amandus, antequam esset episcopus Tungrensis, S. Foillanus, S. Humbertus; vel ut certam dioecesim habuerint, non poterant tamen in ea residere; vel erant vicarii aliorum episcoporum; de quibus loquitur Baronius* [2] *et Concilium Meldense* [3] *et dictum Antiochenum* [4]. *Hinc est quod, in fine Concilii secundi Matisconensis, recensentur episcopi qui nullas sedes habebant.* — Et haec quidem plures adeo movisse videntur, ut cum Natali ab Alexandro concludant, sententiam quae tenet a simplici presbytero posse, Summi Pontificis mandato sacerdotium conferri, traditioni repugnare, ideoque minime sequendam esse [5].

[1] In S., Quaest. XXXVIII, art. 1, ad 3^{am} diff. — [2] Ad annum 357. — [3] Can. 44. — [4] Can. 10. — [5] Dissert. XLIV, in Append. *de Chorepiscopis.*

2. — Probabilis responsio. — Hoc tamen non obstante, videtur probabiliter dici posse, cum quibusdam theologis, quos inter, ex antiquioribus, numeratur Innocentius IV [1], posse presbyteratum, de lege extraordinaria, ex Summi Pontificis commissione, a simplici presbytero conferri. Imprimis enim certa res non est, omnes illos chorepiscopos, qui leguntur antiquitus presbyteros ordinasse, fuisse episcopali dignitate insignitos [2]; deinde, cum diaconatus, non secus ac presbyteratus, sit ordo hierarchicus, si simplici sacerdoti committi potest ordinatio diaconi, non apparet cur committi eidem non possit et ordinatio presbyteri.

3. — Est in sacerdote radicalis potestas ministros Ecclesiae ordinandi. — Potest igitur dici, simplici sacerdoti inesse quidem, vi suae ordinationis, radicalem potestatem tum fideles confirmandi, tum ministros Ecclesiae ordinandi: quae quidem potestas ideo ab eo in actum secundum, sine Summi Pontificis mandato aut commissione, traduci nequit, quia non est ille, sicut episcopus, Ecclesiae praelatus; unde indiget speciali ad hoc mandato, quo non indiget episcopus, qui etiam suspensus, sicut valide consecrat Eucharistiam, ita valide sacerdotem ordinat.

4. — Quales nanciscatur patronos haec sententia. — Non inutiliter advertetur, inter huius sententiae patronos recenseri, praeter supra memoratos, auctores Glossae [3]; Sylvestrum, antiquum Canonistam, citatum ab Innocentio IV [4]; Gulielmum Altissiodorensem, Petrum Aureolum, Praepositi-

[1] In Caput *Quanto,* de Consuetudine. Cf. Morinius, *De sacris Ecclesiae ordinationi,* P. III, Exercit. IV, c. III, p. 48. Antuerp., 1695. — [2] Cf. Martène, de Antiquis Ecclesiae ritibus, t. IV, L. I, P. II, c. 8, art. 5, § 1, Antuerp. 1763. — [3] In Can. *Manus quoque impositionis,* de Consecr., Dist. 5, ubi legitur: *Ex demandatione Papae, quilibet conferre potest quod habet; unde ordinatus ordinem quem habet conferre potest.* Quae quidem ratio hoc importare videtur, quod, puta, diaconus conferre posset diaconatum; subdiaconus subdiaconatum, etc., quod certe maiori difficultate admittetur. — [4] L. supra indicato. Verba Innocentii sunt: *Sylvester dixit quod, ex delegatione Domini Papae et adminiculo sacramenti habiti, quilibet clericus potest quidquid habet ipse conferre, quod vero non habet, minime.*

vum, etc. Notanda hic sunt verba Vasquezii [1]: *Non desunt auctores qui in gratiam Sedis Apostolicae et potestatis pontificiae asserant, quamvis solus episcopus sit minister ordinarius sacramenti ordinis, simplicem tamen sacerdotem, ex commissione Summi Pontificis, esse posse ministrum omnium ordinum usque ad presbyterium.*

5. — Confirmatur haec sententia ex concessione facta a Bonifacio IX. — Magnum autem robur accipit haec sententia ex concessione quae legitur facta a Summo Pontifice Bonifatio IX, anno Domini 1400, abbati S. Osithae, in dioecesi Londiniensi, ut scilicet canonicis sui monasterii, non solum diaconatus, sed etiam presbyteratus ordinem conferre valide ac licite posset [2]. Hanc quidem concessionem, de qua nulla extat dubitatio, idem Pontifex post tres annos, id est 6 Februarii 1403, revocavit, non quasi illam invalidam haberet, sed ob reclamationes Roberti, episcopi Londiniensis, cui in hoc monasterium ius patronatus competebat, et cui videbantur propria iura per hanc concessionem laesa fuisse: unde revocatoriae litterae indirectam continent praedictae concessionis confirmationem: nihil enim inibi dicitur de invaliditate ordinationum quas interim, Cisterciensis Abbas, ut praesumitur, habuerat [3]. Porro, hic quoque applicari illud debet, quod antea diximus, videlicet talem pontificiam commissionem, vel in uno alterove casu, nobis tanquam dogma esse habendam, secus, in re fidei, Christi Vicarius gravissime errasset [4].

6. — Admitti nequit Bonifacium IX ex inadvertentia egisse. — Enimvero, admittere minime possumus illam, aliunde insignium theologorum, ut se ab hoc casu honeste expediant, animadversionem, scilicet, quando Pontifex semel tantum dispensavit et mox concessionem retractavit et nullius esse valoris vel momenti voluit, iam esse rationem supponendi illum ex inadvertentia egisse [5]: — imprimis enim

[1] Disput. in 3 P. S. Thomae, Disput. 243. — [2] Invenitur bulla haec in Archivio Vatic., Reg. Lat. 81, fol. 264. — [3] Cf. Calendar of Papal Letters, Vol. V, 334, 534. — [4] Bened. XIV, de Syn. Dioeces., VII, 7. — [5] Verba sunt R. P. Ed. Hugon, in tr. de Ordine, art. 6, p. 539.

nequit dici Bonifacius IX seipsum, quasi errorem agnovisset, retractasse, sed tantum concessionem factam, ob extrinsecas rationes, cassasse; praeterea, periculosum nimis est concedere Papam, vel semel, in re disciplinari simul et dogmatica, ex inadvertentia erronee processisse.

7. — Ius canonicum. — Ceterum, relicta est vel huic sententiae patens ianua in ipso Codice Iuris canonici, ubi legitur [1]: *Sacrae ordinationis minister ordinarius est episcopus consecratus; extraordinarius, qui licet charactere episcopali careat, a iure vel a Sede Apostolica per peculiare indultum potestatem acceperit aliquos ordines conferendi*: quinam autem sint isti ordines, taxative non dicitur.

Nec valet obiici, ex quo dicit Codex *aliquos* tantum ordines a simplici sacerdote conferri posse, suppositionem excludi de presbyteratu sic conferibili [2]: nam Codex ius vigens contemplatur, non id quod, absolute loquendo, possit fieri.

8. — Generativa potestas. — Nec debet hoc tanquam arbitrarie dictum reputari, ita ut pro novo et insolito habeatur, cum universaliter receptum sit in Scholis illud Aristotelis [3]: *Est rei iam perfectae facere alterum, qualis ipsa est* [4]; unde, cum in presbyteratu id totum sit radicaliter quod ad sacramentum ordinis pertinet, ideo non est unde non possit sacerdos alium sacerdotem generare, nisi quod ei deest, et quidem ex institutione Christi, libera et expedita potestas id faciendi. Ad rem S. Thomas [5]: *Res viva facit alterum quale ipsum est, quia animal facit animal, et planta plantam. Et ulterius, secundum speciem, tale animal facit tale animal, ut homo generat hominem, et oliva olivam.*

9. — Solvitur tacita difficultas. — Obiicienti verba Concilii Tridentini [6]: *Episcopos presbyteris superiores esse, ac sacramentum confirmationis conferre, ministros Ecclesiae ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent* [7], — respon-

[1] Can. 951. — [2] R. P. Hugon, loco cit. — [3] L. II de Anima, t. 42. — [4] Cf. S. Thom., 1. Quaest. LXXVIII, art. 2. — [5] In l. II de Anima, lect. VII. — [6] Sess. XXIII, cap. 4. — [7] Cf. Ibid., can. VII.

detur verba ista, quantum ad superioritatem gradus attinet, esse simpliciter accipienda; quantum vero respiciunt collationem sacramenti confirmationis et ordinis, evidenter intelligi debere secundum quid, inspecta scilicet potestate ordinaria, cum admittant omnes, et illam et istum, saltem usque ad subdiaconatum inclusive, a simplici sacerdote, de Summi Pontificis commissione, posse valide conferri.

Articulus III. — *Utrum haeretici aliique ab Ecclesiae unitate praecisi possint ordines conferre.*

1. — **Ratio articuli**. — Acto de ministro ordinario et extraordinario sacramenti ordinis, sequitur ut de ministro legitimo sermo instituatur: de qua re haud parva extat inter eruditos disceptatio. — Ubi legitimum dicimus ordinationis ministrum, qui et catholicus est et canonice electus, atque proprius ordinandi episcopus, necnon qui in ritu ordinationis conferendo omnes sequitur Ecclesiae leges; contra vero, illegitimus is reputabitur, cui horum aliquid desit, etsi valide fors ordinationem conferat.

2. — **Dubium**. — Enimvero, quod ordinationes ab illegitimo ministro peractae, aut a legitimo quidem, sed non servato Ecclesiae praescripto, illicitae sint, nemo unquam dubitaverit: utrum vero praeterea irritae sint ac nullius valoris, disceptatum diu fuit, maxime in media aetate, tempore videlicet S. Leonis IX (1048-1054), cum simoniaca labes omnium fere clericorum animos invasisset: ex quo gravis orta est controversia, num ordinationes a simoniacis factae ratae habendae essent, an nullae, et proinde num forent iterandae.

Qua in re haec scribit S. Petrus Damiani [1]: *De iis qui sunt a simoniacis consecrati, quanta iam per triennium in tribus romanis conciliis fuerit disceptatio, quamque perplexa atque confusa dubietas, et in iis partibus quotidie ventiletur, sanctitatem vestram latuisse non arbitror: praesertim cum crescente*

[1] In praefat. Opusc. 6, cui nomen fecit *Gratissimus*.

fluctuationis ambiguo, eatenus sit processum, ut nonnullos constet episcopos ab illis ordinatos clericos denuo consecrasse [1]. Subdit vero idem Sanctus Doctor, Leonem IX, *in postrema Synodo, omnes episcopos ex divina obtestatione rogasse, quatenus Dei misericordiam in commune deposcerent, ut quidquid super hoc scrupuloso negotio decernendum esset, nutantibus revelarent.*

Ex his tamen, sicut ex reliquis S. Petri Damiani hac super re scriptis, perperam inferretur, aut ipsum S. Leonem IX simoniace ordinatos denuo ordinasse, aut certo sensisse eisdem ordinationem esse iterandam. Quidquid tamen hoc sit, certum est disputationem diu postea viguisse: scribit enim hac super re Sententiarum Magister [2]: *Hanc quaestionem perplexam ac pene insolubilem faciunt Doctorum verba, quae plurimum dissentire videntur.*

3. — Variae hac super re sententiae. — Porro, veterum Doctorum opiniones ad quatuor capita reducuntur, quae ita exponit Angelicus Doctor [3]. Quidam, ait, dixerunt quod haeretici, quamdiu ab Ecclesia tolerantur, potestatem habent ordines conferendi, non autem postquam fuerint ab Ecclesia praecisi; similiter nec degradati, et alii huiusmodi: et haec est prima opinio. — Sed hoc non potest esse, quia omnis potestas, quae datur cum aliqua consecratione, nullo casu contingente tolli potest, re ipsa durante; sicut nec ipsa consecratio annullari, quia etiam altare vel chrisma semel consecrata perpetuo consecrata manent; unde cum episcopalis potestas cum quadam consecratione detur, oportet quod perpetuo maneat, quantumcumque aliquis peccet, vel ab Ecclesia praecidatur.

Alii vero dixerunt, quod praecisi ab Ecclesia, qui in ea episcopalem potestatem habuerunt, retinent potestatem alios ordinandi et promovendi; sed promoti ab eis hoc non habent; et haec est quarta opinio. — Sed hoc etiam non potest esse, quia si illi qui fuerunt in Ecclesia promoti, retinent potestatem, quam acceperunt, patet quod exequendo

[1] Cf. Hon. Tournely, Praelect. de Sacram. Ordinis, p. 138, Ven., 1739. — [2] 4, Dist. XXV. — [3] S., Quaest. XXXVIII, art. 2, ad litt.

suam potestatem, veram consecrationem faciunt; ideo vere tribuunt omnem potestatem, quae cum consecratione datur, et sic ordinati ab eis vel promoti habent eamdem potestatem quam ipsi.

Alii rursus dixerunt, quod etiam praecisi ab Ecclesia possunt ordines conferre, et alia sacramenta, dummodo formam debitam et intentionem servent, et quantum ad primum effectum, qui est collatio sacramenti, et quantum ad ultimum qui est collatio gratiae: et haec est secunda opinio. — Sed hoc etiam non potest stare, quia ex hoc ipso quod aliquis haeretico praeciso ab Ecclesia in sacramentis communicat, peccat: et ita fictus accedit et gratiam consequi non potest, nisi forte in baptismo in articulo necessitatis.

Et ideo alii dicunt quod vera sacramenta conferunt; sed cum eis gratiam non dant, non propter inefficaciam sacramentorum, sed propter peccata recipientium ab eis sacramenta contra prohibitionem Ecclesiae: et haec est tertia opinio, quae vera est. — Sit igitur

4. — PROP. — **Ordinatio ab illegitimo ministro, servato Ecclesiae ritu, collata, valida est.**

5. — **Sententia Ioannis Morinii et Hyacinthi Sbaraglia.** — Ponitur haec propositio, contra Ioannem Morinium, e Congregatione Oratorii scriptorem († 1659) [1], et Hyacinthum Sbaraglia, Ferrariensem, Ordinis Minorum Conventualium († 1764) [2], quibus visum est inveterato errori adscribendam sententiam quae tenet ordinationes, ab haereticis, schismaticis atque simoniacis factas, esse validas. Quae quidem sententia olim, re scilicet nondum eliquata, teneri forsan potuit: nunc vero, supra positam propositionem, quae communiter in Ecclesia tenetur, deserere aut impugnare velle, temerarium saltem foret.

6. — **Traditio Ecclesiae.** — Quod autem doctrina haec suffragio antiquitatis fulciatur, patet primo ex S. Cornelio

[1] De sacris ordinat., Exercit. V, cap. 1, seq. Paris, 1626. Huius aliunde insignis scriptoris opera cum quadam cautela legi debent. — [2] Disput. de sacris pravorum ordinationibus, Vol. I, Florentiae, 1750.

qui, vertente saeculo tertio, Maximum presbyterum, aliosque Novatianos, absque nova ordinatione recepit [1].

Huc quoque pertinet quod in Synodo anno 362 coacta, S. Athanasius statuit inter clericos recipiendos esse eos qui ab ariana haeresi, ad quam illi vi adducti fuerant, rediissent [2]. Similiter S. Leo Papa cum, precibus Marciani Augusti et Pulcheriae motus, in Ecclesiam recepisset Anatolium, qui a latrocinio ephesino in locum S. Flaviani in sedem Constantinopolitanam fuerat intrusus, factas ab illo ordinationes probavit [3]. Pariter, de Donatistis notum est, illos ab Ecclesia receptos fuisse tanquam valide ordinatos: de quibus ita loquitur S. Augustinus [4]: *Non sunt rursus ordinati; sed sicut baptisma in eis, ita ordinatio mansit integra.* Similiter S. Basilius, simoniacas ordinationes non reiicit tanquam invalidas, sed dicit [5]: *Haec si ita sint, post haec non fiant, sed emendentur.* Idem de S. Ioanne Chrysostomo refert Palladius [6]; S. Gregorius VII vero, ad Raynaldum, episcopum Comensem, necnon S. Petrus Damiani [7], tanquam validas recipiunt ordinationes factas ab episcopis simoniaca labe infectis.

7. — Ratio theol. — Episcopus habet ex sua episcopali consecratione, quod rite valeat ordines conferre. Atqui potestas collata episcopo in sua consecratione nullo crimine deletur: unde Concilium Tridentinum definit [8]: *In tribus sacramentis, baptismo scilicet, confirmatione et ordine* (imprimitur character) *in anima, hoc est signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt.* Et rursus [9]: *Si quis dixerit, per sacram ordinationem... non imprimi characterem, vel eum qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse. A. S.* — Aliunde, generale in tractatu *de sacramentis* principium est, obiectivam validitatem ministerii sacramentalis de se

[1] Cf. Epist. VI, *Quantam sollicitudinem*, ad Cypr. ep. Carthagin., a. 252. — [2] Id constat ex actis illius Synodi, necnon ex epistola S. Athanasii *ad Rufinianum*, et ex act. I Concilii nicaeni II. — [3] Cf. S. Leonis Epistola LXXVIII, al. LIV. — [4] L. II Adversus Parmen., c. 13. — [5] In Epistola ad episcopos suae curae commissos. — [6] In eius vita. — [7] In opusc. 6, Cf. supra, n. 2. — [8] Sess. VII, can. 9. — [9] Sess. XXIII, can. 4.

minime prohiberi per subiectivam indispositionem ministri [1]. Ergo concludendum est, ordinationes factas ab episcopis intrusis, haereticis, schismaticis, excommunicatis, degradatis aut simoniacis, modo aliunde necessaria ad earumdem validitatem adhibeantur, scilicet materia, forma et intentio faciendi quod facit Ecclesia, esse validas.

8. — **Confirmatur.** — Sicut baptizans exhibet tantum ministerium exterius, ita et conferens ordines, Deo interius operante. Atqui nulla ratione aliquis ab Ecclesia praecisus amittit baptizandi potestatem. Ergo nec ordines conferendi. Licet enim haereticus, baptizans aut ordinans, non continuatur passioni Christi per propriam fidem, continuatur tamen per fidem Ecclesiae, secundum quod servat, in ordinando vel baptizando, Ecclesiae formam [2].

9. — **Scholion.** — Attamen illi qui promoventur ab haereticis, quamvis ordinem valide accipiant, non tamen recipiunt ordinis executionem, ut licite possint in suis ordinibus ministrare, sed olim fiebant irregulares, nunc vere suspensi manent: in nulla quippe communitate, ille qui a communitate expellitur, potest officia communitatis disponere [3]. Huc pertinet quod legitur in Iure [4]: *Suspensionem a divinis, Sedi Apostolicae reservatam, ipso facto contrahunt, qui recipere ordines praesumunt ab excommunicato, vel suspenso, vel interdicto post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, aut a notorio apostata, haeretico, schismatico; qui vero bona fide a quopiam eorum sit ordinatus, exercitio careat ordinis sic recepti donec dispensetur.*

10. — **Solvuntur difficultates.** — I. Episcopus, in sua consecratione, non accipit, sicut sacerdos, aliquem novum characterem. Ergo non est necesse quod episcopalis potestas remaneat in eo, post eius separationem ab Ecclesia.

Resp. Episcopus accipit in sua consecratione potestatem, quae perpetuo manet in eo, licet non possit dici cha-

[1] Tr. n. DE SACRAMENTIS IN COMMUNI, Quaest. LXIV, art. 5, p. 217. — [2] S. Thom., S., Quaest. XXXVIII, art. 2, sed contra 3, et ad 3[m]. — [3] Ibid., ad 3[m]. — [4] Can. 2372.

racter, eo quod per eam non ordinatur homo directe ad Deum, sed ad corpus Christi mysticum: et tamen haec potestas indelebiliter manet in eo, sicut character, quia per consecrationem datur [1]; et ideo si quando in haeresim labatur, iterum non consecratur, quando reconciliatur. Ceterum, idipsum dicendum foret de presbytero, in hypothesi quod in eo radicalis potestas insit alium presbyterum consecrandi.

II. Haereticus non potest absolvere vel ligare. Ergo nec ordines conferre.

Resp. *Nego paritatem.* Enimvero, ad absolvendum requiritur iurisdictio forensis, quae ad ordinandum necessaria non est, ut diximus.

III. Potest Ecclesia certas statuere leges, quibus praetermissis, nullum reddatur aliquod sacramentum, etsi materia et forma actu ponantur: sicut in matrimonio et poenitentia videtur. Ergo potest etiam circa ordinationes tales statuere leges, quibus neglectis, illae irritae reddantur.

Resp. Nego paritatem. Ideo enim potest Ecclesia, circa matrimonium et poenitentiam conditiones irritantes apponere, quia illud quidem prius sacramentum administratur per modum contractus, qui statutarum legum auctoritate regitur; hoc vero, id est poenitentia, per modum iudicialis sententiae, ad quam pronunciandam auctoritas requiritur: per ordinationem vero homo charactere absolute signatur, quo potens fit ea, quae sunt salutis humanae, quasi Dei authenticus minister, conferre: ad quod quidem non refert, utrum ille qui hanc potestatem dat aut recipit, sanctus sit, necne.

11. — **Criteria ad difficultates solvendas.** — Ad solvendas difficultates quae, sive ex quibusdam Patrum scriptis, sive ex gestis Summorum Pontificum, oriri possunt, iuvabit sequentia criteria indigitare.

α) Imprimis distinguendum sedulo venit inter haereticos, qui formam servant sacramenti, quorum proinde sacramenta Ecclesia recipit, et illos qui formam illam praetermittunt, quorum sacramenta ab Ecclesia probari minime possunt.

[1] Ibid., ad 2[m].

δ) Rursus, distinctio facienda est inter substantiam sacramenti et illius effectum: nimirum, malus minister, quantum est ex se, confert sacramentum et illius effectum, scilicet gratiam sanctificantem; at male suscipiens non recipit gratiam, quia per peccatum suum obicem gratiae ponit: cuius distinctionis defectu, ut scite advertit Billuart [1], exarsit olim famosa illa controversia inter S. Stephanum et S. Cyprianum ceterosque rebaptizantes.

γ) Praeterea, attendi debet, hisce verbis, *ordo, ordinatio, ordinare, ordinari*, non semper apud veteres scriptores significari sacramentum ordinis conferens characterem; sed quandoque, ut iterum notat Billuart [2], restitutionem pristini honoris, aut privilegiorum ordinibus adnexorum, aut etiam exercitii potestatis suspensae. Huiusmodi gradus restitutio fiebat resipiscentibus cum impositione manuum, et interdum etiam adhibitis rursus insignibus et instrumentis ordinationum, in signum scilicet restitutae non sacrae ordinationis, sed honoris aut dignitatis eidem adnexae [3].

[1] De Ordine, Dissert III, art. 2, solv. diff. — [2] Loco cit. — [3] Cf. Pontific. Rom., *Ordo suspensionis et reconciliationis sacrorum ordinum*. Videri potest, apud cit. Hon. Tournely (Prael. de Sacram. Ordinis, pp. 132, seq., Venet., 1739). solutio plurium difficultatum, quas ex historia ecclesiastica, movet Morinius ex pluribus factis historicis, et signanter ex facto Stephani VII Romani Pontificis, qui, excommunicato cadavere praedecessoris sui Formosi, ordinationes ab eo factas irritas declaravit et iterandas voluit, eo quod, ut praetendebat, hic Pontifex a Portuensi ad Romanam Sedem translatus fuisset; necnon ex facto Photii patriarchae, cuius ordinationes nullae et irritae declaratae sunt: nimirum, in hisce omnibus distinguendum est inter liberum usum et exercitium officiorum suscepti et dati ordinis, et ipsam ordinationis substantiam: et quidem, hac tacite agnita, illud irritum, seu illicitum declarabatur.

APPENDIX

DE ORDINATIONIBUS ANGLICANIS.

1. — **Novi ritus introductio penes Anglicanos.** — Cum inducto, Henrici VIII opera, in Angliam diro schismate, illius successor Eduardus VI (1547-1553), plurimum adlaborasset pro religionis, ut aiebant, reformatione, illum potissimum coadiuvante Thoma Cranmer, episcopo Cantuariensi, inter cetera, quibus Novatores conati sunt priscam immutare religionem, eminet novus ritus pro ordinibus conferendis, anno 1549 introductus, veteri scilicet Ordinali abolito. In quo quidem ritu sequens forma ad consecrandum episcopum praescribitur. Imprimis, consecrans minister Deum exorat, *ut servum suum ad ministerium episcopatus vocatum doctrinae suae veritate instruat, vitae innocentia adornet, eamque largiatur gratiam, ut semper ad Evangelium promulgandum paratus sit.* Dein manus ordinando imponens, ait: *Accipe Spiritum Sanctum, et excitare memineris gratiam quae in te est per manuum impositionem,* etc. Denique, Biblia sacra porrigens, concludit: *Attende lectioni, exhortationi: serio meditare omnia quae in hoc libro continentur,* etc.

2. — **Reformatorum mens.** — Iamvero, praestat hic attendere qua mente novi Ordinalis eduardiani auctores illud confecerint. Nimirum, cum scirent necessitudinem intercedere inter fidem et cultum, inter legem credendi et legem supplicandi, specie redintegrandae formae primitivae liturgiae, illam ad suos errores multis modis deformarunt. Re quidem vera, in toto Ordinali, nullam reliquerunt apertam mentionem sacrificii, consecrationis, sacerdotii, potestatisque tum consecrandi tum sacrificium offerendi: quinimmo, omnia huiusmodi notionum vestigia, quae superassent in precationibus ritus catholici non plane reiectis, de industria sublata

sunt atque deleta [1]. Enimvero, in verbis superius relatis, non alia elucescit reformatorum mens, nisi quod sacerdotale ministerium ad verbi Dei praedicationem unice ordinatur.

3. — Ordinatio Matthaei Parker. — Quae cum ita essent, defunctis iam Eduardo VI, necnon Maria quae huic immediate successerat et res in pristinum statum restituerat (1553-1558), Angliae thronum conscendit altera Henrici filia, quam ex Anna de Boleyn susceperat, Elisabetha scilicet (1558-1603), quae nihil antiquius habuit, quam ut schismaticum simul et haereticum opus Henrici et Eduardi consummaret. Haec igitur, amotis episcopis catholicis qui adhuc superstites erant, anno 1559, ad episcopatum Cantuariensem nominavit Matthaeum Parker, qui statim ac in officio constitutus fuit, ordinationes coepit perficere iuxta Ordinale Eduardi VI; ex his vero ordinationibus, veluti ex communi fonte, hierarchicam suam successionem anglicani repetunt.

Tradunt coaevi scriptores Matthaeum Parker fuisse Londini, a Ioanne Scory, episcopo Roffensi, una cum tribus aliis, in quodam diversorio, sequente ritu ordinatum: videlicet, eorum capitibus impositis sacris Bibliis, ille haec tantum verba protulisset: *Accipite potestatem verbum Dei praedicandi in sua puritate.* — Huic tamen narrationi opponuntur acta in archivo Lambethensis palatii asservata, quibus exhibetur ordinatio Matthaei Parker aliorumque die 17 decembris 1559, solemniter facta in sacello eiusdem palatii a Gulielmo Barlow, electo episcopo Cestriensi, assistentibus tribus aliis episcopis. De horum Lambethensium actorum genuinitate diu dubitatum est atque acriter disceptatum, donec Dr. Lingard, vir rerum Angliae peritissimus, pro eorum veritate aperte pugnaverit, quin tamen valorem anglicanarum ordinationum propterea defendendum susceperit.

Ex tribus assistentibus episcopis, unus consecratus fuerat sub Henrico VIII iuxta vetus Ordinale, scilicet Ioannes Hoogskins, alii duo autem, nempe Ioannes Scory electus episcopus Herefordensis, et Milon Coverdale, olim episcopus

[1] Litt. Apost. *Apostolicae Curae.* 13 Sept.. 1896. Act. Leonis XIII, XVI, p. 270.

Exeterensis, secundum primum Ordinale Eduardi VI. De Gulielmo Barlow vero, alii tenent illum revera fuisse consecratum; id tamen debilibus dumtaxat innititur rationibus; ceterum, verisimile non est hominem fidei catholicae desertorem atque characteris sacerdotalis contemptorem, voluisse ordinationem sensu catholico impertire.

4. — Ecclesiae decisiones de ordinationibus anglicanis. — Porro quod huiusmodi ordinationes, ritu eduardiano peractas, Ecclesia tanquam dubias unquam habuerit, evincitur ex pluribus pontificiis documentis, quae vel ante Parkeri ordinationem prodierunt. Nimirum, Iulius III Cardinali Reginaldo Polo, suo a latere in Anglia legato, in opere reconciliationis ecclesiae anglicae occupato, rescribens, die 8 Martii 1554, distinxit inter eos qui promoti fuerant secundum antiquum Caeremoniale, et eos qui, promoti secundum ordinale eduardianum, possent, si digni atque idonei reperti fuissent, promoveri. Idipsum decrevit Paulus IV, tum 20 Iunii, tum 30 Octobris, anni 1555.

Quod autem Pontifices isti decreverant, tenore constanti tribus amplius saeculis custoditum est, ut scilicet ordinationes ritu eduardiano haberentur tanquam infectae ac nullae, ac proinde sic ordinati, absolute, seu absque conditione, ordinarentur, quod ex hoc tempore constanter observatum est. Cum vero ordinationem sacram nefas sit iterare, hinc concludere necesse est, ordinationes eduardiano ritu perfectas, tanquam nullis roboris ab Ecclesia habitas fuisse.

Sed iuvat quammaxime in hanc rem adferre sententiam Clementis XI, de quodam Clemente Gordon, quem ritu eduardiano ordinatum, feria V, die 17 Aprilis 1704, decrevit ille Pontifex ex integro et absolute ordinari: quae quidem sententia, advertit Leo XIII [1], universe ad omnes anglicanorum ordinationes spectabat, adeo ut *quoties deinceps in re simili decernendum fuit, toties idem Clementis XI communicatum sit decretum.*

5. — Res ad trutinam, iubente Leone XIII, revocata. — Attamen exorta rursus, recentibus annis, hac super re, con-

[1] Litt. ap. *Apostolicae curae*, p. 267.

troversia, sacraene ordinationes ritu eduardiano peractae natura atque effectu sacramenti polleant, non modo plures ex scriptoribus anglicanis, verum etiam pauci ex catholicis, praesertim non anglis, rem iterum, tum privatis colloquiis, tum in publicis ephemeridibus, agitare coeperunt. Et illos quidem, scilicet anglicanos, movebat praestantia sacerdotii christiani, cum aegre ferrent ministros suos duplici in corpus Christi potestate carere; alteros vero exstimulabat consilium faciliorem quodammodo reddendi fratribus dissidentibus viam ad eorum cum Ecclesia Romana reconciliationem. Utrique vero hoc exoptabant, ut studiis historicis iam valde provectis, atque novis litterarum monumentis ex oblivione erutis, causa, ipsius Summi Pontificis nomine, retractaretur.

Igitur Leo XIII, anno 1896, consilia illa atque optata benigne suscipiens, maximeque voci obsequens apostolicae caritatis, censuit nihil non experiri, quod quoquo modo videretur conducere ad quaestionem ultimo iudicio dirimendam.

Ille igitur, instituta commissione virorum scientia praestantium, nihil reliquit intentatum, quo res plenius discuteretur et finaliter statueretur: exitum vero studiorum, atque ultimam decisionem consignavit in citatis litteris apostolicis [1], ex quibus sequentia depromi possunt argumenta, ad invaliditatem ordinationum anglicanarum ultro demonstrandam.

6. — **Defectus debitae formae in ordinationibus anglicanis.** Imprimis advertendum est, totum huc quaestionis cardinem reduci, ut perspiciatur utrum, in ordinationibus anglicanis, essentialia sacramenti, quae in materia et forma necnon in ministri intentione reponuntur, rite serventur. Porro, quidquid sit de materia, quam diximus esse manuum impositionem cum instrumentorum porrectione vel saltem exhibitione, certum est tum legitimam formam, ex qua materia determinationem accipit, tum ministri rectam intentionem, in praedictis ordinationibus defuisse.

Et primo quidem, quod ad formam attinet, clarum est verba, quae ad proximam usque aetatem ab Anglicanis in

[1] *Apostolicae curae.*

usu fuerunt pro ordinatione presbyterali, videlicet, *Accipe Spiritum Sanctum*, non definite significare ordinem sacerdotii vel eius gratiam et potestatem, cum huiusmodi potestas praecipue respiciat consecrationem et oblationem veri corporis et sanguinis Domini [1], et quidem in illo sacrificio quod non est, ut volunt protestantes, *nuda commemoratio sacrificii in Cruce peracti*, sed, prout fide catholica tenetur, unum est idemque cum sacrificio Crucis [2].

Imparia igitur sunt praedicta verba ad significandam et efficiendam presbyteralem potestatem, cum nulla in eis consecrandi, offerendi et ordinandi mentio occurrat, secus ac universa traditio semper tenuit et docuit. Re quidem vera, in articulo trigesimo primo Symboli anglicani expresse legitur: *Missarum sacrificia quibus vulgo dicebatur sacerdotem offerre Christum in remissionem poenae aut culpae pro vivis et defunctis, blasphema figmenta sunt et perniciosae imposturae* [3]. Unde secundum huius ecclesiae placita, non potest esse sermo de vera oblatione Domini nostri Iesu Christi, ac proinde de vera sacerdotali potestate. Nec silendum, per illam Evangelii promulgationem, ad quam Spiritus Sancti collationem invocant Anglicani, non catholicam, sed calvisticam ac reformatam doctrinam formaliter significari.

7. — **Solvuntur tacitae difficultates.** — I. Equidem forma praedicta postmodum aucta est his verbis: *Ad officium et opus presbyteri*: sed, ut advertit Leo XIII [4], hoc potius convincit ab ipsis anglicanis primam illam formam mancam atque inidoneam habitam fuisse, quam quod novum ritum vellent inducere. Ceterum, cum addita fuerit illa pericope quando iam hierarchia exstincta fuerat, hinc utcumque intelligatur, nihil valere potuit ad legitimam sacerdotii potestatem con-

[1] Conc. Trid., Sess. XXIII de sacr. ord., can. I. — [2] Ibid., Sess XXII. de sacrificio Missae, can. III. — [3] *Wherefore the sacrifices of Masses, in which it was commonly said that the priests did offer Christ for the quick and the dead, to have remission of pain or guilt, were blasphemous fables and dangerous deceit.* Cf. Ed. C. S. Gibson. The thirty nine Articles of the Church of England. p. 691. London. 1902. — [4] Litt. ap. *Apostolicae curae.*

ferendam. — Sed nec additae veteri Ordinali preces quidquam robur illis ordinationibus adiiciunt, cum ab ipsis consulto detractum sit quidquid in ritu catholico dignitatem et officia sacerdotii designat. — Similiter dicendum est de formula: *Ad officium et opus episcopi*, addita, penes anglicanos, verbis: *Accipe Spiritum Sanctum*, pro episcopi ordinatione; maxime cum ab eorum ritu vera sacrificii notio, ut diximus, exulet.

II. Nec valet obiici, a tempore Caroli I, Angliae regis, plures ex anglicanis quidquam sacrificii et sacerdotii conatos fuisse admittere: — haec quippe quorumdam mens et sententia non sufficit ut verba Ordinalis anglicani sensum catholicum praeseferant, maxime cum iam fuisset introductus ritus negans vel adulterans ordinis sacramentum. — Eodem quoque argumento illud etiam corruit nonnullorum opinamentum, quibus videtur ad legitimam sacramenti ordinis formam sufficere precationem, *Omnipotens Deus, bonorum omnium largitor*, quae apud Anglicanos sub initio ritualis actionis ponitur: licet enim forma illa haberi forsan posset tanquam sufficiens in ritu aliquo ex iis quos Catholica Ecclesia probaverit, certe in anglicano ritu impar omnino iudicanda est.

8. — **Defectus debitae intentionis**. — At, dato etiam, etsi non concesso, anglicanos, in suis ordinationibus, debitam materiam debitamque formam adhibere, cum tamen apud eos recta deficiat intentio, ideo sacramentum minime perficiunt: quod quidem sequentibus verbis exponit Leo XIII[1]: *Cum quis ad sacramentum conficiendum et conferendum materiam formamque debitam serio ac rite adhibuit, eo ipso censetur id nimirum facere intendisse quod facit Ecclesia: quo sane principio innititur doctrina quae tenet esse vere sacramentum vel illud quod ministerio hominis haeretici aut non baptizati, dummodo ritu catholico, conferatur. Contra, si ritus immutetur, eo manifesto consilio, ut alius inducatur ab Ecclesia non receptus, utque id repellatur quod facit Ecclesia, et quod ex institutione Christi ad naturam attinet sacramenti, tunc palam est, non solum necessariam sacramento intentio-*

[1] Litt. ap. *Apost. curae*. Ibid., pp. 271, 272.

nem deesse, sed intentionem imo haberi sacramento adversam et repugnantem.

9. — **Definitio Leonis XIII.** — Quae cum ita constarent, Summus Pontifex Leo XIII, die 13 Septembris, 1896, decessorum suorum decretis in hac causa usquequaque assentiens, pronuntiavit et declaravit, *ordinationes ritu anglicano actas, irritas prorsus fuisse et esse, omninoque nullas* [1]: ex quo deducitur ordinatos in anglicanismo esse denuo, et quidem absolute, ordinandos.

10. — **Solvuntur difficultates.** — I. Penes anglicanos passim in usu habentur voces *presbyter* et *episcopus*. Atqui hisce terminis verum sacerdotium designatur. Ergo penes anglicanos verum habetur sacerdotium.

Resp. Dist. mai.: et voces illae usurpantur ad significandam proprie dictam potestatem sacerdotalem aut episcopalem, *nego;* ad significandam quamdam praesidendi et invigilandi deputationem, *trans. Dist. mai.*: in proprio sensu acceptis, *conc.*; large sumptis, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Aliud est id a quo nomen aliquod imponitur, aliud vero id ad quod significandum nomen istud imponitur. Porro, nomina *presbyter* et *episcopus* imposita sunt ab eo quod est aetate ac iurisdictione supereminere: presbyter enim idem est ac senior, et episcopus idem ac superintendens. Et quidem hisce nominibus catholici per quamdam derivationem usi sunt, ad significandum sacerdotium primi et secundi gradus; anglicani vero, quibus doctrina de Christi in Ecclesia reali praesentia et oblatione minime placet [2], per easdem voces nonnisi officium quoddam aut munus evangelium praedicandi designari volunt.

II. Instabis. — Atqui per has voces verum anglicani sacerdotium significant. Ergo. — *Prob. min. subs.* Sacerdotium et episcopatus proprie accepta dicuntur per ordinem ad sacramentorum administrationem. Atqui vera sacramenta, etiam in ritu anglicano, habentur. Ergo.

Resp. Dist. mai.: per ordinem ad qualiacumque sacramen-

[1] Ibid., p. 272. — [2] Cf. art. 28 et 29 inter XXXIX art. Eccl. angl.

ta, *nego*; potissime per respectum ad sacramentum Eucharistiae, quale in Ecclesia catholica praedicatur. *conc. Dist. min.*: aliquod sacramentum, *transeat*: ea sacramenta quae in Ecclesia catholica praedicantur, et maxime Eucharistia, prout est simul sacramentum et verum novae legis sacrificium, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Utique apud anglicanos baptismi sacramentum habetur; attamen, ad illius administrationem minime requiritur sacerdos, cum possit vel per laicum conferri. Quod vero Eucharistiam spectat, etsi membris Ecclesiae anglicanae, qui se ritualistas dicunt, placeat illam haberi tanquam sacramentum Corporis et Sanguinis Christi, id tamen ipsa formali illius ecclesiae professione prohibetur, cum et realem praesentiam et veri ac proprie dicti sacrificii notionem respuat. — Idipsum dicatur de sacramento poenitentiae. etsi episcopus anglicanus in ordinando presbytero dicat: *Accipe Spiritum Sanctum .. : quorum remiseris peccata*. etc.: quod enim ibi non significetur proprie dicta potestas sacramentalis remittendi peccata ex opere operato, ex hoc eruitur, quod anglicana professio tenet solatorii potius ministerii rationem absolutioni inesse, quam iudicialis sententiae vim atque proprie dictam virtutem. — Ubi ulterius iuverit advertere, potestatem peccata remittendi, utpote quae circa corpus Christi mysticum exercetur, praesupponere potestatem circa corpus Christi verum, quae potestas ita ab illa pendet, ut nulla sit ubi haec deficiat, ratio siquidem ac fundamentum potestatis in corpus Christi mysticum fundatur in potestate circa corpus illius verum ac reale [1].

[1] Cf. hac super re P. Salv. Brandi. *Rome et Cantorbéry*. Commentaire de la Bulle *Apostolicae curae*. Examen de la réponse des archevêques anglicans. Paris, Lethielleux.

QUAESTIO QUARTA.

(S., XXXVI; XXXIX).

DE SUSCIPIENTIBUS SACRAMENTUM ORDINIS.

Prologus.

1. — Ordo late et stricte sumptus. — Cum ordo dicatur per respectum ad sacerdotium, in quo suam habet perfectionem, sacerdotium vero interdum accipiatur stricte, interdum vero late; hinc ordo etiam uno modo dicitur late, alio vero stricte. Re quidem vera, aliud est sacerdotium proprie, aliud improprie dictum. Et hoc quidem, quod internum est atque mysticum, consistit in potestate offerendi *spirituales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum* [1], seu *hostiam laudis* [2], cuiusmodi sunt orationes ac cetera bona opera quae iusti, caritate informati, in cordis altari Deo immolant: quod sacerdotium commune est omnibus Christifidelibus qui, utpote abluti aqua salutari, sacerdotes dicuntur. Non utique, ait S. Augustinus [3], *de solis episcopis et presbyteris, qui proprie iam vocantur in Ecclesia sacerdotes*, dictum est: ERUNT SACERDOTES DEI ET CHRISTI [4]; *sed sicut omnes christianos dicimus propter mysticum chrisma, sic omnes sacerdotes, quoniam membra sunt unius sacerdotis; de quibus Apostolus Petrus:* PLEBS, *inquit*, SANCTA, REGALE SACERDOTIUM. Et hoc quidem sensu S. Hieronymus [5] memorat *sacerdotium laici* [6].

2. — Sacerdotium proprie acceptum. — Porro, non de huius generis sacerdotio hic loquimur, sed de sacerdotio

[1] 1 Petr., II, 5. — [2] Hebr., XIII, 15. — [3] L. XX de Civ. Dei, cap. 10. — [4] Apoc. XX, 20. — [5] Loco cit., 9. Cf. Apoc., I, 9. — [6] Dial. adv. Lucifer. n. 4.

proprie accepto, quod externum est atque visibile, et refertur ad potestatem Eucharistiam conficiendi, necnon remittendi ac retinendi peccata: quod quidem nullibi Scripturarum omnibus promiscue fidelibus competere ostenditur, sed solis delectis personis, quae ad hoc muneris sacra unctione sanctificantur, quas quidem christianorum charactere ornari debere, in tractatu de SACRAMENTIS IN COMMUNI [1] ostendimus. — Quae cum ita sint, praesentis quaestionis intentio est, conditiones rimari, quae in suscipiente sacramentum ordinis requiruntur.

3 — Quaenam in subiecto ad sacramenti ordinis susceptionem requiruntur. — Id vero quod in suscipiente ordinem requiritur, generaliter loquendo, est immunitas ab irregularitate et impedimento canonice constituto: irregularitas vero ex duplici capite oritur, scilicet ex defectu et ex delicto.

Porro, licet irregularitas non invalidet ordinationem, illam tamen illicitam reddit, et quidem ex praecepto Ecclesiae: siquidem, cum ordinati in speciali dignitate prae aliis constituantur, ideo ex quadam honestate requiritur in eis claritas quaedam, ut scilicet sint bonae famae, bonis moribus ornati, scientia et sanctitate ac libertate pollentes, atque ex honesto coniugio orti. Praeterea debet, in huius sacramenti collatione, attendi ad ordinationem Christi et Ecclesiae, ne videlicet ordinem superiorem quis recipiat, qui prius ad inferiorem non fuerit promotus; sed praecipue recolendum venit, neminem ad tantam dignitatem adipiscendam se temerario ausu intrudere debere, sed hominem parere debere voci Dei illum ad sui ministerium vocantis. Denique, sacerdotem necesse est illis carere criminibus, quibus sublime eius officium offuscaretur, et quae in Christum, quem repraesentat, quodammodo possent redundare.

4. — Intentio praesentis quaestionis. — Quae cum ita sint, praesentis quaestionis intentio est agere de conditio-

[1] Cf. tr. n. DE SACROSANCTO SACRIFICIO EUCHARISTICO. Quaest. I, art. 3 n. 4, p. 26. — [2] Quaest. LXIII, art. 6, nn. 7, 8, pag. 174.

nibus in subiecto requisitis, sive ad validam, sive ad licitam sacramenti ordinis susceptionem. Porro, de hisce conditionibus pertractare pertinet tum ad iuris peritos tum ad theologiae dogmaticae tractatores, at diverso respectu, etsi non diversa veritate: illi nimirum conditiones illas considerant, prout ex eisdem in singulis casibus salvatur ordinationum validitas aut liceitas; isti vero easdem rimantur ad normam principiorum fidei in Scriptura vel traditione contentorum. — Nostrum igitur hic erit ad examen revocare dotes quas, sive ex iure divino, sive ex Ecclesiae praescripto, novi Testamenti ministros exornari oporteat, aut conditiones quas illi observare debeant, praetermissis illis considerationibus quae ad rem moralem propius pertinent [1].

5. — **Ordo quaestionis**. — Porro huiusmodi conditionum aliae quidem sunt ex parte hominis consecrandi (1, - 5), aliae vero ex parte aliorum a consecrando (6 - 7) Et primo quidem, ex parte hominis consecrandi, aliae pertinent ad ipsum hominem (1 - 4), aliae autem ad ordinem servandum in sacramento suscipiendo (5). Earum vero quae ad ipsum hominem pertinent, aliquae ad naturam spectant (1 - 3), aliae ad animi dotes (4). Igitur, primo quidem inspecto naturae ordine, duo in dubium revocabuntur: unum, attento corpore (1), alterum ex parte animae (2 - 3): nimirum, attento corpore, dubitatur utrum sexus femineus impediat ordinis susceptionem (1); attenta autem anima, in dubium vertitur utrum rationis usu carentes (2) aut voluntate repugnantes (3) possint ordines suscipere. Inspectis animi dotibus, dubium exurgit, utrum ordinandum speciali bonitatis et scientiae dote exornari oporteat (4). Denique, resoluto dubio de ordine servando in hoc sacramento suscipiendo (5), quaestio movebitur de aliis a consecrando, qui quidem esse possunt vel Deus vel homines (6 - 7): nimirum, ut sciatur, primo, utrum specialis ex parte Dei vocatio requiratur (6), et utrum requiratur suffragium populi vel magistratuum (7).

[1] Cf. Supplem., Quaest. XXXIX, art. 3. Cf. Codex, can. 983, seq.



Hic igitur sex quaeruntur:

Primo. Utrum sexus femineus impediat susceptionem sacramenti ordinis.

Secundo. Utrum pueri et carentes usu rationis ordines possint suscipere.

Tertio. Utrum possit homo ordinari invitus.

Quarto. Utrum ad susceptionem sacramenti ordinis speciales animi dotes requirantur.

Quinto. Utrum illicita sit ordinatio per saltum.

Sexto. Utrum sine divina vocatione aliquis possit ad ordines accedere.

Septimo. Utrum ad electionem ministrorum Ecclesiae requiratur suffragium populi vel magistratuum.

Articulus I. — *Utrum sexus femineus impediat susceptionem sacramenti ordinis.*

1. — **Errores.** — Notum est, apud ethnicos invaluisse morem, ut mulieres aliquo sacerdotii genere insignirentur. Quod autem ad christianos attinet, refert S. Irenaeus [1], mulieres, apud Gnosticos, ad sacrificandum assumptas fuisse. Pa-

[1] L. de Haeres., Heer. XXIX, al. LXIX. Col., 1682, p. 418.

riter, S. Epiphanius [1], cui consentit S. Augustinus [2], commemorat plures haereticorum sectas, qui ordinare mulieres solebant, non solum in diaconissas, sed etiam in presbyteras ac episcopas. Ex laudato S. Epiphanio accipimus [3], apud Collyridianos, a mulieribus, uno solemni anni die, Beatae Mariae Virgini sacrificium conferri consuevisse. — Videtur autem huic errori vim et robur addita fuisse a deliramentis Montani, qui socias sibi adsciverat Priscillam et Quintillam, pseudo-prophetissas, a quibus ipsi Montani sequaces, Montanistae dicti, aliquando Priscilliani et Quintilliani dicti sunt. — Sciendum porro, ex protestantium doctrina, sponte hunc errorem deduci, et quidem, duplici ex capite: primo, quatenus non aliud illi sacrificium agnoscunt, nisi gratiarum actionis, precum ac laudis, quod profecto ab omnibus potest offerri; secundo, quatenus ex illorum principiis iurium et officiorum aequalitas in utroque sexu ultro agnoscitur.

2. — PROP. — **Nequit mulier sacramentum ordinis valide suscipere**.

3. — **Propositionis natura**. — Quod hic dicitur, omnes quidem ordines respicit, etsi non aequali censu: dici namque potest, de fide esse quod episcopatum, presbyteratum et diaconatum mulieres suscipere nequeant, quod de inferioribus ordinibus aequa lance nequit asseri, etsi idipsum de his etiam tanquam res certissima sit retinendum. Singularis autem est Paludani sententia [4], mulieribus primae tonsurae aditum fieri.

4. — **Sacra Scriptura**. — Imprimis, veritas haec aperte eruitur ex Sacra Scriptura: enimvero praestantior longe est sacerdotalis dignitas Novi Testamenti prae munere sacerdotali quod in Veteri Testamento vigebat. Atqui nullibi in Sacra Scripura Veteris Testamenti exhibetur hoc munus mulieribus demandatum. Ergo multo magis, sub Lege nova, ab

[1] L. I adv. Haeres., c. 9. — [2] L. de Haeres., Haer. XXVII. — [3] Haeres. LIX. al. LXXIX, p. 1057. — [4] In 4, Dist. XXV, Quaest. III, art. 1, conclus. 1, n. 4.

hoc munere mulieres excludendae censentur. Re quidem vera, Apostolus expresse vetat ne mulieres palam doceant: ait enim [1]: *Mulieres in Ecclesia taceant; non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut et lex dicit* [2]; et rursus [3]: *Docere* (scilicet in publico) *mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio;* et hoc quidem quia, ait Dionysius Cartusianus [4], *communiter ratio debilis est in feminis, suntque nimis loquaces et ad vanitatem proclives; sermo quoque earum luxuriam potius incitat saepe quam devotionem, iuxta illud* [5]: COLLOQUIUM MULIERIS QUASI IGNIS EXARDESCIT [6]. Porro, quod de docendo dicitur, a fortiori de munere sacrificali valet.

5. — **Traditio.** — Ecclesiae vero traditionem exhibet non solum constans usus solos viros ad sacerdotalia munia assumendi, sed etiam multiplex Patrum et Conciliorum testimonium. — Sic Tertullianus dicit [7]: *Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui; sed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum sacerdotalis officii sortem sibi vindicare.* Pariter S. Epiphanius [8]: *Nunquam enim, ex quo mundus conditus est, sacerdotio est functa mulier ac ne Eva quidem ipsa.* Et rursus [9]: *Si sacerdotium mulieribus mandatum foret, aut canonicum quiddam praestare in Ecclesia liceret, nulli potius quam Mariae illud in novo Testamento committi sacerdotis officium debuit, cui tantus honor est habitus, ut gremio sinuque suo Regem omnium ac caelestem Deum Deique Filium exciperet... Verum longe Deo aliter est visum, ac ne baptizandi quidem potestas est illi facta.* — Denique, in Concilio Laodiceae celebrato [10], legitur [11], *non oportere eas, quae dicuntur praesbyterae et praesidentes, in ecclesiis constitui* [12].

6. — **Ratio theol.** — Cum sacramentum sit signum eorum quae in sacramento peraguntur, ad sacramentum valide ha-

Cor., XIV, 34. — [2] Gen., III, 16. — [3] 1 Tim., II, 12. — [4] In — [5] Eccli., IX, 11. — [6] Cf. S. Epiphan., locis supra memoratis. — [7] De Veland., Virgin., c. IX. — [8] Haeres. LIX. al. LXXIX, n. 2, p. 1059. — [9] Ibid., n. 3. — [10] Circa a. D. 360. — [11] Can. XI. — [12] Mansi, t. II, col. 565.

bendum, non solum requiritur res, sed etiam significatio rei: sic in extrema unctione requiritur quod sit infirmus, ut significetur curatione indigens. Atqui in sexu femineo non potest significari illa eminentia gradus quae in ordine importatur, eo quod conditio mulieris non excellentiae est aut imperii, sed magis subiectionis relate ad virilem potestatem. Ergo mulier non est capax ordinis sacramenti suscipiendi [1].

7. — **Solvuntur difficultates.** — I. Prophetae officium aliquando mulieribus est concessum, ut patet de Holda, uxore Sellum [2]; eis etiam competit martyrium et status religionis. Atqui prophetiae officium, necnon martyrium et religionis status quamdam eminentiam secumferunt, non secus ac ordo. Ergo mulieribus competit etiam ordo Ecclesiae.

Resp. Conc. mai. Dist. min.: et ista sunt mera officia aut dignitates, *conc.;* sacramenta in quibus, sicut in ordine, exigitur significatio, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Prophetia non est sacramentum, sed Dei donum; unde ibi non exigitur significatio, sed solum res: et quia secundum rem in his quae sunt in anima, mulier non differt a viro, cum quandoque mulier inveniatur melior quantum ad animam multis viris, ideo donum prophetiae recipere potest, sicut etiam dignitatem martyrii aut ingressum in religionis statum, ita ut in eo vota solemnia emittat: non tamen potest ad ordines promoveri [3].

II. Mulieribus praelatio commissa est, ut constat de Debora, quae iudicavit Israel [4]. Ergo eis etiam competere potest ordinis sacramentum.

Resp. Dist. antec.: praelatio ordinaria et per modum iurisdictionis, *nego:* quasi ex commissione et per modum directionis cuiusdam, *conc. Nego conseq. et conseq.* — Mulieribus non competit praelatura ordinaria et potestas iurisdictionalis: nam, quemadmodum incapaces sunt ordinis, ita etiam ecclesiasticae iurisdictionis. Exercere tamen possunt dominativam potestatem, non quidem in rebus sacerdotalibus, sed in temporalibus, qualis fuit potestas Deborae: unde et

[1] S., Quaest. XXXIX, art. 1. — [2] 4 Reg., XXII, 14. — [3] Ibid., ad 1[m] et 2[m]. — [4] Iudic., IV, 4.

nunc possunt mulieres temporaliter dominari. De abbatissis vero dicendum, quod non habent praelationem ordinariam, sed quasi ex commissione, propter periculum cohabitationis virorum ad mulieres [1].

III. Ex S. Paulo accipimus [2], in Christo non esse distinguendum masculum inter et feminam. Ergo mulieribus aeque ac viris competere possunt munia sacerdotalia.

Resp. Quod ibi ait Apostolus, ea spectat non quae ad ministerium ecclesiasticum aut sacras ordinum functiones referuntur, sed quae pertinent ad rationem fidei et finem salutis a Christo obtinendae: *omnes enim*, ait ille [3], *filii Dei estis per fidem quae est in Christo Iesu* [4].

8. — Scholion. — Attamen a vero exularet, qui censeret ipso naturae iure mulierem a sacerdotis officio arceri: etsi enim id non sola Ecclesiae ordinatione, sed divina dispositione dicendum est vetitum, simpliciter tamen naturae iuri non obstat, cum ipsa mulieris conditio id officii minime excludat.

9. — Quaestio I. — *Quaenam fuerunt, presbyterae et episcopae?*

Resp. Huiusmodi sic videntur dictae, non ab aliquo gradu aut ministerio sacro, sed vel a viro qui, suscepta cum uxoris consensu et simul cum ea, lege continentiae, ad ordines fuerat assumptus, vel a filio qui ad illos ordines fuerat promotus. Aliquando etiam presbyterae dictae sunt viduae seniores, ea ratione qua *presbyter* graece idem est ac *senior;* quae quidem viduae non solum a novis nuptiis contrahendis sese abstinebant, sed voto etiam ad castitatem perpetuo servandam seipsas adstringebant [5].

[1] Ibid., ad 2[m] et 3[m]. Cf. etiam quae scripsimus in tr. DE PRIMA HOMINIS FORMATIONE, Quaest. XCII, art. 3, n. 8. — [2] Gal., III, 27. — [3] Ibid., 26. — [4] Apud Historiae ecclesiastiae scriptores videri potest confutatio ridiculae fabulae de Ioanna Papissa, quae inter Leonem IV et Benedictum III, saeculo nono, ad pontificalem sedem Romae evecta fuisset. — [5] Vide quae de *Diaconissis* supra disseruimus, Quaest. I, art. 4, n. 10, p. 159.

10 **Quaest. II.** — *Utrum diaconissae aliquo speciali ritu consecrarentur?*

Resp. Affirmative, ut vetustis monumentis apparet [1], et in Concilio Chalcedonensi legitur [2]: *Diaconissam non ordinandam ante annum quadragesimum, et hanc cum summo libramine. Si vero suscipiens manus impositionem* χειροτονίαν, *et aliquantum temporis in ministerio permanens, semetipsam tradat nuptiis, gratiae Dei contumeliam faciens, anathematizetur huiusmodi cum eo qui eidem copulatur* [3]. Attamen, sedulo cavendum est, ne dicatur, in huiusmodi ordinatione vel consecratione, sacramenti rationem, qualis viris diaconatum suscipientibus competit, inesse: cum pure caeremonia ecclesiastica fuerit illa manuum impositio, qua nulla sic ordinatae mulieri in corpus Christi verum aut mysticum auctoritas conferebatur. Quocirca iure concludit S. Epiphanius: *Quamquam diaconissarum in Ecclesia ordo sit, non tamen ad sacerdotii functionem aut ullam huiusmodi administrationem institutus est* [4].

11. — **Quaest. III.** — *Utrum, et quo sensu possit Beata Virgo dici sacerdos?*

Resp. Appellatio ista, *Virgo sacerdos*, invenitur a quibusdam antiquis scriptoribus Deiparae attributa: sic quippe a S. Ioanne Damasceno Maria vocatur θυηπόλος νεᾶνις, *Dei sacerdos iuvencula* [5]; et S. Antoninus de ea dicit [6]: *Fuit et sacerdotissa iustitiae, quae proprio Filio non pepercit, sed stabat iuxta Crucem Iesu;* unde Pius IX in epistola ad Dom. Van den Berghe [7], asserere non dubitabat quod Maria *Virgo sacerdos appellata fuerit ab Ecclesiae Patribus.*

At sedulo cavendum est ne terminus *sacerdos*, Deiparae attributus, accipiatur vel in sensu propriissimo, qualiter Christo convenit, vel etiam in sensu proprio, qualiter novae

[1] Tertullian., l. I, ad uxorem, c. 7; Conc. Nic. I, can. 19; Const. apostol., l. VIII, cc. 19, 20. — [2] Can. 15, t. XIV, p. 776. — [3] Cf. Ordo Rom. in Biblioth. PP., t. XIII, p. 736, Goar., in Euchol. Graecor., p. 262, refert officium ordinandi diaconissam. — [4] Cf. supra, p. 159. — [5] Homil. II in Nativ. B. M. V., n. 7, t. II, p. 877. — [6] Summ. IV P., tit. XV, cap. 3. — [7] 25 Aug., 1873.

Legis ministris competit: primo enim, Christi sacerdotium fundatur in plenitudine gratiae, in ipsius humanitatem ex divinitate hypostatice unita promanante in ordine ad salutem hominum; ministri vero novi Testamenti sacerdotalem potestatem ex sacramentali sua consecratione derivant: Mariae autem non fuit gratiae plenitudo qualis Christo competit; aliunde ordinis sacramenti capax ipsa minime extitit.

12. — Beata Virgo appellatur sacerdos metaphorico sensu, gradu tamen excellentissimo — Equidem sacerdotium, lata quadam ratione, seu metaphorice aut improprie acceptum, omnibus christifidelibus eo ipso competit, quod spirituales Deo hostias offerunt, id est fructum bonorum operum. At Mater Dei non solum opera sua Regi Deo perfectissime dicavit [1], verum etiam ea praestitit, relate ad nos, quae ad sacerdotis officium, quod est ut sacra det hominibus, humana Deo, pertinent; unde rite vocatur nostra ad suum Filium excellentissima mediatrix. Ipsa enim nobis dedit Christum, salutis pignus; illum nutrivit, atque defendit, et usque in diem sacrificii custodivit; immo illum Patri obtulit in ara Crucis in remissionem peccatorum nostrorum, nunc quoque constituta manet *princeps largiendarum gratiarum ministra*, ut eam vocat Pius X [2].

Quocirca, sensu utique metaphorico, excellentissima tamen ratione, Beata Virgo dici potest Virgo sacerdos; qua etiam ratione appellatur Virgo Coredemptrix, in quantum, sub Christo, prima omnium, saluti nostrae cooperata est, quatenus pretium redemptionis nostrae, Christum gignendo, custodiendo et offerendo, Deo persolvit.

13. — Verba Benedicti XV. — Praecipue autem, in hac re, ob oculos haberi debent sequentia verba Benedicti XV: *Tradunt communiter Ecclesiae Doctores. B. Mariam Virginem. quae a vita Iesu Christi publica veluti abesse visa est. si Ipsi mortem oppetenti et Cruci suffixo adfuit, non sine divino consilio adfuisse. Scilicet ita cum Filio patiente et moriente passa*

[1] Ps. XLIV, 2. — [2] Ep. Enc. *ad diem illum*, 2 Febr., 1904.

est et paene commortua, sic materna in Filium iura pro hominum salute abdicavit placandaeque Dei iustitiae, quantum ad se pertinebat, Filium immolavit, ut dici merito queat, Ipsam cum Christo humanum genus redemisse [1].

Articulus II. — *Utrum pueri et carentes usu rationis ordines possint suscipere.*

1. — Quorumdam sententia minus probanda. — Fuit nunnullorum theologorum, quos inter Durandi [2] et Tournely [3], sententia, infantes atque non rationis carentes, incapaces esse sacramenti ordinis: quibus novissime suffragatus est Paulus Schanz [4]: horum tamen positio communiter a theologis reiicitur. — Sit ergo

2. — PROP. — Infantes et rationis usu carentes, valide, etsi non licite, possunt ordinari.

De validitate, ut ex recitatis verbis patet, non autem de liceitate hic sermo est; cum plures exstent ecclesiastici canones, quibus, inter cetera ad ordinationem requisita, determinata quoque aetas, qua rationis usus profecto praesumitur, constanter assignatur [5].

3. — Auctoritates. — Id imprimis evincitur auctoritate Innocentii III, qui consultus quid de clerico esset agendum, qui cum infra discretionis annos ordinibus minoribus initiatus fuisset, postea, praetermisso diaconatu, sacerdotio fue-

[1] Breve, *Inter sodalicia*, 22 Mart., 1918. Cf. quae scripsimus in op. *L'Immacolata Madre di Dio. Corredentrice del genere umano.* Roma, 1910. Cf. etiam Tr. n. de B.ma Virgine Matre Dei, P. III, c. I, a. 3, n. 20. — [2] L. IV, Dist. XXV, Quaest. II, n. 8, Ven. 1571. — [3] Praelect. theol de Sacram. Ord., t. X, p. 82, Ven., 1739. — [4] Die Lehre von den heiligen Sacramenten der katholischen Kirche. Freiburg im B., 1893, p. 696. Eius verba sunt: *Doch hat Tournely nicht so Unrecht wenn er sich für die Ungiltigkeit entscheidet, da die Bedingungen der Canones die Kinder ausschliessen. Die gegenteilige Meinung sei uns « a scholasticis aliquibus ratiociniis », welche in der Schrift und Tradition keinen Halt haben, vertheidigt worden.* — [5] Infra, n. 7.

rat auctus, — respondit illum ordinandum esse diaconum, nulla de aliis ordinibus facta mentione: ex quo deducitur, ordines illos tanquam ratos aut valide collatos a Pontifice habitos fuisse [1].

Porro, enunciatam sententiam expresse tradidit S. Bonaventura, qui perpensis hinc inde rationibus, concludit [2]: *Non est necessarius usus rationis ad sacramenti esse vel suscipere, sed solum quantum ad bene esse et digne suscipere, loquendo de ordinibus proprie.* Clariora adhuc sunt quae leguntur in Catechismo Romano [3]: *Pueris autem et furiosis vel amentibus, quod usu rationis careant, hoc sacramentum dandum non est; quamvis, si iis quoque administretur, sacramenti characterem in eorum animam imprimi, certo credendum sit.* Demum huc accedit auctoritas Benedicti XIV, qui de contraria sententia ait, quod *raros habet asseclas, et... supremis tribunalibus et Congregationibus Urbis nunquam arrisit* [4].

5. — Suadetur. — Pueri possunt suscipere alia sacramenta in quibus character imprimitur, videlicet baptismum et confirmationem. Ergo pari ratione et ordines [5]. — Nec valet obiici interpretativam intentionem sufficere quidem pro sacramentis illis, eo quod ad salutem suscipientium conferunt: nam ad salutem quoque hominis confert sacramentum ordinis, sicut cetera sacramenta, cum gratiam ex opere operato conferat. Unde parvuli ordinem valide suscipiunt sicut suscipiunt baptismum et confirmationem, imo et Eucharistiam [6].

6. — Ratio theol. — Licet, generaliter loquendo, eiusdem sit potentia cuius est actus, tamen non repugnat ut habeatur potentia, licet actus deficiat, sicut vidimus quod liberum arbitrium esse potest sine usu illius. Enimvero, deficiente rationis usu, praestatur impedimentum actui; et ideo

[1] Decret., l. V, tit. 29, Cap. un. *Tuae litterae.* — [2] In 4, Dist. XXV, art. 2, Quaest. II, tit. IV, p. 652. — [3] De Sacram. Ordinis. n. 33. — [4] Instruct. data de ritibus copticis. *Eo quamvis tempore.* 4 Maii. 1745. Bull, t. I, p. 516, n. 20. — [5] S., Quaest. XXXIX, art. 2, sed contra, 2. — [6] Cf. tr. n. DE SACRAMENTIS IN COMMUNI, Quaest. LXIV, art. 10, app. I, n. 11.

omnia illa sacramenta, quae requirunt actum suscipientis sacramentum, invalide conferuntur pueris usu rationis carentibus, qualia sunt poenitentia, et matrimonium: in poenitentia enim actus poenitentis se habent tanquam materia; matrimonium vero causat consensus, et tum illi actus, tum iste consensus sine usu rationis esse non possunt. — Porro, potestates seu habitus infusi sunt priores actibus, sicut et naturales, quamvis habitus acquisiti sint posteriores, cum generentur ex repetitione actuum. Remoto autem posteriori, non tollitur prius; et ideo omnia sacramenta, in quibus non requiritur actus suscipientis de necessitate sacramenti, sed potestas aliqua spiritualis divinitus datur, possunt pueri et alii qui usu rationis carent suscipere [1].

7. — **Scholia I.** — Statuto quod discretionis aetas pro nullo ordine suscipiendo requiritur de necessitate sacramenti, attendendum tamen est, congruam aetatem postulari pro honestate et dignitate sacramenti, de qua re exstant Ecclesiae praescripta, quae variari secundum temporum differentiam possunt. Enimvero potuit aliquando fieri ut ad minores ordines parvuli sine peccato promoverentur, quatenus, licet idonei non essent ad officia eisdem ordinibus commissa, spes tamen affulgeret fore ut illi vel ab unguiculis huiusmodi vitae statui assuefacti, ad munia illa rite adimplenda aptiores redderentur. Ad maiores ordines vero, et maxime ad episcopatum [2], semper requisitus est, etiam de necessitate praecepti, usus rationis, tum propter votum continentiae quod illi habent adnexum, tum etiam propter gravia officia ministris huiusmodi commissa. – Nunc vero ad omnes, sive maiores, sive minores ordines suscipiendos, imo ad primam clericalem tonsuram, praescripta manet ab Ecclesia aetas, quam praetermittere non licet [3].

[1] Ibid. — [2] Advertat lector, id quod hic habet Angelicus, ad episcopatum de necessitate consecrationis episcopalis requiri quod homo usum rationis habeat, quatenus innuere velit episcopatum invalide conferri homini usu rationis carenti, dubitative tantum proponi: eadem quippe est ratio de episcopatu, quae est de sacerdotio et aliis ordinibus. — [3] De aetate ad ordines requisita, cf. can. 975 Iuris canonici.

II. Quod hic de parvulis dictum est usum rationis nondum adeptis, aequa lance pro adultis valet, quibus, puta, ordo conferatur vel cum somno obruuntur, vel cum ad ordinationem sibi collatam minime advertunt, dommodo tamen ipsimet actu non contradicant: non enim idem est defectus rationis vel advertentiae et formalis repugnantia, ut falso assumit Tournely [1]; unde mox dicemus repugnantes vel formaliter invitos invalide ordinari.

8. — **Quaestio.** — *Utrum parvuli, ante usum rationis ad ordines promoti, teneantur obligatione adimplendi onera ordinationis adnexa?*

Resp. Olim quidem, id est, ad saeculum usque decimum secundum, parvuli rationis expertes, ad ordines maiores, id est diaconatum aut presbyteratum, promoti, sicut etiam adulti per vim diaconi aut sacerdotes ordinati, omni sui posteriori reclamatione posthabita, cogebantur muneribus respectivis ordinibus adnexis, non exclusa lege perpetuae continentiae, subiacere: quod etiam proportionaliter observabatur relate ad pueros illos, quos eorum parentes sacris monachorum coenobiis, in infantili aetate, devovissent. Postea tamen, ut observat Benedictus XIV [2], *mitioribus Clementis III, Caelestini III et Tridentinae Synodi decretis, abrogata fuit lex illa, contra quam naturae et liberi arbitrii iura clamare videbantur.* Igitur, cum a libera cuiusque voluntate pendeat electio status, ut idem observat Benedictus XIV [3], et Altissimo nostra, non autem aliena, vota reddere teneamur, ideo nescientes aut inviti ad praedictos ordines promoti, nunc ab eorumdem ordinum oneribus liberi censentur, nisi ipsimet libera mente illa se suscipere declarent: quod quidem et ad ordinatos ante pubertatem a theologis extendi affirmat praelaudatus Benedictus XIV [4].

9. — **Consuetudo parvulis ecclesiastico statui devovendi.** — Quoniam autem consuetudinem recensuimus olim vigentem, parvulos ante usum rationis statui ecclesiastico utcumque devovendi, opportune hic notabitur, aliud esse quod aliqui

[1] Loc. cit. — [2] Instructio citata de ritibus copticis, loc. cit., p. 517 n. 21. — [3] Loc. cit., p. 516, n. 20. — [4] Loc. cit., p. 517, n. 23.

in diaconos, presbyteros aut etiam episcopos, fuerint promoti, aliud vero quod fuerint ecclesiastico statui simpliciter consecrati. Et hoc quidem postremum communius fiebat, scilicet religionis causa, quatenus parvuli illi, ab ipsa pene infantia, in divino servitio enutriti, rerum ecclesiasticarum postea peritissimi evaderent, prout scite observat Cardinalis Bona [1]. Istis siquidem primo tondebantur capilli, tum lectoratus ordo conferebatur; tanti vero fiebat parentum voluntas, ut a clericali vitae instituto, parvuli illi iam grandiores effecti, amplius discedere minime possent, etsi ad castitatem servandam inviti non cogerentur, integro sibi manente, postquam adoleverant, aut suscepto subdiaconatu, perpetuae se continentiae lege obstringere, aut uxorem in coniugio ducere [2].

Quod autem attinet ad monasticam vitam, non solum filii iam nati, sed qui etiam in utero matris adhuc latebant, vovebantur: quibus postea regressus ad saeculum interdicebatur [3]. Et haec quidem antiquitus; at Caelestinus III statuit ut puer, monasterio oblatus, cum ad annos discretionis pervenisset, compellendus non esset ad habitum regularem retinendum, si renuisset [4].

Articulus III. — *Utrum possit homo ordinari invitus.*

1. — Involuntarium dupliciter acceptum. — Inquisituri modo, utrum ad validam sacramenti ordinis susceptionem aliqua voluntatis adhaesio requiratur, praemittere debemus involuntarium dupliciter sumi posse, scilicet simpliciter et secundum quid. Primum illud est cui voluntas formaliter refragatur vel penitus contradicit, etsi forsan in aliis circumstantiis huic rei assentiretur; alterum vero est id cui voluntas, licet aegre quidem et reluctanter, realiter tamen

[1] Rer. liturgic. l. I, c. 25, § 18. Taurin., 1749, t. II, 374. — [2] Cf. Concil. Toletan. II, anno 531, can. I. Mansi. t. VIII, col. 785. — [3] Conc. Wormatiense, a. 868. Can. XXIII. Mansi. t. XV. col. 873, — [4] Cap. 14 de Regular. Cf. Innocent. III, l. XV, ep. 116 ad episc. lugdunen., Paris, 1682, t. II, p. 644.

adhaeret. Solet in hanc rem exemplum adduci mercatoris qui, saeviente tempestate, merces in mare proiici iubet, ut propriae ac sociorum vitae consulat: id nimirum nonnisi aegro facit animo ut mortem effugiat, cum vellet merces simul et vitam conservari: attamen, ex quo mercium iacturam decernit, ostendit illam sibi simpliciter esse voluntariam, et solum secundum quid involuntariam.

2. — PROP. — α) **Qui simpliciter est invitus, ordinationem suscipit invalide**; β) **non autem qui est secundum quid tantum invitus.**

3. — **Prob. 1ª Pars.** — Ex responso Innocentii III [1], qui reprobat sententiam dicentium quod *sacramenta quae per se sortiuntur effectum, ut baptismus et ordo, ceteraque similia, non solum dormientibus et amentibus, sed invitis et contradicentibus, etsi non quantum ad rem, quantum tamen ad characterem, conferuntur.* Qui etiam addit: *Inter invitum et invitum, coactum et coactum, alii non absurde distinguunt, quod is qui terroribus atque suppliciis violenter attrahitur, et ne detrimentum incurrat, baptismi suscipit sacramentum;* demum rationem affert: *Ille qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem nec characterem suscipit sacramenti, quia plus est expresse contradicere, quam minime consentire.*

4. — **Ratio theol.** — Cum creatura rationalis libertate gaudeat, hinc Deus in beneficiis quae homini impertit, hanc legem sequitur, ut nonnisi volentibus et consentientibus fiant; ideoque eadem renuentibus denegat. Porro, ordinis sacramentum, sicut sacramentum baptismi et confirmationis, inter divina beneficia computatur. Ergo renuentes ea suscipere nequeunt. Quod si parvulis usum rationis non habentibus, aut etiam adultis minime consciis, valide administrantur, hoc ideo est, quia aliquis in eis supponitur consensus, scilicet habitualis implicitus vel etiam interpretativus, quo scilicet censentur illi bonum spirituale, quale est sacramentum supradictum, renuere nolle, si sibi semel offerretur. E

[1] Decret. Greg. l. III, t. 42, cap. 3, *Maiores.*

contra, excluso per positivum actum omni consensu, homo sacramentum valide suscipere nequit, ut communiter concludunt theologi.

5. — **Corollarium.** — Quae cum ita sint, inferendum est, eum gravis sacrilegii peccati reum evadere, qui invitum omnino ac penitus contradicentem ordinare praesumeret; sic enim sacramentum non solum nullitati, sed etiam ludibrio exponeret, nudam ac inanem caeremoniam celebrans. Nimirum, gravius ille peccaret quam qui parvulo aut inscio manus imponeret, cuius reatus in hoc tantum consisteret, quod praescriptum Ecclesiae non servaret.

6. — **Prob. 2ª Pars.** — Quod est involuntarium secundum quid est voluntarium simpliciter, ut diximus; ideoque quantumvis quis extrinsecus obsistat, aut in aliis quidem circumstantiis rem vellet aliter fieri, revera tamen interna animi adhaesione propositae ordinationi assentitur; et hoc quidem sufficiens est, ut sciens et volens sacramentum simulque sacramenti virtutem suscipiat.

7. — **Ordinationem ob humilitatem suscipere renuentes.** — Sciendum autem, pluribus modis posse aliquem sacram ordinationem, cui secundum quid refragatur, veluti coactum suscipere. Primo quidem, quando quis videlicet, actus propriae indignitatis sensu et magnitudine oneris assumendi perterritus, renuit ex humilitate ordines suscipere, donec populi aut praelatorum precibus devictus assentiatur. Huiusmodi animi dispositionis multa prostant in Sanctorum vitis exempla, qui lacrimis, fuga, membrorum mutilatione, aliisque modis, declinare conati sunt sacram ordinationem, et nonnisi aegro prorsus animo, manus sibi imponi siverunt.

Sic S. Paulinianum, S. Hieronymi fratrem, narrat S. Epiphanius se renitentem ac reluctantem ordinasse; quem tamen interne consensisse, ex hoc evincitur, quod sponte postea ac libere in susceptis ordinibus ministrasse perhibetur [1]. Praeclara quoque sunt quae de S. Cornelio in episcopum romanum

[1] Epist. S. Epiphan. ad Ioan. Hierosolymit., inter ep. S. Hieronym. CX, al. LX.

electo et ordinato narrat S. Cyprianus [1], qui, *non ut quidam vim fecit ut episcopus fieret, sed ipse vim passus est ut episcopatum coactus acciperet.*

Qua in re, in laudem praelatorum sui temporis scribebat S. Augustinus [2]: *Multi, ut episcopatum suscipiant, tenentur inviti, producuntur, includuntur, custodiuntur, patiunturque quae nolunt, donec adsit eis voluntas suscipiendi operis boni.* Qui etiam de seipso testabatur [3]: *Eo tempore quo discere coeperam, vis mihi facta est, merito peccatorum meorum.... ut secundus locus gubernaculorum mihi traderetur, qui remum tenere non noveram.* Demum, ad rem omnino pertinet illud S. Gregorii Magni [4]: *Sicut is qui invitatus renuit, quaesitus refugit, sacris est altaribus admovendus; sic qui ultro ambit, vel importune se ingerit, est procul dubio repellendus.*

8. — **Ordinationem ob metum suscipientes.** — Alio autem modo, potest quis, licet prima fronte repugnet, sacrae ordinationi velut coactus assentiri, ductus timore, quem reverentialem vocant, ne videlicet parentum vel superiorum voluntati obsistere videatur, aut iterum timore periculorum quae sibi secus possent obvenire. Sic non raro factum est, ut nonnulli sacerdotium vel religiosam vitam, tanquam tutum asylum, sint amplexi, ut potentiorum violentiae sese eriperent, aut saecularium principum potestati se subducerent. Hi nimirnm, sicut et priores, non omnino ac simpliciter dicendi sunt inviti ordines suscepisse, sed secundum quid, eo scilicet modo quo mercator, tempestate irruente, merces in mare proiicit, ne ipse et socii in aquis suffocentur.

9. — **Scholion.** — Relate ad ordinationem sub metu gravi susceptam, prae oculis habenda est sequens Iuris dispositio [5]: *Clericus qui metu gravi coactus ordinem sacrum recepit, nec postea, remoto metu, eamdem ordinationem ratam habuit saltem tacite per ordinis exercitium, volens tamen per talem actum*

[1] Epist. LII, ad Antonianum. — [2] Epist. ad Donatum, CLXXIII, al. CCIV, t. I, p. 613. — [3] Epist. ad Valerium episc., XX, al. CXLVIII, n. 1, t. II, col. 25. — [4] Epist. ad Syagrium, Augustodunensem episcop., t. II, p. 1007. — [5] Can. 214, § I.

obligationibus clericalibus se subiicere. ad statum laicorum, legitime probata coactione et ratihabitionis defectu, sententia iudicis redigatur, sine ullis coelibatus ac horarum canonicarum obligationibus.

Circa quem canonem observandum nobis videtur, tum coactionem, tum ratihabitionis defectum iudicialiter rite comprobari debere, cum res sententia iudicis sit dirimenda: unde quod dicitur: *volens per talem actum*, scilicet per ordinis exercitium, *obligationibus clericalibus se subiicere*, intelligendum est hoc sensu, quod ratihabitionis defectus, si quis praetexatur, rite debeat in foro externo comprobari.

Articulus IV. — *Utrum ad susceptionem sacramenti ordinis requirantur speciales animi dotes.*

I. — Differentia inter ordinem et cetera sacramenta. — Ut quis rite dignoscere valeat quibusnam animi dotibus candidatos ad sacerdotium, non quidem de absoluta necessitate, sed certe de summa convenientia, exornari oporteat, iuvabit praeprimis discrimen ob oculos tenere quod inter sacramentum ordinis et cetera sacramenta intercedit. Nimirum, in ordinis sacramento officium quoddam confertur, vel spiritualis potestas aliquid faciendi vel praestandi in bonum christifidelium: unde ad hoc sacramentum habet se homo quodammodo active, eo quod illud suscipit propter hierarchicas functiones in Ecclesia exercendas. In aliis vero sacramentis non confertur simile officium vel similis potestas ad agendum; unde ad ea homo se habet quodammodo passive ad instar suscipientis, quia illa recipit solummodo propter proprium statum perficiendum [1]. Quapropter iam sequitur, ad cetera sacramenta congrue suscipienda, semper sufficere subiecti debitam mentis dispositionem; ad hoc sacramentum vero rite suscipiendum praeterea requiruntur quaedam in subiecto dispositiones, quibus illud idoneum reddatur ad tantum munus exercendum.

[1] S. Quaest. XXXIV, art. 4, ad 4[m]. Advertendum tamen, quoad sacramentum confirmationis, potestatem quae in eo confertur, esse etiam quadamtenus activam. Tract. n. de confirmatione, art. 5, n. 8.

2. — **Verba Catechismi Romani.** — Ad rem autem omnino sint quae leguntur in Catechismo Romano [1]: *Maximam in hoc sacramento* (ordinis) *cautionem adhibendam esse ita colligitur, quod cetera gratiam ad illorum sanctificationem et usum tribuunt, a quibus percipiuntur: at vero qui sacris initiantur, ob eam rem caelestis gratiae participes fiunt, ut eorum ministerio, Ecclesiae atque adeo omnium hominum saluti consulatur. Ex quo factum esse intelligimus, ut statis tantummodo diebus, quibus etiam solemnia ieiunia, ex vetustissimo Ecclesiae more, indicuntur, ordinationes fiant: ut scilicet fidelis populus eiusmodi sacrarum rerum ministros piis et sanctis precationibus a Deo impetret, qui ad tanti ministerii potestatem recte et cum Ecclesiae utilitate gerendam aptiores esse videantur.* — His positis, sit

3. — PROP. — **Ad rite suscipiendum ordinis sacramentum, requiruntur et morum integritas, et competens scientia.**

4. — **Sacra Scriptura.** — Id primo generali ratione ex Sacra Scriptura eruitur, ubi S. Paulus qualitates recenset ad quosdam ordines requisitas. Nimirum, loquens de episcopis, declarat quibusnam virtutibus praeditos illos esse oporteat, et quibusnam vitiis carere debeant, dicens [2]: *Oportet episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum... Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, et in laqueum diaboli.* Et rursus [3]: *Oportet episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem; non superbum, non iracundum, non violentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, sed hospitalem, benignum, sobrium, iustum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere.* — Pariter, loquens de presbyteris, ait [4]: *Huis rei gratia reliqui te Cretae.... ut constituas per civitates presbyteros... si quis sine crimine est.* — Deum de diaconis haec habet [5]: *Dia-*

[1] P. II, de Ord. sacr., n. 53. — [2] 1 Tim., III, 2. — [3] Tit., I, 7-9. — [4] Ibid., 5, 6. — [5] 1 Tim., III, 8-10.

conos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura. Et hi autem probentur primum, et sic ministrent, nullum crimen habentes.

5. — Ecclesiae praxis. — Hanc autem constantem fuisse Ecclesiae praxim, ut nonnisi viri vitae integritate conspicui ad ordines assumerentur, ex antiquissimis canonibus constat. Sic, in primo generali Concilio, id est Nicaeno I [1], dicitur quod si quis criminis reus ad ordines irrepsisset, cognitus statim deponi deberet: *Quicumque ex iis qui lapsi sunt, vel per ignorantiam, vel scientibus iis, qui promoverunt, ordinati sunt, hoc ecclesiastico canoni non praeiudicat: ii enim cogniti deponuntur.* Pariter, Tridentinum Concilium, loquens de promovendis ad sacros ordines, ait [2]: *Sciant tamen episcopi, non singulos in ea aetate constitutos debere ad hos ordines assumi, sed dignos duntaxat, et quorum probata vita senectus sit.* Et rursus [3], ut ad presbyteratus ordinem ii assumantur qui *ad docendum populum, et administranda sacramenta, diligenti examine praecedente, idonei comprobentur, atque ita pietate ac castis moribus conspicui, ut praeclarum bonorum operum exemplum, et vitae monita ab eis possint exspectari.*

6. — Patrum effata. — Idipsum Patres inculcare non desinunt. Ex quibus citare iuvat S. Ioannem Chrysostomum, qui ait [4]: *Idcirco sacerdotium obeuntem ita purum esse decet, ac si in caelis inter potestates illas collocatus esset... Cum enim videris Dominum immolatum et iacentem, et sacerdotem sacrificio incumbentem ac precantem, omnesque pretioso illo sanguine rubentes, an putas te adhuc cum hominibus et in terra esse? Annon potius in caelos translatus, omnique carnali cogitatione eliminata, nudo animo menteque pura, quae in caelis sunt circumspicis?* Et rursus [5]: *Sacerdotem oportet ceu quibusdam adamantinis armis undequaque muniri, assiduo nempe studio et perenni circa vitam vigilantia: undique circumspiciendo, ne quis nudo ac neglecto loco reperto letale infligat vul-*

[1] Can. 10. — [2] Sess. XXIII, cap. 12. — [3] Ibid., c. 14. — [4] L. III de Sacerdotio, n. IV, t. 20, pp. 423, 424. — [5] Ibid., n. 14, p. 437.

nus. Omnes enim circumstant parati, ut vulnerent ac deiiciant, non modo ex inimicis multi, sed etiam ex iis qui amicitiam simulant [1].

Audiatur etiam S. Hieronymus [2]: *Qualis aedificatio erit discipuli, si se intelligat magistro esse maiorem? Unde non solum episcopi, presbyteri et diaconi debent magnopere providere ut cunctum populum cui praesident, conversatione et sermone praecedant, verum et inferior gradus,... et omnes omnino qui domui Dei serviunt. Quia vehementer Ecclesiam Dei destruit, meliores esse laicos quam clericos.* Auctor quoque libri de *Ecclesiastica Hierarchia* ait [3]: *Ut subtiliores et clariores essentiae, repletae influxu solarium splendorum, lumen in eis superemin*ns ad similitudinem solis ad alia corpora invehunt: sic in divino omni non est audendum aliis ducem fieri, nisi secundum omnem habitum suum factus sit deiformissimus et Deo simillimus.*

7. — **Ratio theol.** — Per ordinis sacramentum, homo constituitur dux fidelium in rebus divinis. Ergo sanctitas vitae in eo requiritur, ac talis scientia quae sufficiat ad hoc quod dirigatur in actu sui officii; secus praesumptuose ad ordines accederet, nec a peccato posset excusari [4].

Sed praestat, ex Catechismo Romano, relegere quae quantum ad unum et alterum caput, in candidato ad sacerdotium, requirantur.

8. — **Morum integritas in sacerdote requisita.** — *Primum itaque in eo qui sacerdos creandus est, vitae et morum integritas commendetur magnopere oportet: non solum quia, si alicuius mortiferi peccati conscius se initiari curet, vel etiam patiatur, novo se et maximo scelere obstringit; sed etiam quia virtutis et innocentiae lumen aliis praeferre debet. Ea de re, quid Apostolus Tito* [5] *et Timotheo* [6] *praecipiat, pastoribus de-*

[1] Legendus est a clericis totus iste egregius liber, simulque cum eo alia praeclara recentiorum scriptorum de sacerdotio opera, puta Card. H. E. Manning, The eternal Priesthood; Arvisenet; S. Alphonsus de Lig., Selva, P. I, c. 1, etc. — [2] Super illud Tit., II, 15: *Nemo te contemnat.* Vol. VII, P. I, col. 728, 729. — [3] Cap. III. — [4] S., Quaest. XXXVI, art. 1. — [5] Tit., I, 7, seq. — [6] 1 Tim., III, 2, seq.

clarandum erit, et simul illud docendum, ea corporis vitia, quae in veteri Lege, ex Domini praescriptione, aliquem ab altaris ministerio excludebant, in evangelica Lege ad animae vitia praecipue transferenda esse. Quare sanctam illam consuetudinem in Ecclesia servari animadvertimus, ut qui sacris initiandi sunt, prius poenitentiae sacramento conscientiam purgare diligenter studeant [1].

9. — Solvitur tacita difficultas. — Obiicienti, Dominum nostrum minime repulisse a ministerio corporali mulierem peccatricem et infamem [2], ministerium vero quod Deo in sacramentis exhibetur maius non esse ministerio quod ipsi corporaliter praestabatur, — *respondetur*, etiam peccatores licite admitti ad ministerium quod est tantum in executione corporalis obsequii, non autem in executione ministerii spiritualis, per quod ministri efficiuntur medii inter Deum et plebem; ideoque debent sacerdotes bona conscientia nitere quoad Deum et bona fama quoad homines [3].

10. — Error Synodi Pistoriensis. — Attamen, licet utique in sacrorum ministris vitae integritas atque morum sanctitas requiratur, cavendum tamen est, ne quis rem hanc ultra debitos fines protrahat, quasi ii tantum, qui baptismi innocentiam servaverint, ad sacros Ordines ascendere permittantur, uti decernere praesumpserunt Patres pseudosynodi Pistoriensis, dum eo devenerunt temeritatis, ut tanquam ecclesiasticae disciplinae corruptelam referrent, *quod recessum sit a vetere instituto, quo, ut ait* (synodus), *Ecclesia insistens Apostoli vestigiis neminem ad sacerdotium admittendum statuerat, nisi qui conservasset innocentiam baptismalem.* — Nimirum, huiusmodi propositio, simul cum aliis affinibus eiusdem Synodi assertis, merito a Pio VI, in Constitutione *Auctorem fidei* [4], damnata est, *tanquam falsa, temeraria, ordinis pro ecclesiarum necessitate et commoditate inducti perturbativa, in disciplinam per canones, et speciatim per Tridentini decreta probatam iniuriosa* [5].

[1] Catech. Romanus, P. II, de Ordine, n. 54. — [2] Luc., VII. — [3] S., Quaest. XXXVI, art. 1, ad 2[um]. — [4] 20 Augusti 1794. — [5] Prop. 53.

11. — Error Wicleffi et Ioannis Huss de ministrorum electione. — Operae autem pretium hic est, gravem recensere errorem Ioannis Wicleffi necnon Ioannis Huss, qui non minus insipienter quam impie docuerunt solos illos legitimos Ecclesiae ministros habendos esse, qui sint praedestinati: cum autem solius Dei sit praedestinare, hinc asseruerunt ad Deum solum pertinere ministrorum electionem. Quam sententiam Concilium Constantiense reprobavit, damnato primum [1] hoc articulo Wicleffi [2]: *Si Papa sit praescitus et malus.... non habet potestatem super fideles sibi ab aliquo datam, nisi forte a Caesare;* dein [3], hoc altero articulo Huss [4]: *Papa vel praelatus malus et praescitus est aequivoce pastor.*

Enimvero, et in Lege veteri videmus a Deo ipso electum Saulem in regem, et in nova Lege Iudam, quos tamen malos fuisse constat; pariter ab Apostolis diaconi septem electi sunt [5], quorum tamen Nicolaus decidit a fide, a quo turpis Nicolaitarum secta duxit originem. Sed maxime advertendum, ministerium ecclesiasticum, sicut etiam auctoritatem populos spiritualiter regendi, pertinere ad gubernationem Ecclesiae, quae est visibilis societas; et consequenter ad dignoscendos legitimos praelatos, assignari non debere criterium sanctitatis vel praedestinationis, quae a Deo solo dignoscuntur.

12. — Scientia in sacerdote requisita. — Quod autem attinet ad sacerdotis scientiam, haec praescribit Catechismus Romanus [6]: *Praeterea, in sacerdote non solum ea cognitio requirenda est, quae ad sacramentorum usum et tractationem pertinet; sed etiam sacrarum Litterarum scientia ita instructum esse oportet, ut populo christianae fidei mysteria, et divinae Legis praecepta tradere, ad virtutem et pietatem incitare, a vitiis revocare fideles possit. Sacerdotis enim duo sunt munera: quorum alterum est, ut sacramenta rite conficiat et administret; alterum, ut populum fidei suae commissum iis rebus et institutis, quae ad salutem necessaria sunt, erudiat. Malachias enim ita testatur* [7]: LABIA SACERDOTIS CUSTODIENT SCIENTIAM,

[1] In Sess. VIII. D.-B., n. 588. — [2] Est 8[us]. — [3] In Sess. XV. D.-B., n. 648. — [4] Est 22[us]. — [5] Act., VI, 5. — [6] L. cit. — [7] Mal., II, 7.

ET LEGEM REQUIRENT EX ORE EIUS; QUIA ANGELUS DOMINI EXERCITUUM EST. *Ut igitur in horum altero, si mediocri cognitione sit ornatus, praestare, quod debet, possit; alterum certe non vulgarem, sed exquisitam potius doctrinam desiderat; quamvis aeque ab omnibus sacerdotibus summa reconditarum rerum scientia non exigatur, sed quae ad suscepti officii, et ministerii functionem unicuique satis esse possit* [1].

13. — Quaenam scientia in sacerdote requiratur. — Porro, quod non aequalis in quolibet sacerdote scientia requiritur, ita egregie exponit Angelicus [2]. Sacerdos, ait ille, habet duos actus: unum principalem, alterum vero secundarium. Principalis actus est supra corpus Christi verum; secundarius vero supra corpus Christi mysticum. Secundus autem actus dependet a primo, sed non convertitur; et ideo ad sacerdotium promoventur, quibus committitur primus actus tantum, sicut religiosi quibus cura animarum non committitur; et a talium ore lex non requiritur, sed solum quod sacramenta conficiant: et ideo talibus sufficit si tantum de scientia habeant quod ea quae ad sacramentum perficiendum spectant rite servare possint. Alii autem promoventur ad alium actum, qui est supra corpus Christi mysticum; et a talium ore populus legem requirit: unde scientia legis in eis esse debet, non quidem ut sciant omnes difficiles quaestiones legis, quia in his debet ad superiores recursus haberi, sed ut sciant ea quae populus debet credere et observare de lege. Sed ad superiores sacerdotes, scilicet episcopos, pertinet, ut etiam ea quae difficultatem in lege facere possunt, sciant, et tanto magis, quanto in maiori gradu collocantur.

At in hoc, sicut in reliquis ad aetatem ordinandorum, ad inferiorum ordinum susceptionem, ad titulum canonicum,

[1] Ibid. Cf. Leonis XIII Ep. encyl. *Officio sanctissimo*, 22 Dec., 1887; Pii X *Exhortatio ad clerum*, 4 Aug., 1908; Motu proprio, 1 Sept., 1910, n. 7. Item, Pii XI, Ep. Apost. *Officiorum omnium*, 1 Aug., 1922; item Ep. Apost. *Unigenitus Dei Filius*, 19 Mart., 1924. Cf. etiam quae scripsimus in op. SACERDOS ALTER CHRISTUS, *L'Eucaristia, centro di vita e di attività sacerdotale*, in quo argumentum hoc ex professo tractavimus. — [2] S., Quaest. XXXVI, art. 2, ad 1[m], ad litter.

et cetera huiusmodi pertinent, sedulo observanda praescripta Ecclesiae [1].

14. — **Quaestio.** — *In quodnam studiorum genus sacerdotem incumbere oportet?*

Resp. Certe non satis esset sacerdotem studiis utcumque operam dare: non enim praestitutum sibi finem obtineret, nec sacrae suae vocationi consuleret, nisi studiis huiusmodi ea ratione moderaretur, quae statui suo conveniunt. In quo, claritatis gratia, distingui possunt studia in nociva, superflua, utilia, et necessaria. Et quidem nociva sunt quae, seclusis Ecclesiae ductu atque pietatis norma, quis prosequitur: talia sunt quibus modernistae, novitatibus indulgentes ac supernaturali fidei lumini valedicentes, ultro operam impendunt; superflua sunt, quae ad finem sacerdotii vix aut ne vix quidem inserviunt, ut puta, studia prorsus profana, qua spiritui sacerdotali fovendo minime conferunt, etsi, ut studia, aliquam in se laudem habeant, cum eorum nihil, quibus intellectus humanus exornatur spernendum omnino sit; utilia dico, quibus sacerdos mente probe expolitur, et maiorem apud populum existimationem sibi comparat, simulque aptior quadantenus redditur ad sacra munia peragenda, cuiusmodi est, puta liberalium artium cultura; necessaria, quae sacerdotis dignitatem ac munia recta respiciunt, ut Sacrae Scripturae, sacrae theologiae, librorum asceseos, aut Servorum Dei gestorum assidua lectio. Piis scilicet huiusmodi ac doctis exercitationibus spiritualis vita atque animi fervor in sacerdote mire nutritur, conservatur atque confovetur; ex adverso, his seclusis salutaribus studiis, nequit mens paulatim in desidium non labi, atque restincto iam caritatis igne, in ruinam praecipitare.

ARTICULUS V. — *Utrum illicita sit ordinatio per saltum.*

1. — **Quid sit ordinatio per saltum.** — Dicitur ordinatio per saltum, qua quis ad ordinem superiorem, inferiori praetermisso, promovetur, perrupto ordine rerum naturali, quo vetatur ne quis altiorem gradum attingat, nisi iam inferio-

[1] Codex Iuris Can., can. 973, seq.

res obtinuerit. Ubi statim advertimus duplicem posse casum distingui: unum, quo candidatus gradum aliquem hierarchicum, ex inferioribus, praetermisso statuto ordine, obtineat, puta diaconatum non habito subdiaconatu aut ordinibus minoribus, vel presbyteratum neglecto diaconatu; alterum, quo candidatus supremo gradu hierarchico insigniatur, scilicet episcopatu, non habito antea, puta presbyteratu. Quae quidem differentia sedulo attendenda est, cum dictum sit episcopatum non esse alium essentialiter ordinem a presbyteratu [1]. — Porro, notum est Photium, labente saeculo nono, utique per gravem calumniam Latinis exprobrasse quod ordinationes per saltum tenerent: quam calumniam Ratramnus invicte repulit [2].

2. — PROP. — **Illicitae sunt ordinationes per saltum.**

3. — **Auctoritates.** — Quod ordinationes per saltum tanquam illicitae in Ecclesia sint habitae, testis est S. Cyprianus qui, de ordinatione Cornelii in Summum Pontificem scribebat ad Antonianum [3]: *Non iste ad episcopatum subito pervenit, sed per omnia officia ecclesiastica promotus, et in divinis administrationibus Dominum saepe promeritus, ad sacerdotii sublime fastigium cunctis religionis gradibus ascendit.* Cum vero ariani episcopi contrarium morem inducere conarentur, in Concilio Sardicensi sequens canon sancitus est [4]: *Si quis dives, vel ex foro scholasticus, episcopus fieri dignus habeatur, non prius constituatur, quam lectoris et diaconi et presbyteri ministerium peregerit; ut in unoquoque gradu, si dignus existimatus fuerit, ad episcopatus fastigium per progressionem possit ascendere.* Similiter, S. Siricius [5] et S. Zosimus [6] necesse esse declarant varios ordinum gradus religiose servare, antequam quis ad primum perveniat; et S. Caelestinus I [7] conqueritur nonnullos a laicali statu ad episcopatum, inferioribus gradibus praetermissis, promoveri [8].

[1] Quaest. I, art. 6. — [2] L. IV contra Graecorum opposita, cap. 8. — [3] Epist. LII. — [4] Can. 10. Concil., t. II, p. 635. — [5] Ep. I ad Himer., Tarrac. ep. c. 9. an. 385. — [6] Ep. I ad Hesych., Spalat. ep. an. 418. — [7] Ep. ad episc. Vien. et Narbon. provinc. — [8] Concil., t. II, pp. 1021, 1516, 1620, n. 3.

4. — Pseudosynodus Pistoriensis. — Quae cum ita sint, apparet quam falso patres pseudosynodi Pistoriensis asseruerint [1], *in promovendis ad ordines, hanc de more et instituto veteris disciplinae rationem servari consuevisse, ut si quis clericorum distinguebatur sanctitate vitae, et dignus aestimabatur, qui ad ordines sacros ascenderet, ille solitus erat promoveri ad diaconatum vel sacerdotium, etiamsi inferiores ordines non suscepisset; neque tum talis ordinatio dicebatur per saltum, ut postea dictum est.* Nimirum, rite doctrina haec tanquam falsa, temeraria, ordinis inducti perturbativa ac in disciplinam per canones probatam iniuriosa declaratur [2].

Huc pertinet quod in Iure sancitum legitur [3]: *Ordines gradatim conferendi sunt, ita ut ordinationes per saltum omnino prohibeantur.*

5. — Ordinatio per saltum non est irrita. — Ex omnibus anteactis locis colligitur, ordinationes per saltum factas esse quidem illicitas, minime tamen dici debere irritas aut invalidas, cum praescribatur ordinem tantummodo qui omissus fuerat suppleri debere, minimè vero eum iterari qui iam fuerat collatus. Quod tamen non valet pro episcopatu, ad quem quis non presbyter antea ordinatus non fuisset promotus: cuius differentiae ratio est quod, ut diximus, episcopatus novus Ordo non est, sed tantummodo characteris sacerdotalis extensio atque perfectio: ideoque nullus est, ubi desit presbyteratus [4].

6. — Quaestio. — *Cur aliquando Ecclesia iusserit ut ordinatis per saltum ordo praetermissus suppleretur?*

Resp. Hoc Ecclesia non ideo praescripsit quasi omissum ordinem formaliter conferri iuberet, cum ordo ille inferior sit in superiori virtualiter contentus, et ordinatio denuo collata sacrilegium foret, sed tum ut repararetur ordo laesus, quo interruptiones in cursu rerum naturali fieri vetantur, tum ut per preces liturgicas ad hunc scopum institutas, gratiarum copiam ordini respondentem in ministros invocaret, tum

[1] Prop. 51. — [2] Bulla Pii VI *Auctorem fidei*, 28 Aug., 1794. — [3] Can. 977. — [4] Supra, Quaest. I, art. 6, n. 10, p. 188.

denique ut non deficeret exterior deputatio ad ministerium pro populo extrinsecus exercendum. At, notandum, cum ordinatio sic supplebatur, verba pontificis ordinantis: *Accipe potestatem*, etc., non ad significandam novae potestatis collationem, sed ad usum potestatis iam collatae significandum usurpabantur: eo proportionaliter modo quo absolutionis verba: *Ego te absolvo*, relate ad poenitentem, novi peccati non conscium, significant: *Ego tibi gratiam confero ad peccatorum deletionem et ad maiorem animae sanctificationem ordinatam* [1]. — Advertendum tamen, in novo Iuris canonici Codice, ubi de ordinatione per saltum fit mentio, nihil haberi de supplendis ordinibus omissis [2].

7. — Interstitia a sacris canonibus praescripta. — Porro, non solum debet, in ordinibus conferendis, dispositio praescripta teneri, ita ut nemo per saltum ordinetur, sed etiam certa sunt temporum intervalla, inter diversorum ordinum collationem observanda: quae quidem disciplina eo fine est ab Ecclesia introducta, ut levitae singulorum ordinum dignitatem atque munia studio atque exercitatione dignoscere valeant: sic quippe facilius obtinetur ut candidati animus, in virtutis exercitio, ad altiorem ordinem rite suscipiendum melius disponatur.

Hanc autem disciplinam ab antiquis temporibus viguisse testes sunt plures Pontifices qui illam commemorant, videlicet S. Siricius [3], Innocentius I [4], Zosimus [5], S. Leo [6], Gelasius I [7]. In Concilio Tridentino [8] statuitur minores Ordines per intervalla esse conferendos, *nisi aliud episcopo expedire magis videatur: ut nempe in ordinandis, cum aetate, vitae meritum et doctrina maior accrescat; quod et bonorum morum exemplum, et assiduum in Ecclesia ministerium, atque maior erga presbyteros et superiores ordines reverentia, et crebrior*

[1] Cf. tr. n. DE POENITENTIA, Quaest. LXXXIV, art. 2, n. 7, p. 33. Attende, lector, ad id quod dicimus, *proportionaliter*: aliud enim in utroque casu iudicium relate ad gratiam ferendum est. — [2] Cf. cit., Can. 977. — [3] Epist. I, ad Himerium, cap. 9; refert. can. *Quicumque*, dist. 77. — [4] Epist. IV, ad Felicem episc., cap. 5. — [5] Epist. I, ad Hesychium, cap. 2; refertur can. *In singulis*, dist. 77. — [6] Epist. I, al. LXXXVII ad episcopos africanos. — [7] Epist. ad episc. Lucaniae, cap. 3. — [8] Sess. 23, cap. 11.

quam antea corporis Christi communio, maxime comprobabunt. — Addit vero, *ut nonnisi post annum a susceptione ordinum minorum, quisquam ad sacros ordines promoveatur, nisi necessitas, aut Ecclesiae utilitas, iudicio episcopi, aliud exposcat.*

Novissimum autem Ius hoc habet praescriptum [1]: *Interstitia primam tonsuram inter et ostiariatum vel inter singulos ordines minores prudenti episcopi iudicio committantur; acolythus vero ad subdiaconatum, subdiaconus ad diaconatum, diaconus ad presbyteratum ne antea promoveatur, quam acolythus unum saltem annum, subdiaconus et diaconus tres saltem menses in suo quisque ordine fuerint versati, nisi necessitas aut utilitas Ecclesiae, iudicio Episcopi, aliud exposcat.*

8. — **Titulus ordinationis.** — Ex antiqua Ecclesiae lege constitutum manet neminem prorsus sacram ordinationem accipere debere, nisi sub determinato canonico titulo, vi cuius possit decenter sustentari, qui titulus olim fuit adscriptio certae ecclesiae, in qua quis sacra ministeria obiret, ex cuius redditibus et oblationibus de beneficio congruenti ipsi provideretur. Temporis vero decursu coepit patrimonii vel pensionis titulus approbari; unde in Concilio Tridentino [2] praescribitur, ordinandum habere debere vel beneficium ecclesiasticum quod ad victum ei honeste sufficiat, vel patrimonium aut pensionem: *quia non decet eos, qui divino ministerio adscripti sunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum quaestum exercere.* In novo autem Iure, praeter hos duos titulos pro clericis saecularibus statutos [3], admittuntur, pro regularibus quidem, titulus paupertatis; pro religiosis vero votorum simplicium perpetuorum, titulus mensae communis, Congregationis, aliusve similis [4].

Articulus VI. — *Utrum sine divina vocatione possit quis ad ordines ascendere.*

1. — **Gravitas huius quaestionis.** — Cum iam constet quid in ordinando, sive de necessitate, sive de convenientia sacramenti requiratur, haud levis modo exsurgit quaestio, nu-

[1] Can. 978, § 2. — [2] Sess. XX, de Reform., c. 2. — [3] Can. 979. — [4] Can. 982.

per diu et acriter inter Doctores agitata, utrum videlicet desiderari debeat divina quaedam in candidato vocatio, et quale sit huiusmodi vocationis authenticum documentum. Qua in re invaluisse deprehenditur, ultimis hisce saeculis, sententia, ad hoc ut quis licite amplecti possit statum sacerdotalem, requiri et sufficere ut seipsum persentiat ad illum statum interno animi motu inclinatum: quae quidem inclinatio, seu, ut dicitur, voluntatis propensio, tanquam certum divinae vocationis criterium a quibusdam habita est. Contra quod adverterunt nuper nonnulli, sententiam hanc ad modernismum recta perducere, quasi norma agendi, quae in ipsa subiecti dispositione reponatur, sepositis criteriis extrinsecis, sit ipse immanentismus religiosus, a Pio X, in Encyclica *Pascendi* [1] condemnatus. Quapropter, ad alia criteria recurrendum esse docuerunt.

2. — **Praenotanda**. — Pro qua re penitius definienda, ob oculos praeprimis haberi debent sequentia criteria. *Primo*, neminem unquam ius ullum habere ad ordinationem, antecedenter ad liberam episcopi electionem et vocationem; *secundo*, ut quis rite vocetur ab episcopo, rectam requiri intentionem, simul cum idoneitate, quae consistat in gratiae et naturae dotibus, in vitae probitate ac doctrinae sufficientia, quae spem faciant fore ut candidatus sacerdotii munera recte obire eiusdemque obligationes sancte observare queat, de quibus iudex sit ipse episcopus [2]; *tertio*, non esse necesse, ex parte candidati, talem vocationem, quae consistat in quibusdam sensibilibus invitamentis Spiritus Sancti ad sacerdotium ineundum. — Utrum vero aliqua supernaturalis motio requiratio, qua Deus cor hominis suaviter et fortiter ad hunc finem moveat, specialius requiremus.

Ex quibus clare eruitur, ad hoc ut quis rite dici possit vocatus ad statum sacerdotalem, alia requiri in ipso candidato, alia vero extra ipsum: de quibus modo, ductis rationibus ex Catechismo Romano atque aliis authenticis fontibus, singillatim nobis erit agendum.

[1] 7 Sept., 1907. — [2] Cf. Epist. Card. Merry del Val, 2 Iul. 1912. Acta Ap. Sedis, Vol. IV, p. 485.

3. — PROP. I. — Ad ordines ascendere illis solis permittitur, qui a Deo legitime vocati sunt.

4. — Auctoritas. — Veritas haec ita dilucide in Catechismo Romano exprimitur [1]: *Huius igitur tanti officii onus nemini temere imponendum est; sed iis tantum qui illud, vitae sanctitate, doctrina, fide, prudentia, sustinere possint. Nec vero* QUISQUAM SUMAT SIBI HONOREM, SED QUI VOCATUR A DEO TANQUAM AARON [2]. *Vocari a Deo dicuntur, qui a legitimis Ecclesiae ministris vocantur. Nam qui in hoc ministerium seipsos arroganter inferunt atque intendunt, de his Dominum intellexisse dicendum est, cum inquit* [3]: NON MITTEBAM PROPHETAS, ET IPSI CURREBANT: *quo quidem hominum genere nihil infelicius ac miserius, nihil Ecclesiae calamitosius esse potest.*

Igitur, quemadmodum nonnisi ex voluntate Dei sibi manifestata, Aaron se ad sacerdotii veteris officium suscipiendum determinavit; ita, imo a fortiori, praecellens munus sacerdotis novae Legis subire non debet, nisi quem Deus ipse accersiverit.

5. — Confirmatur. — Potest autem veritas haec confirmari, primo ex eo quod non ipsi Apostoli elegerunt hunc statum, sed ab ipso Christo Domino vocati sunt; unde Salvator aiebat [4]: *Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.*

Secundo, ad id pertinet quod in Iure legitur [5]: *Dent operam sacerdotes, praesertim parochi, ut pueros, qui indicia praebeant ecclesiasticae vocationis, peculiaribus curis a saeculi contagiis arceant, ad pietatem informent, primis litterarum studiis imbuant, divinaeque in eis vocationis germen foveant:* ex quibus verbis, a Pio XI, in Epistola Apostolica *Officiorum omnium* [6], ultro susceptis et commentatione exornatis, clare eruitur, in canditatis ad sacerdotium, divinam adesse debere vocationem.

6. — In quonam consistat divina haec vocatio. — Ut autem probe sciatur in quonam divina ad sacerdotium voca-

[1] P. II, De ordine, n. 3. — [2] Hebr., V, 4. — [3] Ierem., XXIII, 21. — [4] Matth., IX, 38. — [5] Can. 1353. — [6] 1 Aug., 1922.

tio consistat, dicimus eam esse supernaturalem quamdam Spiritus Sancti motionem, qua cor et mentem hominis idonei suaviter movet ad libere suscipiendum sacerdotalem statum, ac munera eidem adnexa congrue exercenda.

Pro quo rite intelligendo, primo iuvat vecolere verba S. Thomae [1]: *Ex diversitate* (complexionum diversorum individuorum), *simul cum divina providentia quae omnia moderatur, contingit quod unus eligat unum officium.... alius aliud.* — Enimvero, Deus in ordine supernaturali, non minus efficaciter providet Ecclesiae necessitatibus, ac in ordine naturali, per respectum ad humanam societatem. Cum igitur ad divinam providentiam pertineat quod, ad diversa officia, in societate complenda, diversos homines libere moveat, ut possit societas rite consistere; ita ad eamdem spectat suscitare, per internam motionem, aliquos homines ad statum ecclesiasticum amplectendum, ne scilicet Ecclesia congruis destituatur ministris.

Igitur, in vocatione ad statum ecclesiasticum, sicut in selectione cuiuscumque status vitae, attendendum est et ad causam primam et ad causam secundam, quin tamen, ut quoties de effectu ub utraque causa pendente agitur, inculcare solemus, distingui debeat id quod est causae primae ab eo quod est causae secundae. *Per hoc quod Deus habet immediate providentiam de rebus omnibus,* ait Angelicus [2], *non excluduntur causae secundae, quae sunt executrices huius ordinis.*

Quae cum ita sint, attendendum hic est ad arcanam divinae Providentiae dispositionem, quae *attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* [3], et quae tum hominibus inclinationes indit naturales ad certa vitae officia, tum circumstantias ordinat, quarum favore dispositiones illae opportune possint foveri atque evolvi. Non enim putandus est Deus, qui homini in ordine naturali tam abunde providit, ipsi deesse in ordine supernaturali: ab eo igitur tanquam a causa prima, repetendum venit quod aliqui se ad ecclesiasticum statum amplectendum dispositos sen-

[1] S., Quaest. XLI, art. 2, ad 4. — [2] 1. Quaest. XXII, art. 3, ad 2[m]. — [3] Sap., VIII, 1.

tiant prae caeteris. Attamen in hoc rerum ordine, scilicet ubi de ecclesiastico statu suscipiendo agitur, ad competentes iudices recurrendum est, ad quos pertinet candidatorum dispositiones et qualitates perpendere, quae in Ecclesiae ministris requiruntur.

7. — Vocatio ecclesiastica non consistit in sensibili inspiratione interna Spiritus Sancti. — Ulterius vero sedulo recolendum est quod diximus [1], nempe, huiusmodi vocationem, ordinarie loquendo, minime consistere in sensibili quadam interna inspiratione, seu in formali invitamento, candidato ex parte Spiritus Sancti per modum apertae locutionis communicato. ut cum, puta, Saulus et Barnabas iussi sunt segregari in opus ministerii [2], aut Deus aliquem Sanctum ad specialem missionem, sensibilibus et extraordinariis signis, advocavit, ut S. Catharinam Senensem vel S. Ioannam ab Arco: illam, ut Romanum Pontificem in suam sedem restitueret, hanc ut Galliae fortunam instauraret.

Non est igitur quare, in vocatione ad statum sacerdotalem, recurri debeat ad sensibile quoddam Spiritus Sancti invitamentum; sed sufficit motio illa, qua Deus hominem fortiter suaviterque agit ad hunc statum amplectendum.

Attamen, licet vocatio ad statum sacerdotalem hoc modo desuper veniat, hoc tamen non sufficit ut quis ius ad sacram ordinationem obtineat, sed requiritur insuper iudicium episcopi. — Quocirca statuimus

8. — PROP. — Ad episcopum pertinet iudicium ferre de candidati idoneitate.

9. — Prob. — Quod ad episcopum pertineat iudicium ferre de candidati idoneitate, primo ex hoc patet, quod, ut ait S. Paulus [3], *Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei*: porro hoc maxime ad Ecclesiae regimen pertinet, idoneos ad ministerium candidatos arcessere. Quapropter, dum, hinc quidem, omnes illi, qui ad ordinis promoveri cupiunt, in Iure iubentur episcopo suum propositum ante ordi-

[1] N. 2. — [2] Act., XIII, 3. — [3] Ibid., XX, 28.

nationem aperire [1]; illinc tamen expresse dicitur episcopi munus esse de eiusdem canonica idoneitate sententiam ferre [2]: *Episcopus sacros ordines nemini conferat, quin ex positivis argumentis moraliter certus sit de eius canonica idoneitate; secus, non solum gravissime peccat, sed etiam periculo sese committit alienis communicandi peccatis.*

Quocirca, quantumvis condidatus ad sacerdotium supponatur perfectus ac doctus, absolutum tamen ex seipso ius non habet ad ordinem suscipiendum, cum illius sanctitas ac scientia bona sint personalia, ex quibus necessario non resultat potestas alios sanctificandi aut regendi, qualis in sacerdotio attenditur: nam santificatio populi christiani finis est sacerdotii, iuxta illud tritum adagium: *Christianus propter se, sacerdos propter alios.* — Praestat tamen veritatem hanc uberius exponere.

10. — PROP. III. — **Bonitas vitae, citra divinam vocationem, ius non dat sacerdotalem ordinationem accipiendi.**

11. — **Prob. — I. Ex comparatione inter res naturales et res supernaturales.** — Haec inter res naturales et res supernaturales intercedit differentia, quod illae quidem, ut ait S. Thomas [3], efficiuntur in gradu super alia secundum quod in ea agere possunt ex forma sua; et ideo ex hoc ipso quod formam nobiliorem habent, in altiori gradu constituuntur. At ministri Ecclesiae non praeponuntur aliis ut eis ex propriae sanctitatis virtute aliquid tribuant, hoc enim solius Dei est, sed sicut ministri et quodammodo instrumenta illius effluxus qui fit a capite in membra: unde bonitas vitae non est de se sufficiens titulus ut quis ad sacerdotium assumatur: licet utique congruum sit, ut qui amplioribus gratiae donis pollent ad ordines promoveantur.

12. — **II. Ex comparatione inter Christum et ministros Ecclesiae.** — Christus Dominus, ex hoc ipso quod est per se auctor gratiae, debet in se habere plenitudinem gratiae, ita quod vel sine ritu aliquo gratiam conferat, unde est excel-

[1] Can. 992. — [2] Can. 993, § 3. — [3] S., Quaest. XXXVI, art. 3, ad 2m.

lentissimus sacerdos: ministris Ecclesiae vero, cum non ordinentur ad dandam gratiam, sed sacramenta gratiae, satis est si medium habeant quo id praestare valeant, id est sacram ordinationem, quin opus sit ut gratiae plenitudine potiantur [1].

13. — PROP. IV. — **Episcopus, in ministrorum ordinatione, respicere debet ad necessitatem aut utilitatem Ecclesiae.**

14. — **Exponitur.** — Quod ordinandorum numerus non ex eorum qualitatibus personalibus sed ex necessitate vel utilitate populi sit desumendus, patet ex hoc Concilii Tridentini [2]: *Cum nullus debeat ordinari, qui iudicio sui episcopi non sit utilis aut necessarius suis ecclesiis, Sancta Synodus... statuit ut nullus in posterum ordinetur, qui illi ecclesiae aut pio loco, pro cuius necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus.* — In Iure novo sequentia statuuntur [3]: *Nemo ex saecularibus ordinetur, qui iudicio proprii episcopi non sit necessarius vel utilis ecclesiis dioecesis.* Ulterius [4]: *Nefas est quemquam, quovis modo, ob quamlibet rationem, ad statum clericalem cogere, vel canonice idoneum ab eodem avertere:* ubi verba: *canonice idoneum*, iudicium ab episcopo ferendum significant [5].

15. — **Indigni non sunt ordinandi, etiam praetextu deficientiae dignorum.** — Ulterius advertendum est, omnino respui debere illam quorumdam sententiam, dicentium indignos ministros, dignis deficientibus, promoveri debere, ne videlicet Ecclesia sufficienti ministerio destituatur. Etenim, *Deus*, ut habet S. Thomas [6], *nunquam ita deserit Ecclesiam suam, quin inveniantur idonei ministri sufficientes ad necessitatem plebis, si digni promoverentur, et indigni expellerentur.* Qui etiam subdit [7]: *Et si non possent tot ministri inveniri quot*

[1] Ibid. corp. art. — [2] Sess. XXIII, cap. 16. — [3] Can. 969, § 1. — [4] Can. 971. — [5] Cetera hac super re scitu necessaria require ibid. — [6] S., Quaest. XXXVI, art. 4, ad 1[m]. — [7] Loco cit.

modo sunt, melius esset habere paucos ministros bonos, quam multos malos, ut dicit Beatus Clemens. Cui cohaeret doctrina Pii X [1]: *Omnino praestat nullum alicubi adesse sacerdotem, qui curam animarum gerat, quam adesse eiusmodi, qui pestem ac perniciem christianae plebi pro salute paret.*

Aliunde vero nullus pariter ad sacerdotium admitti potest, qui paratus non sit illius status obligationes suscipere et fideliter atque perseveranter adimplere: unde episcopus ordinandis in subdiaconos haec solemnia verba dirigit: *Si in bono proposito perseverare placet, in nomine Domini huc accedite.*

16. — Quo pacto manifestetur vocatio ad statum sacerdotalem. — Porro, duplici modo, ut iam innuimus, potest vocatio ad statum sacerdotalem manifestari. — Prior modus est per revelationem, quae quidem vel fieri potest extrinseco signo, quemadmodum Christus Apostolos vocavit [2]: *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum*, vel interna inspiratione, ad modum cuiusdam prophetiae, Deo intrinsecus mentem illustrante et movente efficaci impulsu cor candidati ad illum statum amplectendum.

At extraordinarius est modus iste; igitur, ordinarie loquendo, vocatio ad statum sacerdotalem explicatur per subiecti electionem praevia scilicet voluntatis deliberatione, et sub influxu divinae cuiusdam motionis Sic quippe Concilium Tridentinum, ubi agit de admittendis in seminariis adolescentibus, ait [3]: *Primae tonsurae ne initientur... de quibus probabilis coniectura non sit, eos non saecularis iudicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem praestent, hoc vitae genus elegisse.* Motiva autem quibus quis ducitur, varia esse possunt: nimirum, potest quis ad hunc statum amplectendum moveri desiderio Deo liberius serviendi, aut animae propriae securius consulendi, vel etiam animabus efficacius iuvandi: qualiacumque vero sint ista motiva, non multum certe refert, dummodo bona sint, et episcopi sanctione fulciantur. Non autem necessarium est ut candidatus ad sacerdotium

[1] Epist. ad Episc. Venezuel. 8 Dec., 1910. — [2] Matth., IV, 19. — [3] Sess. XXIII, c. IV de Ref.

circa divinas caeremonias aut munia ecclesiastica aliquam in seipso specialem experiatur delectationem: nam delectatio huiusmodi in se accidentalis est, nec vel in optimis sacerdotibus semper constans: aliunde boni sacerdotes et strenui operarii in vinea Domini non nascuntur, sed fiunt: ut autem fiant, ad episcoporum sollertiam industriamque maxime pertinet, ut ait Benedictus XIV [1].

17. — Signa divinae vocationis. — I. Firma voluntas hunc statum amplectendi. — Ut autem tutum possit ferri de ecclesiastica vocatione iudicium, debet quis primo animum applicare ad ea quae dicuntur signa vocationis.

Inter quae, primo loco eminet, una cum naturali quadam ad hunc statum propensione, collustratio mentis et deliberata voluntatis determinatio: quorum trium, primum et secundo per prius a Deo sunt, et reducuntur ad gratiam operantem; tertium vero per prius est voluntatis, et pertinet ad gratiam cooperantem [2]. Et hoc quidem tertium elementum potissimum est, consistens in voluntate seria et sincera statum hunc amplectendi, non quidem ob fines humanos, sed ut quis propriam salutem tutius possit operari, atque Dei honorem et bonum animarum efficacius promovere. — Nec obstat quod quis naturalem quamdam repugnantiam forsan experitur ex obligationibus huius status ortam, quas etiam diabolus interdum plurimum exaggerat: hoc enim pertinet ad voluntatem ut natura est, non ut est ratio, seu deliberata.

18. — II. Animus ad pietatem proclivis. — Alterum deprehendere est divinae vocationis signum ad statum eccle-

[1] Non inutile est hic ecclesiae anglicanae doctrinam hac super re recensere (art. 23): *Non licet cuiquam sumere sibi munus publice praedicandi, aut administrandi Sacramenta Ecclesiae, nisi prius fuerit ad haec obeunda legitime vocatus et missus. Atque illos legitime vocatos existimare debemus, qui per homines, quibus potestas vocandi Ministros atque mittendi in vineam Domini publice concessa est in Ecclesia, cooptati fuerint et asciti in hoc opus.* Cf. E. C. S. Gibson, The XXXIX art. of the Church of England, pp. 573. seq. — [2] Cf. tr. n. de Gratia, Quaest. CXI, art. 2, p. 143.

siasticum in prompta mentis dispositione ad pietatem, puta in sincera devotione erga Sanctissimum Sacramentum et Beatissimam Virginem, aut in quadam animi propensione ad exercitia spiritualia, in quae debet per totam vitam incumbere sacerdos. Quo loco applicari potest illud Psalmi [1]: *Domine, praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis;* quocirca videmus non raro evenisse, ut qui optimi sacerdotes evaserint, visi fuerint, in primo iuventutis flore, de ecclesiasticis functionibus aut frequentandis aut imitatione repraesentandis solliciti.

19. — III. Bona mentis indoles. — Demum, advertendum erit, talem esse statum sacerdotalem, ut nisi eum suscipiens specialibus a natura dotibus iam a teneris annis ornatus appareat, spes minime affulgeat, illum muneribus huic statui adnexis plene satisfacturum. Sunt autem huiusmodi dotes, primo, mentis ingenium sat apertum, ut possit candidatus in omnibus quae ad sacerdotium requiruntur, congrue instrui; secundo, spiritus ad lenitatem et mititatem, ad caritatem et misericordiam proclivis, qualem decet esse ministrum mansuetissimi nostri Redemptoris; tertio, sinceritas animi, omnem duplicitatem, qua homines potissime offendi solent, excludens; quarto, cultus angelicae virtutis constanter servandae, cum sacerdos stricto teneatur officio castitatem per totam vitam custodiendi.

Harum autem qualitatum praecipuus quidem auctor est Deus ipse, qui illarum semina in quorumdam natura abundantius ponit, iuxta illud [2]: *Sortitus sum animam bonam;* alter vero est candidati familia quae, si in Dei timore habitualiter vivat, semina illa excolit et germinare facit. — Ad haec omnia ergo attendi debet, si quis velit certa divinae vocationis signa in candidatis deprehendere.

20. — Quam sancta res sit in opus vocationum sacerdotalium explicandarum incumbere. — Quaestionem hanc de vocatione ad sacerdotium, opportune claudemus animadversione, rem scilicet esse sanctissimam, operam navare sedulam

[1] XX, 3. — [2] Sap., VIII, 19.

circa fovendas huiusmodi vocationes, sive ut numerus candidatorum ad sacra succrescat, sive ut eisdem debita impertiatur, tum in litteris, tum in moribus, disciplina.

Et quod ad primum attinet, faciunt verba Pii XI [1]: *Quo loco facere non possumus, quin rogemus omnes, quicumque Ecclesiam diligunt, ut illud* OPUS VOCATIONUM ECCLESIASTICARUM, *quod pueris spei bonae, et domi, et apud parochos, et intra seminariorum septa, sedulo adiuvandis, salubriter institutum est, omni foveant studio atque promoveant.* — Quoad alterum vero, huc maxime referri debent quae generaliter de puerorum institutione recitat S. Ioannes Chrysostomus [2]: *Quid maius quam animis moderari, quam adolescentulorum fingere mores? Omni certe pictore, omni certe statuario, ceterisque huiusmodi omnibus excellentiorem hunc duco, qui iuvenum animos fingere non ignoret.*

21. — Homo sub gravi non tenetur vocationem ad statum ecclesiasticum sequi. — Porro, ex hoc quod vocatio ad statum sacerdotalem ex Deo est, perperam inferretur, in homine, qui eam acceperit, existere obligationem, sub gravi, eidem obsequendi, adeo ut eam praetergrediens mortaliter peccet. Ex eo enim quod libera motio est, nec necessario cum fine ultimo connexa, logice infertur candidatum, laudabiliter quidem se gerere dum eamdem sequitur, sic tamen, ut liber sit qui ab eadem dissentiat.

Quod tamen de vocatione ordinaria dicitur: si enim sensibilibus signis talis vocatio innotesceret, iam dissensus gravem secumferret culpam, qualem incurrit, puta, propheta Ionas, dum renuit missioni sibi a Deo commissae, Ninivitis praedicandi poenitentiam, obtemperare [3].

Quod si non adest proprie dicta obligatio sequendi vocationem ad ecclesiasticum statum, ex adverso tamen prohibetur, et quidem sub gravi, quominus quis, sine divina huiusmodi vocatione, statum hunc amplectatur. Talis quippe dici posset intrusus; nec ibi eas inveniret gratias, quas Deus

[1] Ep. Apost. *Officiorum omnium.* 1 Aug., 1922. — [2] Homil., LX in c. XVIII S. Matth. — [3] Ion., I, 2-7.

homini superne vocato promisit. Posset tamen postea errorem suum sincera poenitentia corrigere.

22. — Quaestio. — *Utrum episcopus candidatum ad sacerdotium vocet vi potestatis ordinis, an potestatis iurisdictionis?*

Respondent aliqui candidatorum selectionem, et proinde investigatinem ac discussionem de eorum idoneitate, necnon iudicium practicum quo idonei ab inidoneis secernuntur, actus quidem esse potestatis iurisdictionis; definitivam vero sententiam, quae ad effectum traducitur, quando, in ipso sacrae ordinationis actu, pronunciat episcopus supra ordinandum verba consecratoria cum manuum impositione, ex quo exurgit in anima sacer ac indelebilis character sacerdotalis, actum esse potestatis ordinis [1].

Quae vere dicuntur secundum quid: nam advertendum est sacerdotalem ordinationem, neque ex parte candidati, neque ex parte consecrantis, ad vocationem proprie pertinere, sed solum ad rationem sacramenti, cuius Deus est principalis auctor, episcopus vero minister, qui tanquam Dei instrumentum agit. Unde dicendum est selectionem candidatorum ex parte episcopi ad potestatem iurisdictionis simpliciter pertinere.

23. — Cura in seligendis atque educandis clericis. — Iuverit praesenti argumento et hanc adiecisse animadversionem, videlicet maximam esse in clericis seligendis atque educandis diligentiam adhibendam, cum a sancta ministrorum conversatione sortes Ecclesiae quodammodo dependeant. Primo, inquam, in clericis seligendis: tales nimirum ad sacrum ministerium sunt eligendi, qui bonam sortiti sint animam [2], cum gratia naturae superextruatur, talesque soleant homines, adultiores facti, perseverare, quales iuniores sese exhibuerint. Quocirca, eliminandi sunt iuvenes ad vitia, puta, superbiae, luxuriae, irae, aut mendacii propensi, et tales solummodo admittendi, ex quorum bona indole spes affulgeat eos sacerdotalibus virtutibus fore informandos. Hoc tamen haud omnino sufficit: siquidem, *nisi* (adolescentium aetas) *a teneris annis ad pietatem et religionem informetur, antequam*

[1] Card. Billot, de Eccl. sacram., t. I, p. 573. — [2] Sap., XIII, 19.

vitiorum habitus totos homines possideat, nunquam perfecte, ac sine maximo ac singulari propemodum Dei omnipotentis auxilio, in disciplina Ecclesiae perseveret [1].

Articulus VII. — *Utrum ad electionem Ecclesiae ministrorum, requiratur suffragium cleri, populi aut magistratuum.*

1. — **Error.** — Inter cetera, quibus novatores, Lutherus et Calvinus, dogma catholicum pervertere conati sunt, adnumerari debet assertio de necessitate suffragii cleri, populi aut magistratuum, ad ordines certis candidatis conferendos. Errorem hunc nonnulli non ita pridem instaurare conati sunt, edicentes omnino revertendum esse, in Ecclesiae ministrorum electione, ad priscam hanc de populi suffragio expetendo consuetudinem, ita ut, hac praetermissa conditione, electio ipsa illegitima evadat.

2. — **Ratio cur olim suffragium in electione sacrorum ministrorum requireretur.** — Porro, si quis antiquae disciplinae normam intimius scrutetur, facile deprehendet, in episcoporum aliorumque ministrorum electione, populi et cleri suffragium expetitum fuisse: sic quippe apud S. Clementem I legitur [2]: *Itaque qui constituti sunt ab illis vel deinceps ab*

[1] Conc. Trid., Sess. XXIII, cap. 18. Cf. Ep. S. Congr. Concist. *Circolare sui Seminari, agli Ordinari d'Italia*, 16 Iul., 1912. — De hoc argumento legi etiam cum fructu potest Mons. Almerico Guerra, Le vocazioni allo stato ecclesiastico, Siena, 1891; etc. Opportune rem hanc pertractat Monsabré, Exposition du Dogme Catholique. Carême, 1886, L'Ordre. In quinque concionibus successive loquitur auctor de sacerdotis consecratione, de eius dignitate, officiis atque iuribus, de celsitudine episcopatus, necnon de hostibus sacerdotii christiani. Signanter vero clare demonstrat, in Collatione LXXXI, qualis debeat esse, in sacerdote, scientiae dos, scilicet, scientiae veritatis ac scientiae vitae, necnon quali debeat ille sanctitate exornari. At lectorem monitum volumus, notarum nonnullas, quas italicae versioni addidit Ecc.mus Dom. Ieremias Bonomelli, caute esse legendas. — [2] Ep. I ad Corinth., c. XLIV, n. 3, PP. App. Tubingae. Funk. 1901, p. 156, 157.

aliis viris eximiis, consentiente universa Ecclesia, συνευδοκησάσης τῆς Ἐκκλησίας πάσης,... *hos iudicamus munere suo non iuste deiici.* — Porro, finem huiusmodi dispositionis clare indicat S. Cyprianus [1], *ne videlicet quis ad altaris ministerium, vel ad sacerdotalem locum indignus obreperet;* qui etiam haec scribit [2]: *Quapropter, de traditione divina et apostolica observatione servandum est et tenendum, quod apud nos quoque, et fere per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui praepositus ordinatur, episcopi eiusdem provinciae proximi quique conveniant, et episcopus deligatur plebe praesente, quae singulorum vitam plenissime novit, et uniuscuiusque actum de eius conversatione perspexit.*

Ad idem refertur quod scribit S. Leo ad Anastasium episcopum Thessalonicensem [3]: *Cum de summi sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus praeponatur, quem cleri plebisque consensus concorditer postularit:... ne civitas episcopum non optatum aut contemnat, aut oderit, et fiat minus religiosa quam convenit, cui non licuerit habere quem voluit.*

Quae cum ita sint, mirandum non est, si priscis Ecclesiae temporibus, in electionibus maxime episcoporum, suffragium non modo cleri, sed etiam principum et primatum, imo ipsius populi, expeteretur, in id videlicet tacite vel etiam expresse consentiente ipsamet Ecclesia.

3. — Verba Pontificalis Romani. — Digna autem sunt quae hic recitentur verba quae in Pontificali Romano, in ordinatione presbyteri prostant: *Quoniam, fratres carissimi, rectori navis, et navigio deferendis eadem est vel securitatis ratio, vel communis timoris; par eorum debet esse sententia, quorum causa communis existit. Neque enim fuit frustra a Patribus institutum, ut de electione illorum, qui ad regimen altaris adhibendi sunt, consulatur etiam populus: quia de vita et conversatione praesentandi, quod nonnumquam ignoratur a pluribus, scitur a paucis; et necesse est, uti facilius ei, quis obedientiam exhibeat ordinato, cui assensum praebuerit ordinando.*

[1] Epist. LXVII, al. LXVIII. — [2] Ibid. — [3] Epist. XII, al. LXXXIV.

4. — PROP. — **Ad electionem ministrorum Ecclesiae, minime requiritur assensus vel suffragium cleri, populi aut magistratuum.**

5. — **Auctoritas.** — Id expresse definivit Concilium Tridentinum [1]: *Si quis dixerit, ordines ab* (episcopis) *collatos sine populi vel potestatis saecularis consensu aut vocatione irritos esse. A. S.* Mentem autem suam ulterius explicans Concilium, haec habet [2]: *Docet insuper sacrosancta Synodus, in ordinatione episcoporum, sacerdotum, et ceterorum ordinum, nec populi, nec cuiusvis saecularis potestatis et magistratus consensum, sive vocationem sive auctoritatem ita requiri, ut sine ea irrita sit ordinatio: quin potius decernit, eos, qui tantummodo a populo aut saeculari potestate ac magistratu vocati et instituti, ad haec ministeria exercenda ascendunt, et qui ea propria temeritate sibi sumunt, omnes non Ecclesiae ministros, sed fures et latrones, per ostium non ingressos, habendos esse.*

6. — **Ratio theologica.** — Revera, ipsimet Apostoli leguntur episcopos et presbyteros constituisse absque ullo populi aut magistratuum suffragio; quinimmo S. Paulus, ad Galatas scribens [3], dicit se Apostolum *non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum* constitutum fuisse. Praeterea, nusquam in sacris canonibus legitur huiusmodi suffragium requiri; et si quidem id iuris clero, populo, aut magistratibus aliquando concessum reperitur, hoc fuit non quidem in testimonium potestatis in eisdem, sed potius in argumentum probitatis et idoneitatis in candidatis, ut dictum est: ceterum, quod Ecclesia semel concessit, retrahere potest.

7. — **Confirmatur.** — Ne quis autem in errorem incidat, putans praedictum suffragium semper de necessitate fuisse requisitum, sciendum est casus non defuisse, quibus ministrorum electio anteverteret populi vel magistratuum suffragium, prout ipse testatur S. Cyprianus qui, occasione ordinationis Aurelii, alloquens clerum et populum, ait [4]: *In*

[1] Sess. XXIII, can. 7. — [2] Ibid., cap. 4. — [3] I, 1. — [4] Epist. XXXVIII, al. XXXIII.

ordinationibus clericis solemus vos consulere, fratres carissimi, et mores ac merita singulorum communi consilio ponderare: sed expectanda non sunt testimonia humana; cum praecedunt divina suffragia. Maxime autem cautum fuit ut, salvo cleri et procerum suffragii iure, a comitiis arcerentur qui sunt ex faece plebis, quorum proprium est tumultus et seditiones excitare: sic quippe in perantiquo Concilio Laodiceno [1] statuitur [2], *non esse permittendum turbis, eorum qui sunt in sacerdotio constituendi, electionem facere.*

8. — **Praedicta facultas iure ab Ecclesia sublata est.** — At vero, cum temporis decursu praedicta praxis plurimo ianuam abusui aperiret, iure Ecclesia saeculares principes facultate privavit sacros ministros eligendi. Sic quippe in secundo Nicaeno Concilio [3] legitur [4]: *Omnis electio a principibus facta episcopi, aut presbyteri, aut diaconi irrita maneat, secundum regulam* [5]*... Oportet enim ut qui provehendus est in episcopum, ab episcopis eligatur.* Pariter, in Concilio generali Contantinopolitano IV [6], definitur [7], *ut si quis episcopus per versutiam vel tyrannidem principum, huiusmodi dignitatis consecrationem susceperit, deponatur omnimodis, utpote qui non ex voluntate Dei,... sed ex voluntate carnalis sensus... Dei domum possidere voluit vel consensit.*

Sed ulterius Ecclesia, temporis decursu processit, cum non solum populum ac saeculares principes, sed etiam comprovinciales episcopos iure privavit episcopos eligendi, ut factum legimus in Concilio Lateranensi IV [8], in quo triplex statuitur electionis modus: per scrutinium, per compromissionem et per inspirationem, seu adorationem [9]; ubi simul irrita omnino declaratur electio, quae per abusum saecularis potestatis facta fuisset [10].

9. — **Solvuntur difficultates.** — Contra id quod dictum est, suffragium populi vel principum minime requiri iure di-

[1] Circa A. D. 360. — [2] Can. 13, Mansi, t. II, col. 565. — [3] A. 787. — [4] Act. VIII. D.-B. n. 305. — [5] Can. Apost. 30. — [6] A. 869. — [7] Can. 12, D.-B., n. 339. — [8] A. D. 1215. — [9] Can. 24, Mansi, t. XXII, col. 1011. — [10] Can. 25.

vino ad sacrorum ministrorum electionem, obiici auctoritas potest tum ex Sacra Scriptura, tum ex S. Cypriano.

I. In Actibus Apostolorum, ubi de electione septem diaconorum agitur, haec leguntur [1]: *Convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt: Non est aequum, etc.: considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem... Et placuit sermo coram omni multitudine; et elegerunt Stephanum*, etc. Ex quibus hauriendum videtur, apostolicae esse institutionis consensum multitudinis pro ministrorum electione requirere.

Resp. Ex hoc loco unum tantum deducere fas est, scilicet Apostolos iudicium multitudini permisisse circa eos qui, utpote boni testimonii, in diaconos erant promovendi: porro, sicut tunc huiusmodi licentia in bonum Ecclesiae populo concessa est, ita cum, ob mutatos in societate mores, licentia haec nociva videtur, potest pari iure ab Ecclesia, quae in Apostolorum iura successit, revocari. Apostoli igitur eatenus totius concilii delectui diaconorum electionem permittendam sunt arbitrati, quatenus eam cuperent ab omnibus probari, ne vitio sibi verteretur, si electio exspectationi minus apte respondisset.

II. S. Cyprianus ait, *de divina auctoritate descendere, ut sacerdos, plebe praesente, sub omnium oculis deligatur, et dignus atque idoneus publico testimonio comprobetur* [2].

Resp. Per divinam auctoritatem sanctus ille Pater non intelligit Dei mandatum de electione sacrorum ministrorum non facienda nisi approbante aut suffragium ferente populo: sed verba ea referuntur ad exemplum quod illemet subiungit, quale fuit Eleazari, filii Aaron [3]: in quantum videlicet hoc exemplo divinitus inducto docemur, opportune interdum consuli populum, quo et securior fiat electio et gratior electus evadat.

[1] Act., VI, 2, seq. — [2] Epist. LXVII, al. LXVIII. — [3] Num., XX, 25.

QUAESTIO QUINTA.

(S. XXXV).

DE EFFECTIBUS ORDINIS.

Prologus.

1. — **Catechismus Romanus, circa excellentiam ministerii sacerdotalis.** — Ut rite perpendi valeant effectus ex ordine promanantes, iuvat ex ipsomet Catechismo Romano, sacerdotalis ministerii praestantiam recolere. *Cum episcopi et sacerdotes tanquam Dei interpretes et internuntii quidam sint, qui eius nomine divinam legem et vitae praecepta homines edocent et ipsius Dei personam in terris gerunt, perspicuum est eam esse illorum functionem, qua nulla maior excogitari possit: quare merito non solum angeli, sed dii etiam, quod Dei immortalis vim et numen apud nos teneant, appellantur. Quamvis autem omni tempore summam dignitatem obtinuerint, tamen novi Testamenti sacerdotes ceteris omnibus honore longe antecellunt. Potestas enim tum corpus et sanguinem Domini nostri conficiendi et offerendi, tum peccata remittendi, quae illis collata est, humanam quoque rationem atque intelligentiam superat, nedum ei aliquid par et simile in terris inveniri queat. Deinde vero, quemadmodum Salvator noster a Patre, Apostoli autem ac discipuli in universum mundum a Christo Domino missi sunt, ita quotidie sacerdotes eadem, qua illi, potestate praediti, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi* [1], *mitttuntur* [2].

2. — **Ordo quaestionis.** — Porro, sacramenti ordinis duplex effectus distinctim considerandus occurrit, scilicet unus principalis, qui est gratia, alius vero secundarius, qui est character.

[1] Eph., IV, 12. — [2] P. V, De Sacr. ord., n. 2.

Primo. Utrum sacramentum ordinis producat gratiam santificantem.

Secundo. Utrum sacramentum ordinis imprimat characterem.

Articulus I. — *Utrum sacramentum ordinis conferat gratiam sanctificantem.*

1. — Sacramenta gratiam producunt. — In antecessum recolendum hic venit, quod in tractatu de SACRAMENTIS IN GENERE fusius exponitur [1], scilicet sacramenta novae Legis gratiam causare, per modum instrumenti, quatenus ex divina ordinatione adhibentur ad gratiam in hominibus causandam. Quod ita quidem intelligendum est, quatenus in sacramento est quaedam virtus instrumentalis ad inducendum sacramentalem effectum, quae quidem virtus non est permanenter et complete in instrumento, sed transeunter et per modum decursus cuiusdam. Gratia vero, quam sic sacramenta producunt, non solum ordinatur ad informandam animam, sed etiam, per virtutes inde derivatas, perficit potentias animae, tum quantum ad generalem ordinationem actuum, tum quantum ad quosdam effectus speciales qui requiruntur in vita christiana. Sub hoc secundo respectu, gratia vocatur sacramentalis, quae addit super gratiam communiter dictam et super virtutes et dona, quoddam divinum auxilium ad consequendum sacramenti finem: quocirca diversificatur secundum sacramentorum diversitatem.

2. — PROP. — Sacramentum ordinis confert gratiam sanctificantem.

3. — Auctoritas. — Haec veritas, quae imprimis ex hoc de fide constat, quod omnibus sacramentis novae Legis competit conferre gratiam sanctificantem, ita specialiter, quoad sacramentum ordinis, definita legitur in Concilio Tridentino [2]: *Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari*

[1] 1. Quaest. LXII, Appendix II ad art. 6, p. 130. — [2] Sess. XXIII, can 4.

Spiritum Sanctum, ac proinde frustra episcopos dicere: ACCIPE SPIRITUM SANCTUM,... *A. S.* Porro Spiritus Sanctus per gratiam habitualem inhabitat animam hominis.

4. — Prob. rat. theol. — Hanc autem veritatem ita demonstrat S. Thomas [1]. Dicendum quod *Dei perfecta sunt opera* [2]. Quapropter, cui datur potentia aliqua divinitus, dantur etiam ea per quae executio illius potentiae possit congrue fieri. Et hoc etiam in naturalibus patet; quia animalibus dantur membra quibus potentiae animae possunt exire in actus suos, nisi sit defectus ex parte materiae. Sicut autem gratia gratum faciens est necessaria ad hoc quod homo digne sacramenta recipiat, ita etiam ad hoc quod homo digne sacramenta dispenset. Quapropter, sicut in baptismo, per quem fit homo susceptivus aliorum sacramentorum, datur gratia gratum faciens, ita in sacramento ordinis, per quod homo ordinatur ad aliorum sacramentorum dispensationem, gratia sanctificans confertur.

5. — Praestantia huius gratiae. — Sciendum est autem praecellentem omnino esse gratiam quam sacerdos in ordinatione recipit. Nimirum, ut iterum argumentatur Angelicus [3], ad idoneam ordinum executionem, non sufficit bonitas qualiscumque, sed excellens bonitas requiritur: ut sicut illi qui ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu ordinis, ita et superiores sint merito sanctitatis. Quocirca, in eo qui ad ordines accedit, praesupponitur quidem gratia, per quam fit idoneus ad susceptionem ordinis, qua videlicet digne connumeretur in plebe Christi; sed confertur in susceptione ordinis amplius gratiae munus, per quod Ecclesiae ministri ad maiora officia persolvenda reddantur idonei. Igitur, quia sacerdotali munere nihil sanctius, nihil sublimius habetur, ideo in ordinatione praecellentia gratiae auxilia conferri oportet, tanto ministerio debite exequendo proportionata.

6. — Confirmatur. — Idipsum patet ex ritu impositionis manuum, quae in ordine conferendo adhibetur: nimirum,

[1] S., Quaest. XXXV, art. 1. — [2] Deut., XXXII, 4. — [3] Loco cit., ad 3[m].

quia ministri Ecclesiae indigent amplissima gratia, ait iterum S. Thomas [1], ideo sacerdotes manus cum episcopo imponunt eis qui in sacerdotes promoventur: ceterum, manus impositio abundantiam munerum caelestium significat. Denique, satis est ut oculum quis coniiciat ad Pontificale Romanum, ubi ordinandorum ritus exhibetur: ibi quippe tales iubetur Pontifex preces ac supplicationes ad Deum fundere, quibus evidenter significatur copiosis gratiae muneribus debere sacros ministros exornari.

7. — **Gratia sacramentalis in ordine collata.** — Porro, gratia sacramentalis, ut diximus, addit supra gratiam virtutum et donorum, et quidem tum habitualiter, secundum specialem dispositionem in actu primo ad munera ecclesiastica rite obeunda, tum actualiter, secundum specialia auxilia hisce muneribus exequendis accommodata: unde dicendum est, per gratiam in ordine collatam, ministrum Ecclesiae idoneum reddi qui pellat plebis ignorantiam [2], necnon qui digne sacramenta dispenset: haec enim duo proprie ad munus sacerdotale pertinent.

8. — **Gratia singulis ordinibus adnexa.** — Quae cum ita sint, iam intelligi potest, quaenam gratia singulis ordinibus adnexa homini rite disposito conferatur, ut percurrenti per singula facile patescit.

Imprimis, cum *ostiarii* munus sit templi claves et ianuam custodire et a loco sancto indignos arcere, unde velut sacrarii custos deputatur, hinc gratiam accipit, invisibilem Dei domum, corda scilicet fidelium, dictis et exemplis claudere diabolo et aperire Christo [3].

Ad *lectorem* vero pertinet libros sacros clara et distincta voce recitare, et prima christianae religionis rudimenta fidelibus tradere [4]: cui proinde gratia impertitur id quod ore legit, corde credere et opere complere, et auditores verbo pariter et exemplo aedificare [5].

[1] S., Quaest. XXXVIII, art. 1, ad 1[m]. — [2] S., Quaest. XXXV, art. 1, ad 1[m]. — [3] Pontif. Rom., de ord. Ostiar. — [4] Cat. Rom., P. II, c. 7, n. 16. — [5] Pont. Rom., de ord. Lect.

Exorcistae officium est nomen Domini invocare in eos qui ab immundis spiritibus obsidentur [1]: hi igitur, per sacrae ordinationis gratiam impetrant, ut sicut a corporibus aliorum daemones expellunt, ita a mentibus et corporibus suis omnem eiiciant immunditiam et nequitiam, nec illis succumbant quos ab aliis, suo ministerio, effugant [2].

Acolythorum munus est ministros maiores, subdiaconos scilicet et diaconos, in altaris ministerio assectari, eisque operam dare; necnon lumina deferre et asservare dum missae sacrificium celebratur, unde et ceroferarii etiam vocantur [3]. Quapropter, isti gratiam consequuntur, ut seipsos Deo, per castam vitam et bona opera, sacrificium offerant, et ut eorum mentes et corda ad amorem divinae gratiae accendantur [4].

Spectat ad *subdiaconum* diacono ad altare inservire; parare sacra lintea, vasa, panem et vinum ad sacrificii usum necessaria, epistolam in missa legere, atque aquam calici ad sacrificium infundere [5]. Huic igitur confertur gratia, qua in sacrario sancto strenuus ac sollicitus caelestis militiae instituatur excubitor, sanctisque altaribus fideliter subministret et septemplici dono Spiritus Sancti repleatur [6].

Ad *diaconos* attinet episcopum perpetuo sequi, concionantem custodire, eique et sacerdoti sacra facienti vel alia sacramenta administranti praesto esse, et in missae sacrificio evangelium legere. Ad eos etiam pertinet, tanquam episcopi oculos, rectam vitae religiosae rationem in dioecesi pervestigare, atque Ecclesiae thesauros pauperibus fideliter erogare [7]. In eos igitur mittit Deus Spiritum Sanctum, quo in opus ministerii sui fideliter exequendi septiformis gratiae munere roborentur; dat eis quoque formam totius virtutis, auctotitatem modestam, pudorem constantem, innocentiae puritatem et spiritualis disciplinae observantiam. Facit etiam ut moribus eorum praecepta sua fulgeant, in plebis aedificationem, concedens eis ut in Christo firmi et stabiles perseverent [8].

[1] Cat. Rom., ibid., n. 17. — [2] Pont. Rom., de ord. exorcist. — [3] Cat. Rom., l. c., n. 18. — [4] Pont. Rom., de ord. acolyth. — [5] Cat. Rom., l. c., n. 19. — [6] Pont. Rom., de ord. subd. — [7] Cat. Rom., l. c., n. 20. — [8] Pont. Rom., de ord. diaconi.

Sacerdotis munus est Deo sacrificium offerre atque sacramenta fideli populo administrare, praedicatione et exemplo aedificare familiam Dei atque mediatorem esse inter Deum et homines [1]. Huic igitur in ordinatione largitur Deus gratiam, primo quidem qua valeat virtutes suo gradui consentaneas, iustitiam, constantiam, misericordiam, fortitudinem, aliasque in se excolere atque populo efficaciter commendare; tum caritate donatur, qua valeat in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi crescere [2].

Episcopi, licet in ordine speciali non constituantur, hoc tamen supra simplices presbyteros habent, ut et ceteros Ecclesiae ministros, et fidelem populum regant, atque eorum saluti summa cum vigilantia et cura prospiciant [3]. His igitur in ordinatione concedit Deus abundantiam constantiae fidei, puritatem dilectionis, sinceritatem pacis, ministerium reconciliationis in verbo et in factis, in virtute signorum et prodigiorum [4].

Articulus II. — *Utrum sacramentum ordinis imprimat characterem.*

1. — **Quid sit character.** — Character est signaculum quoddam spirituale quo mens hominis insignitur ad suscipiendum vel aliis tradendum ea quae sunt cultus divini [5]. Derivatur autem character a sacerdotio Christi: ut sicut Christus habuit plenam spiritualis sacerdotii potestatem, ita fideles eius ei configurentur in hoc, quod participant aliquam spiritualem potestatem respectu sacramentorum et eorum quae pertinent ad cultum divinum; unde de ratione characteris est, ut sit quaedam spiritualis potestas ad aliquas

[1] Cat. Rom., l. c., n. 25. — [2] Pont. Rom., de ord. presbyteri. — [3] Cat. Rom., l. c., n. 26. — [4] Pont. Rom., de Cons. electi in episcopum. — Non potest nimium inculcari clericis ut cum ad sacras ordinationes suscipiendas, in spiritualibus exercitiis, se praeparant. legant atque meditentur pulcherrimas orationes quae in Pontificali Romano prostant, quibus aperte significantur dona illa gratiarum. quae singulis ordinibus adnectuntur. — [5] Tr. n. de sacram. in communi, Quaest. LXIII, art. 1, pp. 142, seq.

sacras actiones ordinata. Est autem character indelebiliter impressus in anima: habet nempe rationem cuiusdam virtutis instrumentalis, ad quam pertinet ut moveatur ab agente principali: ratio quippe instrumenti consistit in hoc quod ab alio moveatur, non autem in hoc quod ipsum se moveat: unde quantumcumque voluntas moveatur in contrarium, character non removetur, propter immobilitatem principalis moventis [1].

2. — PROP. — In omnibus ordinibus imprimitur character.

3. — Auctoritas. — Veritas haec ita in Concilio Tridentino consignata legitur [2]: *Si quis dixerit.... per* (sacram ordinationem) *non imprimi characterem ; vel eum qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse, A. S.* Ex quo colligi potest, de fide quidem esse, quod character in presbyteratu imprimitur; at simul certum theologice constare illum in diaconatu quoque, quem omnes tanquam sacramentum agnoscunt, imprimi.

4. — Suadetur. — Omne sacramentum, in quo non imprimitur character, est iterabile. Atqui nullus ordo est iterabilis. Ergo in quolibet ordine imprimitur character. — Ubi quod dicitur, nullum ordinem esse iterabilem, in ipsa Ecclesiae praxi fundatur: siquidem, quicumque clericus de quocumque ordine ad laicum se transferat, cum ad clericatum redit, ordinem quem habuerat, nullatenus iterum suscipit. — Ceterum, character, ut diximus, est distinctivum quoddam. Sed in quolibet ordine est aliqua distinctio. Ergo quilibet ordo imprimit characterem [3].

5. — Ratio theol. — Sacramenta novae Legis ad duo ordinantur: scilicet, in remedium peccati et ad cultum divinum. Porro, licet per omnia sacramenta homo liberetur a malo, cum omnia ordinentur in remedium peccati, non tamen aequaliter per omnia sacramenta homo deputatur ad cul-

[1] Ibid., art. 5, pp. 167, seq. — [2] Sess. XXIII. can. 4. — [3] S. Quaest. XXXV, art. 2, sed contra 1, 2.

tum divinum: nam aliquod sacramentum est, ut poenitentia, per quod non exhibetur homini aliquid de novo pertinens ad cultum divinum, sed homo restituitur in statum pristinum; aliquod vero sacramentum est, ut Eucharistia, quod pertinet quidem ad cultum divinem, attamen per huiusmodi sacramentum non ordinatur homo ad aliquid aliud ulterius agendum vel recipiendum in sacrameutis. Igitur character in illis tantum sacramentis invenitur, quae ulterius ordinant hominem ad aliquid vel recipiendum, qualis est baptismus, vel agendum, qualis est confirmatio et praecipue ordo, per quem deputantur homines ad sacramenta aliis tradenda. Spiritualis autem potestas, quae ad characterem pertinet, licet plenarie reperiatur in sacerdotio, diminute tamen et participative etiam in aliis ordinibus continetur, unde per omnium ordinum collationem gignitur character in anima.

6. — **Character ordinis praesupponit de necessitate characterem baptismi.** — Sciendum est autem, ordinis charactere animam non posse exornari, nisi quae iam lustralibus aquis regenerata manet. Nam, ut argumentatur S. Thomas [1], nihil potest aliquis recipere, cuius receptivam potentiam non habet. Per characterem autem baptismalem efficitur homo receptivus aliorum sacramentorum. Ergo qui baptismali charactere caret, nullum aliud sacramentum percipere potest; ideoque character ordinis baptismalem characterem praesupponit. — Quapropter Innocentius III, occurrens quorumdam veterum opinioni, qui contrarium senserant, simpliciter reordinandum iubet presbyterum non baptizatum, ubi et aliam citat auctoritatem [2]: *In Concilio apud Compendium legitur constitutum quod, si quis in presbyterum ordinatus, deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur et iterum ordinetur.*

7. — **Solvuntur difficultates** — I. Potestas activa non supponit de necessitate potestatem passivam: potest enim esse sine ea, sicut patet in Deo. Atqui character ordinis est potestas activa, et character baptismalis potestas passiva:

[1] S., Quaest. XXXV, art. 3. — [2] L. III, tit. 43, cap. *Veniens.*

per characterem enim ordinis homo efficitur dispensator sacramentorum, per characterem vero baptismalem fit susceptivus eorumdem. Ergo character ordinis non praesupponit de necessitate characterem baptismalem.

Resp. Dist. mai.: in eo qui habet potentiam activam a se, *conc.*; in eo qui habet potentiam activam ab alio, *nego. Conc. min. Nego Conseq. et Conseq.* — In eo utique qui habet potentiam activam a se, potentia activa non praesupponit potentiam passivam, sed in eo qui habet potentiam activam ab alio, praeexigitur ad potentiam activam potentia passiva, qua subiectum recipere valeat potentiam activam [1].

II. Potest contingere quod quis non sit baptizatus, qui se baptizatum existimat probabiliter. Si ergo talis ad ordines accedat, non consequetur characterem ordinis, si character ordinis praesupponat characterem baptismalem: et sic ea quae faciet, vel in consecratione vel in absolutione, nihil erunt, et in hoc Ecclesia decipietur, quod est inconveniens.

Respondet iterum S. Thomas [2], quod talis, si ad sacerdotium promoveatur, non est sacerdos, nec conficere potest, nec absolvere in foro poenitentiali, unde secundum canones debet baptizari et iterato ordinari, et si etiam in episcopum promoveatur, illi quos ordinat non habent ordinem. Attamen, caute addit Angelicus, pie credi potest quod, quantum ad ultimos effectus sacramentorum, summus Sacerdos suppleret defectum, et quod non permitteret hoc ita latere, quod Ecclesiae posset periculum imminere.

8. — **Character ordinis non praesupponit de necessitate, sed solum de congruitate, characterem confirmationis.** — Revera, ad hoc ut quis ad ordines possit accedere, exigitur ut ille sit ordinis susceptivus, quod fit non per characterem confirmationis, sed per characterem baptizmi. Unde et legimus Apostolos recepisse potestatem ordinis ante ascensionem, qui tamen non confirmati sunt per adventum Spiritus Sancti, nisi post ascensionem. — Convenit tamen ut ordinem non recipiat, nisi confirmatus. Imprimis enim qui

[1] S., Quaest. XXXV, art. 3, ad 1[m]. — [2] Ibid., ad 2[m].

ad alios confirmandos ponuntur, maxime debent esse firmi: sed illi qui sacramentum ordinis suscipiunt, sunt aliorum confirmatores, scilicet, vel tanquam ministri ordinarii, ut episcopi, vel tanquam ministri extraordinarii, ut presbyteri. Ergo maxime debent esse signati sacramento confirmationis [1]. Quocirca in Concilio Tridentino praescribitur [2]: *Prima tonsura non initientur, qui sacramentum confirmationis non susceperunt.* Nimirum, cum per ordinem homo disponatur ad officium Christi ducis exequendum, per confirmationem vero proprie efficiatur Christi miles, hinc congruum est ut nonnisi confirmatis ordinis sacramentum conferatur.

9. — Verba P. Monsabré. — Iuvat hunc S. Thomae de Ordinis charactere doctrinam claudere elegantibus verbis P. G. M. L. Monsabré. O. P. — *Il sacerdote è segnato! Checchè egli faccia, non si scancellerà mai. Il suo carattere persiste: onore eterno per chi lo rispetta, eterno disonore per chi è infedele alla sua consacrazione. Invano egli si pente d'essersi dato a Dio e protesta contro il suo stato; invano egli diserta gli altari e getta la veste veneranda che lo separa dai figli del secolo; invano egli butta la sua vita consacrata nella gora della vita mondana; invano si abbandona nel vortice degli affari e dei piaceri; invano, annoiato del suo isolamento, egli cerca una compagna e versa il suo cuore, che a tutti doveva esser aperto, sui frutti di un amore sacrilego; invano egli si sforza di cancellare dalla sua fisonomia, dalle sue apparenze, dalle sue abitudini tutto ciò che sente di sacerdote: gli sforzi che egli fa per darsi l'aria di un profano, non possono ingannare quelli che l'hanno conosciuto. Presso di lui si sta a disagio, e l'anima indegnata va mormorando.* TU ES SACERDOS IN AETERNUM! — *La morte, la stessa morte, non potrà annientare la consacrazione sacerdotale. Il sacerdote impenitente porterà seco nell'inferno la scritta del giuramento di Dio: questo lugubre riverbero di una gloria tradita commuoverà contro di lui le sinistre legioni dei dannati. Essi se lo mostreranno a dito gridando: Eccolo, eccolo! Oh, maledetto! Tu sei sacerdote in eterno* - TU ES SACERDOS IN AETERNUM!

[1] Ibid., art. 4. — [2] Sess. XXIII, cap. 4 de Reform.

Io non mi maraviglio, o Signori, di leggere in S. Tommaso che il carattere interno, il quale trasforma l'anima del prete, è essenzialmente e principalmente il sacramento dell'Ordine [1]. *Questo carattere, che compie la nostra partecipazione al sacerdozio di Gesù Cristo, non può essere un puro segno. Sopra questo segno si innestano il potere e la grazia; potere sul corpo naturale di Cristo, che il sacerdote deve far presente ed immolare sull'altare: potere sul corpo mistico di Cristo, al quale il sacerdote comunica i doni di Dio e che egli rappresenta nelle sue religiose funzioni. E poichè Dio non largisce mai un potere alla sua creatura senza fornirle il mezzo di usarne come conviene: poichè un potere sacro non può, regolarmente e convenientemente, essere messo all'opera, che per mezzo di un'anima santificata, Dio compie la consacrazione sacerdotale colla grazia. In quest'ordine una bontà comune non potrebbe bastare al sacerdote: gli occorre la eccellenza. Posto per la sua dignità al disopra del popolo, deve essergli superiore nel merito della santità: santità tanto più ampia in quanto che non si tratta per lui, come per gli altri cristiani, di prendere degnamente il posto nella famiglia di Cristo, ma di adempirvi il maggiore ufficio che si possa concepire. Tal è l'insegnamento dell'angelico dottore* [2].

[1] Suppl., Quaes., XXXIV, art. 2, ad 1[m]. — Quo sensu a S. Thoma dictum sit characterem esse essentialiter et principaliter ipsum sacramentum ordinis, explicuimus supra. Quaest. I, art. 1, n. 15. — [2] Conf. LXXIX, *La Consacrazione sacerdotale.*

APPENDIX

DE COELIBATU

APPENDIX.

DE COELIBATU

PROLOGUS.

1. — **Ratio appendicis.** — Quamquam ex doctrina in tractatu de matrimonio tradita [1], sat evidenter constat coelibatum legi naturae non opponi, cum singula societatis membra non teneantur officio matrimonium amplectendi, pronum tamen est ut argumentum hoc ex professo pertractemus, ob specialem obligationem qua maiores clerici tenentur statum hunc immutabiliter amplectendi: quam quidem rem sedula cura persequi debemus, id suadente rei gravitate et exigentibus calamitosis praesentis temporis conditionibus.

2. — **Materialistarum indigna placita.** — Debetur quippe terrenis materialistarum aevi nostri placitis, quibus malo fato nonnulli, vel ex clero, sub specie doctrinas ad moderni temporis indolem revocandi, adhaeserunt, quod coelibatus nunc repraesentetur tanquam vires hominis superans, imo ipsius naturae iuribus adversans, proindeque e medio, uti proclamant, tollendus. Sublata videlicet hac lege, quam nonnisi ab uno alterove ex Pontificibus romanis originem duxisse proclamant, putant sacerdotis conditioni melius provisum, atque scandala, utique ab ipsis nimium exagerata, quibus lex illa occasionem, ut aiunt, dederit, penitus ablatum iri.

3. — **Ordo huius appendicis.** — Ut in re tam gravi ordinatim procedamus, primo de coelibatu christiano in communi agemus; dein vero, de coelibatu ecclesiastico, et quidem per plura puncta, tractabimus.

[1] Quaest. I, art. 3.

CAPUT I.

De coelibatu christiano in communi.

1. — **Quid sit coelibatus christianus.** — Coelbes, a graeco κοίτη, *lectus* et λείπω *relinquo*, quem graeci dicunt ἄγαμνον, proprie est vir sine uxore, aut mulier sine marito vivens. Quapropter coelibatus christianus, qui confundi non debet cum statu virginitatis matrimonialis, qualis a pluribus Sanctis, praeeuntibus Maria et Ioseph, ad praxim deductus est, consistit in hoc quod quis statuat se abstinere a nuptiis, non tanquam inhonestis, quales illas manichaei olim habuerunt, nec praecise quia fastidia secumferunt plurima, sed formaliter maioris boni causa, puta ut quis Deo rebusque divinis liberius possit vacare.

Quocirca, coelibatus christianus, quem Dominus noster insigni praeconio celebravit, cum dixit [1]: *Non omnes capiunt verbum istud. sed quibus datum est;... qui potest capere, capiat.* nonnisi aequivoce convenit cum illa coelibatus forma, quam turpis avaritia aut ignavia saepe parturit.

2. — PROP. — **Status coelibatus christiani perfectior existit statu matrimoniali.**

3. — **Auctoritates.** — Statum coelibatus christiani statui matrimonii perfectione ac sanctitate praestare, solemniter declaravit Concilium Tridentinum, hac damnata propositione [2]: *Si quis dixerit statum coniugalem anteponendum esse statui virginitatis vel coelibatus. et non esse melius ac beatius manere invirginitate aut coelibatu, quam iungi matrimonio. A. S.*

Porro, quod revera virginitas matrimonio praecellat, constat evidenter ex doctrina Apostoli, qui virginitatem

[1] Matth., XIX, 11, 13. — [2] Sess. XXIV, can. 10.

consuluit tanquam melius bonum [1]: *Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit, et qui non iungit, melius facit.*

Huc facit egregium dictum S. Augustini [2]: *Et certe ratione, et Sanctarum Scripturarum auctoritate, nec peccatum esse nuptias invenimus, nec eas bono vel virginalis continentiae, vel etiam vidualis aequamus.* Antea autem dictum fuerat a S. Ignatio Antiochensi [3]: *Si quis potest in castitate manere ad honorem carnis Domini, in humilitate maneat.*

4. — **Notandum.** — Notandum autem est, nos virginitatem comparare cum matrimonio, primo, attento fine *operis*, non autem fine operantis; secundo, quantum ad ipsos *status*, non quantum ad personas; si enim de persona agatur, potest utique coniugatus inveniri melior quam virgo, quia forte ille qui non est virgo, habet aliquam excellentiorem virtutem quam virgo non habeat; insuper, ex parte ipsius castitatis, potest esse quod coniugatus habeat animum paratum ad virginitatem servandam, si oporteret, magis quam ille qui est actu virgo; unde S. Augustinus virginem instruit ut dicat [4]: *Ego quidem non sum melior quam Abraham, sed melior est castitas coelibum, quam castitas nuptiarum* [5].

5. — **Ratio theologica.** — Ratione autem idipsum ita ostenditur. Illud quod ordinatur ad bonum animae, secundum vitam contemplativam, melius est eo quod ordinatur ad bonum corporis, secundum vitam activam. Atqui virginitas ordinatur ad bonum animae, secundum vitam contemplativam, quod est cogitare ea quae sunt Dei; coniugium autem ordinatur ad bonum corporis, quod est corporalis multiplicatio generis humani, quod quidem pertinet ad vitam activam, quia vir et mulier in matrimonio viventes necesse habent cogitare ea quae sunt mundi, ut Apostolus dicit [6]. Ergo indubitanter virginitas est praeferenda continentiae coniugali [7].

[1] 1 Cor., VII, 38. — [2] L. de Virginit., c. 19, t. VI, col. 349. — [3] Epist. ad Polycarp., 5, Kirch., n. 21. — [4] L. de bono Coniug., c. 22, art. VI, col. 335. — [5] 2 2^{ae}, Quaest. CLII, art. 4, ad 2^{m}. — [6] 1 Cor., VII, 34. — [7] 2 2^{ae}, l. cit., corp. art.

6. — **Excellentia virginitatis.** — Quae cum ita sint, sequitur matrimonio, etiam sub Lege veteri, praestitisse virginitatis statum cui etiam speciale praemium, scilicet aureola, debetur; at multo magis novae Legis tempore hoc valet, quod tempus est *longe fieri ab amplexibus* [1], et rite vocatur tempus gratiae et plenitudinis donorum Spiritus Sancti; quapropter Apostolus non nuptis et viduis dicit [2]: *Bonum est illis si sic permaneant, sicut et ego.* Sed ecquid pluribus ad hoc conficiendum indigemus? Nonne nobis suppetit exemplum Domini et Salvatoris nostri, qui Matrem virginem elegit, et ipse virginitatem servavit, et omnes suos Apostolos, post eorum vocationem, nuptiis aut contractis aut contrahendis valedicere iussit?

Ad rem sunt quae scribit S. Ioannes Damascenus [3]: Καλὴ μὲν ἡ τεκνογονία, ἣν ὁ γάμος διανίστησι· καὶ καλὸς ὁ γάμος διὰ τὰς πορνείας, ταύτας περικόπτων, καὶ τὸ λυοστῶδ ς ἐπιθυμίας διὰ τῆς ἐννόμου μίξεως ἐκ ἑῶν πρὸς ἀνόμους ἐκμαίνεσθαι πράξεις. Καλὸς ὁ γάμος, οἷς οὐ πάρεστιν ἐγκράτεια. Κρείττων δὲ ἡ παρθενία, ψυχῆς τεκνογονίαν αὔξουσα, καί Θεῷ καρπὸν ὥριμον, τὴν προσευχὴν προσάγουσα. *Atqui bona quidem est liberorum procreatio, quae matrimonio suscitatur: bonum item matrimonium propter fornicationes, quas amputat, ac libidinis rabiem, facta legitimae copulae copia, in scelesta flagitia insano impetu ruere non sinit. Bonum, inquam, est matrimonium iis quibus deest continentia: at potior est virginitas quae animi fecunditatem auget, Deoque orationem, uti fructum tempestivum, offert.*

7. — **Solvuntur difficultates.** — I. **Ex Sacra Scriptura.** — α) In Genesi legitur [4]: *Crescite et multiplicamini, et replete terram.*

Resp. Imprimis, dici potest haec verba continere ordinationem de generatione, totam hominum multitudinem respicientem [5]; quae quidem ordinatio, potius quam formale praeceptum, continet benedictionem coniugibus propriam qualis per verbum *benedixit* significatur; maxime cum si-

[1] Eccle., III, 5. — [2] 1 Cor., VII, 8. — [3] L. IV, de Fide orthod., c. XXIV, de Virgin., t. I, p. 297. — [4] I, 28. — [5] 2 2ae, Quaest. CLII, art. 2, ad 1m.

milis benedictio bestiis quoque legatur impertita quae tamen praecepti capaces non existunt; et cum haec verba dicat etiam sint Noe et filiis eius post diluvium, quando tamen nullam prolem Noe genuit. Quocirca, intelligi possunt verba illa eodem sensu dicta, ac haec alia [1]: *Dominamini piscibus maris*, etc.; quae non praeceptum dominii, ut patet, sed potestatis collationem continent, qua protoparentes uti possent cum vellent.

β) In Exodo [2] praecipitur ut non sit *infecunda nec sterilis in terra* (Israel); quod et in libro Deuteronomii confirmatur his verbis [3]: *Non erit apud te sterilis utriusque sexus, tam in hominibus, quam in gregibus tuis.*

Resp. Verba huiusmodi non praeceptum, sed promissionem fecunditatis continent, ut patet ex hoc quod, cum sterilitas sit defectus naturalis, in potestate hominum non est illam excludere. Ceterum, etiam sub veteri Testamento, virginitas fuit laudabilis; nam vel quando erat *tempus amplexandi*, ut loquitur Ecclesiastes [4], Iosue, Elias, Elisaeus, ut observat S. Hieronymus [5], coelibes et casti permanserunt.

γ) S. Paulus expresse ait [6]: *Qui non se continent, nubant: melius est enim nubere, quam uri.* Atqui nemo certo scire potest se perpetuo fore continentem. Ergo omnibus est matrimonium praecipiendum.

Resp. *Dist. mai.*: hoc dicit S. Paulus permittendo matrimonium his qui in periculo incontinentiae versantur, *conc.*; indiscriminatim omnibus illud imponendo, *nego. Dist. min.* citra gratiam divinam, *conc.*; cum auxilio gratiae Dei quae nemini unquam denegatur, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Licet homo, sibi relictus iure meritoque timere possit ne diu continens perdurare nequeat, divina tamen gratia fretus, potest sperare se continentiam non esse amissurum, si gratiae huic non sit obstiturus, quemadmodum homo, christianam religionem amplexus, confidere potest se in ea perseveraturum, si divinae gratiae impulsum sequatur. — Quod si idem Paulus dicat [7]: *Unusquisque suam uxorem habeat, et unaquaeque suum virum habeat*, — non iubendo, sed per-

[1] Ibid. — [2] XXXIII, 26. — [3] VII, 14. — [4] Eccl., III, 5. — [5] Lib. I, contra Iovinianum, cap. 12 et 13. — [6] 1 Cor., VII, 9. — [7] Ibid., 2.

mittendo hoc dicit, ut etiam ex ipso contextu evidenter apparet: ait enim expresse: *propter fornicationem*, scilicet vitandam; nec hoc ad omnes, sed ad solos coniugatos dicit. Igitur S. Paulus in hoc, sicut in superius citato loco. non praeceptum, sed permissionem dat iis qui adhuc liberi sunt, et quibus incontinentiae periculum immunet. Et quod non praeceptum, sed mera permissio ab Apostolo detur, sat aperte constat ex hoc quod non omnibus, etiam inter eos quibus tale periculum imminet, semper possibile est matrimonium ducere.

8. — II. **Ex Patribus.** — S. Hieronymus, alludens ad verba superius recensita ex veteri Testamento, illa vocat *legem* [1]: *Quamdiu lex illa permansit*: CRESCITE, etc.; S. Augustinus vero [2] ait quod nubebant omnes *quas nubere obedientia. non concupiscentia compellebat.*

Resp. S. Hieronymus *legem* hic usurpavit, non proprie, sed improprie, pro ordinatione divina; et similiter S. Augunus consuetudinem nubendi et filios generatione multiplicandi large vocat obedientiam. – Ceterum, advertendum est id quod a pluribus sanctis Patribus tanquam ex scriptura veteris Testamenti citatur, nempe: *Maledicta sterilis.* in sacro textu revera non inveniri; sed per accommodationem ad mores hebraeorum usurpari, penes quos sterilitas reputabatur in opprobrium, et ei contraria fecunditas in benedictionem.

9. — III. **Ex ratione theol.** — Si omnes vellent abstinere a coniugio, mundus periret.

Huic difficultati, quam olim Iovinianus proposuerat, ita egregie respondet S. Hieronymus [3]: *At dices: Si omnes virgines fuerint, quomodo stabit humanum genus? Par pari referam. Si omnes viduae fuerint. vel in matrimonio continentes, quomodo stirps mortalium propagabitur? Hac ratione nihil omnino erit, ne aliud esse desistat. Verbi gratia; si cuncti*

[1] L. adversus Helvidium, n. 20, t. II, p. I. col. 227. — [2] L. de bono viduitatis, c. 7, t. VI, col. 373. — [3] Lib. I Adv. Iovin., n. 36, t. II, P. I, col. 293, 294.

philosophi sint, agricolae non erunt. Quid loquar de agricolis? Non oratores, non iurisconsulti, non aliquarum artium praeceptores. Si universi principes, quis erit miles? Si omnes caput, cuius vocabuntur caput, cum cetera membra defuerint? Vereris, ne si virginitatem plures appetierint, cessent lupae, cessent adulterae: ne infantes in urbibus villisque non vagiant. Quotidie moechorum sanguis effunditur, adulteria damnantur, et inter ipsas leges et secures ac tribunalia flagrans libido dominatur. Noli metuere ne omnes virgines fiant; difficilis res est virginitas, et ideo rara, quia difficilis: MULTI VOCATI, PAUCI ELECTI.

[1] Matth., XX, 16; XXII, 14.

CAPUT II.

De coelibatu ecclesiastico.

Prologus.

1. — Excellentia status coelibatus. — Ex hucusque traditis, constat, nulla homines lege ad statum matrimonialem amplectendum cogi, imo ad perfectionem pertinere continentiae observantiam, ob amorem virtutis susceptam, iuxta illud Domini nostri [1]: *Sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum caelorum: qui potest capere, capiat:* quod quidem non physice, sed moraliter Dominus praedicavit, eo nempe modo quo pedem manumve praecidenda edixit, aut oculum eruendum, significans videlicet horum membrorum usu, maioris boni gratia, esse homini abstinendum. Ubi tria sedulo, ex Christi verbis, notanda veniunt: primo quidem, hoc vitae perfectioris genus non coacte, sed liberae voluntatis electione esse suscipiendum, atque nonnihil doloris et molestiae afferre, unde dicit Dominus: *Seipso castraverunt;* secundo, castrationem moralem huiusmodi, sive ex voto, sive saltem firmo proposito fiat, nonnisi ob finem vitae supernaturalis esse subeundam, unde dicitur: *Propter regnum caelorum:* tertio, ad rem tam sublimem et arduam cum fructu sustinendam, auxilium requiri divinae gratiae, sine qua impar esset homo carnis tentationibus resistendo, unde subiungit: *Qui potest capere, capiat.*

2. — Quotuplici modo potest qui coelibatum suscipere. — Porro, potest quis coelibem vitam, utique virtutis amore, ducere, vel ex privata devotione, vel sanciente Ecclesia. Si ex privata devotione id fiat, vel hoc est ex mero animi proposito, vel ex formali promissione Deo facta; si vero sanciente Ecclesia, vel hoc est ita ut assumptus coelibatus

[1] Matth., XIX, 12.

matrimonium contrahendum non excludat, vel ut contrahendum matrimonium dirimat. Nimirum, simplex professio in Ordine ab Ecclesia approbato, et similiter minores ordines apud Latinos, non secum actu patiuntur statum matrimonialem, etsi matrimonium minime frustrent; susceptio vero ordinis maioris, et similiter solemnis professio matrimonium ita impediunt contrahendum, ut contractum dirimant.

3. — Coelibatus ecclesiasticus. — At vero nostra non est hic intentio, agere de coelibatu formaliter religioso, qui videlicet in professione religiosa libere assumitur, et proprie pertinet ad consilia evangelica; sed circa coelibatum ecclesiasticum sermo noster est, ad quem clericus ex praescripto Ecclesiae obligatur, quae obligatio ab homine, in actu suscipiendi ordinem maiorem, ita incurritur, ut ad eam observandam teneatur, etiam si tunc corde aut verbis protestaretur nolle se vitam coelibem ducere. Est ergo coelibatus ecclesiasticus, prout distinguitur a coelibatu communi, necnon a coelibatu religioso, disciplinae ecclesiasticae dispositio, qua clerici maioribus ordinibus initiati, tum penes Latinos, tum penes Graecos, prohibentur, sub poena invaliditatis, matrimonium contrahere; qua insuper, penes Latinos, vetantur matrimonio antea contracto uti.

4. — Ordo dicendorum. — Ut autem omnia, quae ad hanc rem pertinent, rite exponamus, ordinatim pertractabimus, primo, de obligatione pro clericis maioribus coelibatum servandi; secundo, de coelibatus ecclesiastici obligatione penes Latinos; tertio, de coelibatu penes Graecos; quarto, de rationibus convenientiae relate ad coelibatum ecclesiasticum; quinto demum, de difficultatibus quae contra coelibatum ecclesiasticum solent moveri.

§ I.

De obligatione pro clericis maioribus coelibatum servandi.

1. — Errores. — Vergente ad finem saeculo quarto, et quinto iam incipiente, Iovinianus et Vigilantius, ille monachus, hic presbyter, continentiae iugo, ut videtur, pertaesi,

coelibatus legem procaciter impetere conati sunt, quos S. Hieronymus fortiter perstrinxit ac debellavit. At blasphemas voces susceperunt media aetate Wicleffus et praesertim Reformatores, quos inter eminuit Martinus Lutherus, qui non verbo tantum, sed opere quoque, coelibatus legem aggredi non est veritus, ducta publice in matrimonium sanctimoniali quadam femina, nomine Catharina Bora [1].

Refert Cardinalis Pallavicinus [2] Germanos a tridentinis Patribus saepius postulasse ut presbyteris uxores habere permitterent: Carolum vero Imperatorem, in libello cui titulus *Interim*, id ultro ea mente concessisse, quod sic speraret lutheranos ad concordiam facilius revocare: Patres vero Germanorum votis nunquam obtemperasse.

Errorem hunc ultro amplexa est ecclesia anglicana, dum statuit: *Episcopis, Presbyteris et Diaconis, nullo mandato divino praeceptum est, ut aut coelibatum voveant, aut a matrimonio abstineant. Licet igitur etiam illis, ut ceteris omnibus Christianis, ubi hoc ad pietatem magis facere iudicaverint, pro suo arbitratu matrimonium contrahere* [3].

Nostra demum aetate, non solum materialistae omnes sed etiam modernistae, non minus coelibatui, quam ceteris vitae vere christianae exercitationibus infensos se prodiderunt, legem illam tanquam societati infensam et naturae iuribus repugnantem traducentes, cuius originem vel sancto Gregorio VII, vel Bonifacio VIII adscribunt [4]. — Igitur, contra hos omnes vindicanda erit legitimitas et convenientia legis illius, qua ecclesiastici viri, in sacris constituti, ad perpetuo servandum coelibatum obligantur [5].

[1] 11 Iunii, 1525. — [2] Hist. del Conc. Trid., l. X, c. 17; l. XI, c. 2; l. XII, c. 8. — [3] *Bishops, Priests, and Deacons are not commanded by God's law either to vow the estate of single life, or to abstain from marriage. Therefore it is lawful also for them, as for all other Christian men, to marry at their own discretion, as they shall judge the same to serve better to godliness.* Art. XXXII. Vide E. C. S. Gibson, The thirty-nine articles, pp. 695, seq. — [4] Sic quippe legitur in Syllabo Pii IX (Prop. LXXII): *Bonifacius VIII votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere primus asseruit.* — [5] Inter modernos scriptores, qui in coelibatum ecclesiasticum venenata arma

2. — Ecclesiae catholicae doctrina. — Porro, praesentem doctrinam Ecclesiae exhibent explicita documenta. Primo prostat canon sequens Concilii Tridentini [1]: *Si quis dixerit Clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto, et oppositum nil aliud esse, quam damnare matrimonium, posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiam si eam voverint, habere donum, anathema sit: cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id, quod possumus tentari.*

Novissime vero in Iure sancitum est [2]: *Clerici in maioribus ordinibus constituti a nuptiis arcentur et servandae castitatis obligatione ita tenentur, ut contra eamdem peccantes sacrilegii quoque rei sint, salvo praescripto can. 214, § 1. — Clerici minores possunt quidem nuptias inire, sed, nisi matrimonium fuerit nullum vi aut metu eisdem incusso, ipso iure e statu clericali decidunt. — Coniugatus qui sine dispensatione apostolica ordines maiores, licet bona fide, suscepit, ab eorumdem ordinum exercitio prohibetur.*

Denique, Summus Pontifex Benedictus XV nuper edixit: *Omni asseveratione affirmamus, ecclesiastici coelibatus legem, ut praecipuum sacerdotii catholici decus eiusque virtutum optimarum fontem, sancte inviolateque esse retinendam, nec unquam futurum esse ut eam haec Apostolica Sedes abolere aut mitigare velit* [3].

3. — Minores clerici lege perpetuae continentiae non adstringuntur. — At vero statim declarandum est, perpetuae

converterunt, recenseri praeprimis debet Dr. Charles Lea qui, in op. *An historical Sketch of sacerdotal Celibacy in the Christian Church* (2nd ed., Houghton, Mifflin and Co. Boston), coacervatis absque rationabili criterio omnis generis documentis, sanctitatem huius praxeos mire deturpat. Ceterum idipsum et pro aliis dogmatis vel disciplinae punctis, in animarum perniciem praestitit: puta, ubi agitur de confessione auriculari, de indulgentiis, de inquisitione, etc.

[1] Sess. XXIV, can. 9. — [2] Can. 132, § 1, § 2, § 3. — [3] Ep. *Quandoquidem non paucas*, ad Franc. Kordac. Archiep. Pragen., 3 Ian., 1920.

continentiae lege solos maiores clericos adstringi, etsi minores quoque aliquando huiusmodi obligationi subiacuerint. Enimvero, legitur Concilium Eliberitanum [1] praescripsisse *omnibus clericis positis in ministerio, abstinere se a coniugibus suis et non generare filios;* at in aliis pluribus conciliis, puta Carthaginensi V, anno 398 [2] et Chalcedonensi generali, anno 451 [3], contraria praxis eisdem concessa perhibetur. Qualis vero fuerit in media aetate disciplina, exhibent Alexander III et S. Thomas; quorum ille quidem [4] statuit inferiores ministros posse, si voluerint, uxores ducere, at vero si duxerint, ab officio et beneficio excludendos; hic vero scribit [5]: *illi qui sunt in minoribus ordinibus constituti, ex vi ordinis non prohibentur matrimonium contrahere, quia quamvis ordines illi deputentur ad aliqua spiritualia, non tamen immediate habent accessum ad tractandum sacra, sicut illi qui sunt in sacris ordinibus: sed secundum statutum occidentalis Ecclesiae, matrimonii usus executionem ordinis non sacri impedit, propter servandam maiorem honestatem in officiis Ecclesiae; et quia aliquis ex beneficio ecclesiastico tenetur ad executionem ordinis, et ex hoc ipso privilegio clericali gaudet, ideo hoc apud Latinos clericis uxoratis aufertur.*

4. — Subdiaconi non semper nec universe continentiae lege fuerunt adstricti. — Sciendum insuper, quod attinet ad subdiaconos, variam fuisse, in Occidente, ecclesiarum praxim et disciplinam. Imprimis eos videmus in Concilio Eliberitano (a. 305) episcopis, presbyteris ac diaconis aequiparatos in obligatione se ab uxoribus abstinendi [6]; licet lex huiusmodi, vel apud Hispanos, mox perhibeatur in desuetudinem abiisse, cum in variis conciliis, signanter Toletano I (c. a. 400) [7], et Toletano III (a. 589) [8], commemorata et reprehensa nonnullorum presbyterorum et diaconorum licentia, altum de sub-

[1] Can. 33. Mansi, t. II, col. 11. — [2] Cap. 3. Mansi, t. III, col. 969. — [3] Can. 14. Mansi, t. VI, col. 1228. — [4] Decret., l. III, t. III, c. 1. — [5] Supplem., Quaest. LIII, art. 3, ad 4[m]; quod est 4, Dist. XXXVII, Quaest. I, art. 1, ad 4[m]. — [6] N. praeced. — [7] Cap. 1. Mansi, t. III, col. 998. Cf. Kirch, n. 639. De hoc conc. vide D.-B., n. 19, nota 1. — [8] Cap. 5. Mansi, t. IX, col. 994.

diaconis servetur silentium. Videtur tamen prior disciplina sequentibus temporibus instaurata, puta in Concilio Toletano VIII (a. 653) [1], ubi illi reprehenduntur subdiaconi qui, post ordinationem, uxores sibi assumere ausi fuerant, eo praetextu, quod ignorarent se tunc episcopi benedictionem percepisse.

Similem in Ecclesiis Africana et Gallica varietatem deprehendere est, imo et in Ecclesia Romana, in qua nihil, hac super re, a Siricio [2] et Innocentio I, in eorum pro clericorum continentia decretalibus, circa subdiaconos, statutum deprehenditur. Et quidem primus legitur S. Leo continentiae legem subdiaconis imposuisse, ut patet ex sequentibus verbis [3]: *Nec subdiaconibus quidem connubium carnale conceditur: ut et qui habent, sint tanquam non habentes, et qui non habent, permaneant singulares:* at non videntur Pontifices Romani huius legis exactam observantiam inculcasse, usque ad tempus Urbani II, cum in Concilio Melfitano (a. 1089) [4], prohibiti omnino fuerint subdiaconi cum suis uxoribus consuetudinem habere.

6. — Obligatio coelibatus relate ad clericos maiores. — Quae cum relate ad minores clericos, necnon ad subdiaconos, constiterint, iam pronum est ut de clericis maioribus, a diaconis sursum, pertractemus, ut ostendatur undenam pro eis obligatio orta sit castitatem servandi. Porro, cum lex constituatur non ex solo iure scripto, sed etiam ex iure non scripto diuturnis populi moribus introducto et aliquo saltem legislatoris consensu firmato, quod consuetudo nominatur; hinc, praeter scripta documenta caelibatum ecclesiasticum respicientia, prae oculis erit habenda constans hac de re Ecclesiae praxis.

7. — Consuetudo circa caelibatum ecclesiasticum ab apostolica traditione descendit. — Porro, si consuetudinem, sive praxim Ecclesiae respiciamus, iam fatendum erit, illam ab

[1] Can. 6. Mansi, t. IX, col. 1217. — [2] Cf. infra, § II, n. 2. — [3] Epist. XII, al. LXXXIV ad Anastasium Thessalonicensem, c. 4. — [4] Can. 12. Mansi, t. XX, col. 724.

ipsis Apostolis descendere, a quibus eam Ecclesia suscepisse et sancte observessa dicenda est. Enimvero, illi expresse de se testati sunt [1]: *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te: quid ergo erit nobis?* Quae verba, in sua amplitudine, comprehendunt etiam derelictionem uxorum et filiorum; et quidem quod hoc sensu intelligi debeant, Dominus ipse oraculo suo firmavit, cum respondit [2]: *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios,* etc.; aliunde ipsa dictio *ecce*, ἰδοῦ, qua utuntur Apostoli, magnum quid et notabile portendit; reliquisse vero possessiones, retentis uxoribus, tantam difficultatem non haberet, ut de hoc solum Apostoli tantopere gloriari debuissent. Specialiter vero, communi veterum scriptorum consensu, S. Ioannes a Christo virgo electus, virgo in aevum permansit, hac de causa a Domino Nostro specialiter dilectus. Denique gentium Apostolus expresse testatur se coelibem fuisse [3].

Quae cum ita sint, mirandum non est, si disciplina de continentia a maioribus clericis servanda, inter illas institutiones recenseri debeat, quarum origo a traditione Apostolorum repetenda est. — Quod quidem evidenter resultat ex pluribus Patrum atque Conciliorum testimoniis, inter quae sequentia iuvat recitare.

8. — **Tertullianus.** — Et primo quidem adduci potest Tertullianus, qui dicit inter omnes Apostolos solum Petrum maritum fuisse [4]. Quod autem iamdudum vigeret, tempore suo, consuetudo ut clerici continentiam servarent, ipsemet testatur [5]: *Quanti... in ecclesiasticis ordinibus de continentia censentur, qui Deo nubere maluerunt,.... occidentes in se concupiscentiam libidinis.*

Nec obstat quod Tertullianus ipse [6] coniugem adhortatur ut post obitum suum continentiam servet: quasi huiusmodi adhortatione insinuetur illammet, vivente marito, continentiam minime observasse, ut novatorum quidam inferre praesumunt: huc enim potius illa tendit exhortatio ut, secundis

[1] Matth., XIX, 27. — [2] Ibid., 29. — [3] 1 Cor., VII, 7, 8. — [4] L. de Monog., c. 8. — [5] De Exhort. castit., c. 13. — [6] In l. ad uxorem.

a se repudiatis nuptiis in proposito continentiae, illo vivente, suscepto, ad mortem usque fidelis perseveraret. Pareterea, incertum est num Tertullianus ad sacerdotium iam esset promotus, cum libros ad uxorem conscripsit, cum non morti proximus, sed saeviente persecutione eosdem scripserit, ut ipse significat [1], quando nempe illa adhuc iuvenis erat.

9. — S. Hieronymus. — At eloquentior testis traditionis apostolicae de obligatione clericis maioribus inhaerente servandi castitatem, est proculdubio S. Hieronymus, qui sanctae huius observantiae, contra laxos sui temporis novatores multis locis acriter defendit. Hic nimirum in Epistola ad Pammachium scribit [2]: *Christus virgo, virgo Maria, utrique sexui virginitatis dedicavere principia. Apostoli, vel virgines, vel post nuptias continentes. Episcopi, presbyteri, diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post sacerdotium in aeternum pudici.* Qui etiam, in libro primo adversus Iovinianum [3], de Apostolis ait quod *assumpti in apostolatum, relinquunt officium coniugale.* Rationem autem dat [4]: *Sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum est; si semper orandum, ergo semper carendum est matrimonio.* Rursus [5], alloquens Iovinianum, coelibatus legi et generaliter continentiae virtuti infensissimum, testatur eumdem tunc agnoscere legem continentiae pro episcopis: scribit enim: *Certe, confiteris non posse esse episcopum, qui in episcopatu filios faciat: alioqui, si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur.*

Demum, in libro adversus Vigilantium, haeresiarcham hunc eosque qui pravos illius mores sectabantur, ita carpit [6]: *Proh nefas, episcopos sui sceleris dicitur habere consortes; si tamen episcopi nominandi sunt, qui non ordinant diaconos, nisi prius uxores duxerint: nulli coelibi credentes pudicitiam;... et nisi praegnantes uxores viderint clericorum, infantesque de ulnis matrum vagientes, Christi sacramenta non tribuant. Quid Aegypti et Sedis Apostolicae, quae aut virgines clericos accipiunt, aut continentes: aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt?*

[1] Cc. 4 et 5. — [2] Ep. XLVIII, n. 21, t. I, col. 233. — [3] N. 26, t. II, col. 277. — [4] Ibid. — [5] Ibid., n. 34, col. 291. — [6] Ibid., n. 2, col. 387.

10. — Concilia. — Ex conciliis in quibus ex professo pro maioribus clericis urgetur coelibatus obligatio, notandum est Concilium Carthaginense II (a. 390), dum continentiam praescribit episcopis, presbyteris et diaconis, *ut quod Apostoli docuerunt, et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus* [1].

11. — Conclusio. — Quae cum ita sint, concludendum est, disciplinam de coelibatu ecclesiastico, ab ipsis Apostolis repetere originem, nec audiendos esse qui contendunt, ab initio usque ad saeculum IV, coelibatum, etsi a pluribus ad praxim traductum, liberum tamen prorsus extitisse; ubi loquimur, ut iam inculcavimus, de sacris ministris proprie dictis, scilicet de episcopis, presbyteris et diaconis; cum et de subdiaconis varie olim, ut supra ostendimus, pro varietate temporum et locorum, etiam penes latinos, lex extiterit [2].

12. — Solvitur tacita difficultas. — Refert Socrates, scholasticus constantinopolitanus [3], in Historia ecclesiastica [4], de Paphnutio, cuiusdam urbis in superiori Thebaide episcopo, viro pio Deoque caro, quod cum episcopis in Nicaena Synodo congregatis videretur *novam legem in Ecclesiam inducere, ut quicumque in sacrum ordinem allecti essent, id est episcopi, presbyteri et diaconi, ab uxorum quas, cum laici essent, matrimonii iure, sibi sociaverant, concubitu abstinerent,...* ille *vehementer vociferatus est, non esse imponendum clericis et sacerdotibus grave hoc iugum;... satis esse ut qui in clerum fuissent ascripti, iuxta veterem Ecclesiae traditionem iam non amplius uxores ducerent* [5].

Resp. Narratio haec, quod ad Occidentem attinet, mani-

[1] Can. 2. — [2] Hinc nequit probari id quod scribit Dr. F. X. Funk (Lehrbuch der Kirchengeschichte, Paderborn. 1907. p. 51): *Die Ehelosigkeit wurde den Geistlichen nicht zur Pflicht gemacht. Wer vielmehr verheiratet in den geistlichen Stand eintrat, durfte den ehelichen Umgang in demselben fortsetzen.* Opportunius e contra est quod inferius scribit: *Da indessen die Ehelosigkeit nach klaren Aussprüchen der Hl. Schrift... höher steht und zum Dienste Gottes tauglicher macht als die Ehe, so übten viele Christen freiwillig Enthaltsamkeit, und es liegt nahe, dass man die Kleriker mit Vorliebe aus ihnen wählte.* — [3] Scripsit circa a. 440. — [4] L. II, cap. 11. — [5] Kirch, n. 773.

festa falsitate laborat, ut aperte constat ex verbis Concilii Eliberitani superius relatis; imo et relate ad Orientem, evidenter contradicitur recitato modo S. Hieronymi testimonio [1]: *Quid Aegypti et Sedis Apostolicae, quae aut virgines clericos accipiunt aut continentes; aut, si uxores habuerint, mariti esse desistunt?* Quinimmo, S. Epiphanius († 403) expresse testatur. Ecclesiam non admittere ad ordinem diaconi, presbyteri, episcopi aut hypodiaconi *eum, qui adhuc in matrimonio degit, ac liberis dat operam, tametsi unius sit uxoris vir.... sed eum dumtaxat qui ab unius uxoris consuetudine sese continuerit, aut ea sit orbatus;* et addit: *Quod in illis locis praecipue fit, ubi ecclesiastici canones accurate servantur*, μάλιστα ὅπου ἀκριβεῖς οἱ ἐκκλησιαστικοί [2].

Sed non apparet quomodo possit narratiuncula illa, de qua altum est in Actis Concilii Nicaeni silentium, componi cum eo quod in eodem Concilio legitur, ubi de subintroductis mulieribus sermonem instituens, haec aperte ponit [3]: *Interdixit per omnia magna Synodus, non episcopo, non presbytero, non diacono, nec alicui omnino qui in clero est, licere subintroductam*, συνείσακτον, *habere mulierem: nisi forte matrem aut sororem aut amitam, vel eas tantum personas, quae suspicionem effugiunt* [4]. Quomodo, inquam, talis severitas componi potest cum licentia a Paphnutio invocata?

Concludendum ergo, historiolam hanc merito reiiciendam, quemadmodum eruditi plures illam iamdiu reiecerunt; quod si nihilominus sustineri velit eius authenticitas, ad summum dicetur Graecis favere, non autem ad coelibatum, uti voluit Calvinus et contendunt protestantes, penitus tollendum referre [5]. Quinimmo, ex verbis praefati canonis haud

[1] Supra, n. 10. — [2] Haeres. XXXIX, al. LIX, n. 4. Opp. t. I, p. 496. Coloniae, 1682. Perperam in *Dict. d'Archéologie chrétienne et de liturgie* a Dom. Cabrol edito (voce *Célibat*), S. Epiphanius hac in re exaggerare dicitur. — [3] Can. 3. Mulieres huiusmodi vocabantur etiam ἀγαπεταί, quarum tamen praesentiam postea S. Hieronymus acerbe lamentabatur. Ep. XXII ad Eustoch. — [4] Kirch, n. 363. — [5] De historia hac, utrum genuina sit, necne, cf. Hon. Tournely, de sacram. ordinis, pp. 266, 267; apud quem vide etiam solutionem obiectionum quae tum ex Novati facinore, tum ex verbis Aeneae Sylvii, qui fuit Pius II, moveri possunt.

dubie evincitur, maiorem cleri partem tunc temporis coelibatum fuisse professam.

13. — Continentiam clerici maiores, ob consuetudinem potius, quam expressa et formali lege adstricti, observabant. — Porro, ex hucusque traditis clare resultat quod, cum dicimus maiores clericos, inde a priscis temporibus, obligationi subiacuisse perpetuam servandi continentiam, hoc non ita intelligendum sit, quasi lege quadam formali atque universali ad hunc perfectionis gradum observandum illi adstringerentur; eo vel magis quod ex authenticis testimoniis colligitur, quibusdam in locis, eorum nonnullos, cum suis uxoribus viventes, liberis dedisse operam: id videlicet Ecclesia sive ob clericorum penuriam, sive alia de causa, tolerante.

Quocirca, non est unde nimia suboriri debeat admiratio si cui vetera percurrenti documenta, exempla occurrant etiam episcoporum, qui, licet sanctitate pollerent, ex legitima tamen uxore in episcopatu prolem susceperint; licet ea quae Centuriatores facta in hunc finem referunt, ut evincant universaliter maiores clericos, inclusis episcopis, omni prorsus coelibatus obligatione olim fuisse solutos, incassum ab eisdem adducantur; cum nihil inde deducere fas sit, nisi quod clerici huiusmodi cum suis uxoribus ante adeptam ordinationem ductis cohabitare permitterentur: sic, verbi gratia, S. ipse Gregorius Magnus legitur [1] permisisse *sacerdotibus qui in Corsica commorantur, habere secum matrem, sororem vel uxorem, quae* addit, *caste regenda est.*

At sedulo notandum est, id quod saepe legitur, videlicet episcopis fuisse filios, incontinentiae in ipsis minime esse adscribendum, cum illis filii isti ante susceptam sacram ordinationem nasci potuerint [2], licet, ut diximus, exempla forsan occurrere possint quorumdam episcoporum qui uxorum commercio libere usi fuerint, quin tamen legem aliquam, universaliter talem indulgentiam sancientem, inde deducere liceat.

[1] L. I Registri, Epist. LXXXII, al. L, Indict. 9. — [2] De testimonio S. Gregorii senioris, patris S. Gregorii Nazianzeni, ex quo nonnulli inferre vellent hunc illi filium in episcopatu genitum fuisse, vide quae scribit Hon. Tournely, de Sacr. Ordinis. p. 270.

14. — Solvuntur tacitae difficultates. — I. Sunt qui vestigia legis cuiusdam universalis, clericis maioribus perpetuae continentiae onus iniungentis, in hoc canone Concilii generalis Nicaeni primi deprehendere rentur [1]: *Vetuit omnino magna Synodus, ne liceat episcopo, nec presbytero, nec diacono, nec ulli penitus eorum qui sunt in clero, introductam*, συνείσακτον, *habere mulierem: praeterquam utique matrem, vel sororem, vel amitam, vel eas solas personas, quae omnem suspicionem effugiunt.* — At facile advertitur, primo quidem, non posse hic sermonem esse de lege perpetuae continentiae, cum praescriptio hic contenta ad *omnes de clero* ordinetur, inferioribus vero clericis vetitum non fuerit uxores habere eisque uti. Sciendum igitur, per hoc quod dicitur, *introductae mulieres*, eas intelligi, quas S. Hieronymus vocat *agapetas*, id est in locum matrum, sororum aut filiarum ascitas et quasi adoptatas [2], quae concubinarum suspicionem inducentes, clericis dedecori cedebant, cum legitimarum uxorum locum surripere censerentur.

II. Ulterius obiicienti factum Synesii qui, ut episcopatus, ad quem trahebatur, pondus effugeret, contestatus est se ab uxore sua separari nolle [3], ex quo videretur concludendum episcopis tunc temporis lege vetitum fuisse, ne suarum uxorum commercio aut consuetudine uterentur, — *respondetur* in Ecclesia Cyrenensi, ad quam illum promoveri volebant, talem revera particularem legem extitisse, et Synesium hunc, ex humilitate haec protulisse, ut videlicet episcopatus onus, si fieri posset, declinaret, Ecclesiae tamen legibus postea obtemperaturus.

15. — Bigami ab ordinibus sacris arcebantur. — Denique notabitur, consuetudinem fuisse in Ecclesia ut bigami a sacris ordinibus arcerentur [4]; cuius rei signum est in libro Philosophumenon [5], ubi Hyppolytus Callistum Papam per invidiam reprehendit, quod bigamos et trigamos episcopos, presbyteros et diaconos, in clerum recepisset, ἐπίσκοποι καὶ

[1] Mansi, t. II, col. 670. — [2] Epist. XVIII ad Eustoch., al. XXII. — [3] S. Isidorus Pelusiota, L. III Epist., ep. CV. — [4] Tim., III, 2; Tit., I, 6. — [5] IX, 12.

πρεσβύτεροι καὶ διάκονοι δίγαμοι καὶ τρίγαμοι κατίστασθαι εἰς κλήρους, κ. τ. γ.

16. — Quaestio I. — *An ordo sacer semper fuerit impedimentum dirimens?*

Resp. Negative: ex testimoniis quippe, quae per priora decem saecula hac in re prostant, resultat maiores clericos, licet iuberentur ab uxoribus abstinere, interdum etiam ab officio et beneficio, nisi id fecissent deponerentur [1], non tamen irrito conatu matrimonia contraxisse. Enimvero, primum in Concilio Lateranensi I, sub Callisto II (1123), exhibetur ordo sacer tamquam impedimentum dirimens matrimonium, his verbis [2]: *Presbyteris, diaconibus, subdiaconibus et monachis, concubinas habere, seu matrimonia contrahere, penitus interdicimus, contracta quoque matrimonia ab huiusmodi personis disiungi, et personas ad poenitentiam debere redigi, iuxta sacrorum canonum diffinitionem, iudicamus.* Haec autem sanctio repetita et formaliter inculcata legitur in Concilio Lateranensi II, sub Innocentio II (a. 1139), cuius haec sunt verba [3]: *Ad haec praedecessorum nostrorum Gregorii VII, Urbani et Paschalis Romanorum Pontificum vestigiis inhaerentes, praecipimus ut nullus missas eorum audiat, quos uxores vel concubinas habere cognoverit. Ut autem lex continentiae,et Deo placens munditia in ecclesiasticis personis et sacris ordinibus dilatetur, statuimus quatenus episcopi, presbyteri, diaconi, subdiaconi, regulares canonici, et monachi atque conversi professi, qui sanctum transgredientes propositum, uxores sibi copulare praesumpserint, separentur: huiusmodi namque copulationem, quam contra ecclesiasticam regulam constat esse contractam, matrimonium non esse censemus. Qui etiam ab invicem separati, pro tantis excessibus condignam poenitentiam agant.*

17. — Quaestio II. — *Quonam iure coelibatus ecclesiasticis viris praescribitur.*

[1] In Conc. Rhemis, sub Callisto II a. 1119, celebrato, de clericis maioribus sancitum fuerat ut qui concubinatus immunditiam non correxissent, communione carerent christiana. — [2] Can. XXI. Mansi, t. XXI, col. 286. — [3] Can. 7.

Resp. Iure divino, fundato scilicet in Christi Domini voluntate Apostolis manifestata. Nimirum, cum eiusmodi existat praxis coelibatus clericorum, ut illius non sit deprehendere, in historia ecclesiastica, originem, sed inde ab Apostolorum temporibus observata perhibeatur, hinc iure meritoque ipsiusmet Christi Domini voluntati adscribi debet; quatenus mentem suam eis sive verbis, sive interno instinctu, manifestaverit: et revera non alia ex causa repeti rationabiliter potest tam constans, tamque universalis praxis, tum ipsorum Apostolorum, tum sacrorum ministrorum qui post illos venerunt, quam ex huiusmodi voluntate ab ipso Salvatore significata, aut Spiritus Sancti inspiratione manifestata. Hoc igitur pacto dicendus erit Christus voluntatem suam hac super re pandisse, ut Ecclesiae munus relinqueret legem sanciendi, primo virtualiter aut aequivalenter, inducta scilicet universali, saltem pro Occidente, consuetudine, postea vero formali ratione, decretis Summorum Pontificum sancitam, usquedum Concilium Lateranense primum, ut diximus, eorum, et maxime invicti Gregorii VII conatus coronaverit, solemiter recensendo ordinem tanquam impedimentum matrimonium dirimens [1].

Et ex hoc habetur quod Ecclesia legem huiusmodi, etsi voci naturae et sanguinis repugnantem, formaliter sancire potuerit, quae clericos in conscientia sub gravi obligaret. Dispensationes vero identidem ab Ecclesia concessae [2] intelligendae erunt hoc sensu, quod ipsa, tanquam iuris divini interpres, declaret legis obligationem, in determinatis casibus, suspendi aut tolli, ideoque determinatos clericos, licet tali lege adstrictos, valide tamen et matrimonium contrahere, et prolem ex eo gignere posse.

[1] Cf. B. Card. Bellarmin., de Clericis, c. 18; Arcud., l. VII Concordiae, c. 33; Thomassinus, de Beneficiis, P. I, L. 2, c. 60, seq.; Vasquez, in 3 P. S. Thom., Disput. 248, c. 1. Sciendum tamen, non omnes eodem modo praedictae legis naturam intendere et explicare. — [2] Exempla dispensationum datarum episcopis, presbyteris, diaconis necnon religiosis, invenire est apud Ant. Zaccaria, Nuova Giustificazione del Celibato sacro, Fuligno, 1785, Appen., pp. 263, seq.

§ II.

De obligatione coelibatus ecclesiastici apud Latinos.

Cum obligatio, qua maiores clerici tenentur, continentiam perpetuo servandi, non eodem modo, ut iam innuimus, apud Latinos et apud Orientales viguerit, hinc opportunum erit, distinctis punctis, de illis et istis singillatim pertractare.

1. — Lex coelibatus ecclesiastici in Occidente. — Diximus iam [1] obligationem pro clericis maioribus a matrimonio abstinendi, primitus non quidem ex universali ac formali ecclesiastica lege processisse, sed ex quodam generali consensu, ex aliqua Domini Salvatoris voluntate necnon Apostolorum agendi ratione orto. Attamen, temporis decursu, coeperunt hac super re leges ferri: et quidem pro Occidente, primum documentum quod de coelibatu clericorum prostat, spectat ad initium saeculi quarti, quando videlicet in Concilio Eliberitano, cui aderat Hosius (305 vel 306), statutum est [2]: *Placuit in totum prohiberi episcopis, presbyteris et diaconibus, vel omnibus clericis positis in ministerio, abstinere se a coniugibus suis, et non generare filios; quicumque vero fecerit, ab honore clericatus exterminetur* [3].

2. — Praescriptum S. Siricii Papae. — Porro, cum lex ista, vertente ad finem eodem saeculo quarto, iam pene fuisset collapsa, multis excusationem incontinentiae suae ex licentia veteris Testamenti sacerdotibus facta filios procreandi, hinc Siricius Papa (384-398) priscam disciplinam instaurare volens, eam prius asseruit Evangelio et S. Pauli doctrinae consentaneam; tum subiungit [4]: *Quarum sanctio-*

[1] § praec. — [2] Can. 33. — [3] Kirch, n. 305. Mansi, t. II, col. 11. Advertendum, verba: *Vel omnibus clericis positis in ministerio*, ad solos inferiores clericos referri, quatenus hi ad continentiam eo tantum tempore obligarentur, cum altari inservirent. Ant. Zaccaria, op. cit., p. 59. — [4] Epist. I ad Himerium ep. Tarraconensem, 10 Febr. 385, n. 10.

num omnes sacerdotes atque levitae insolubili lege constringimur, ut a die ordinationis nostrae, sobrietati ac pudicitiae et corda nostra mancipemus et corpora, dummodo per omnia Deo nostro in his, quae quotidie offerimus, sacrificiis placeamus [1].

Addit autem Pontifex solemnem severamque sanctionem [2]: *Ii vero, qui, illiciti privilegii excusatione nituntur, ut sibi asserant veteri hoc lege concessum, noverint se ab omni ecclesiastico honore, quo indigne usi sunt, Apostolicae Sedis auctoritate deiectos, nec unquam posse veneranda attrectare mysteria, quibus se ipsi, dum obscoenis cupiditatibus inhiant, privaverunt. Et quia exempla praesentia cavere nos praemonent in futurum, quilibet episcopus, presbyter atque diaconus... fuerit talis inventus, iam nunc sibi omnem per nos indulgentiae aditum intelligat obseratum, quia ferro necesse est excidantur vulnera, quae fomentorum non senserint medicinam.* — Haec est celeberrima illa decretalis, prima in ordine decretalium de quibus nullum prorsus movetur dubium, cuius quidem maxima est auctoritas, ita quod dici possit aequivalere documento ex cathedra. In ea, Pontifex statuit, praeter alia, haereticos rebaptizandos non esse, et sancit ut monaci ad presbyterium assumi valeant.

3. — Conciliorum praescripta. — Qualis autem viguerit saeculorum decursu, ecclesiastica disciplina, exhibent multi hac de re in Conciliis lati canones. Et quidem, praeter decretum Concilii Eliberitani, quod modo retulimus [3], iuvat referre verba Concilii Toletani (400) [4]: *Placuit ut diacones vel integri vel casti sint et continentis vitae, etiam si uxores habeant, in ministerio constituantur, ita tamen, ut, qui etiam ante interdictum, quod per Lusitanos episcopos constitutum est, incontinenter cum uxoribus suis vixerint, presbyterii honore non cumulentur: si quis vero ex presbyterio ante interdictum filios susceperit, de presbyterio ad episcopatum non admittatur* [5].

[1] D.-B., n. 89. — [2] Ibid. — [3] N. 1, p. praec. — [4] Can. I. — [5] Kirch, n. 639. Cf. supra, § I, n. 4, nota.

Pariter, in Concilio Arausicano I (a. 441) legitur [1]: *Deinceps non ordinentur diacones coniugati, nisi qui prius conversionis proposito professi fuerint castitatem.* Similiter, in Concilio Arelatensi II (a. 452) prohibetur [2], *assumi aliquem ad sacerdotium in coniugii vinculo constitutum, nisi fuerit praemissa conversio.*

Sed ne hac in re longiores simus, sat erit retulisse decretum Concilii Toletani noni (a. 655), in quo Patres [3] primo quidem lugent continentiae legem a clericis, non sicut oporteret, servari; tum in clericos, inclusis subdiaconis, qui eam fuerint transgressi, necnon in eorum filios, poenas ferunt. *Cum multae super incontinentiam ordinis clericorum usque hactenus emanaverint sententiae Patrum, et nullatenus ipsorum formari quiverit correctio morum, usque adeo sententiam iudicantium protraxere commissa culparum, ut non tantum ferretur ultio in auctores scelerum, verum et in progeniem damnatorum. Ideoque quilibet ab episcopo, usque ad subdiaconum deinceps, qui vel ex ancillae, vel ex ingenuae detestando connubio, in honore constituti filios procreaverint, illi quidem ex quibus geniti probabuntur, canonica censura damnentur; proles autem tali pollutione nata, non solum hereditatem parentum nunquam accipiat, sed etiam in servitutem eius Ecclesiae, de cuius sacerdotis vel ministri ignominia nati sunt, iure perenni manebunt.*

4. — Testimonia Ss. Augustini, Ambrosii et Leonis Magni. — At si quis velit sinceram Ecclesiae latinae mentem hac super re adipisci, nil melius praestare poterit, quam ut ad testimonia confugiat illorum Patrum, qui eam clarius illustrarunt.

Imprimis, pro ecclesia Africana, S. Augustinus de hac disciplina testimonium reddit [4], cum proposito exemplo clericorum, eos qui, dimissis uxoribus, alias volebant ducere, quasi sibi impossibilis foret continentia, reprobat his verbis: *Solemus eis proponere etiam continentiam clericorum, qui plerumque ad eamdem sarcinam subeundam capiuntur inviti.*

[1] Can. 12. — [2] Can. 2. — [3] Can. 10. — [4] Libr. II de coniugiis adulterinis, cap. XX, n. 22. t. VI, col. 418.

eamque susceptam usque ad debitum finem. Domino adiuvante, perducunt.

Eiusdem consuetudinis, pro ecclesia Mediolanensi, testis est S. Ambrosius, ubi sic loquitur [1]: *Inoffensum autem exhibendum et immaculatum ministerium, nec ullo coniugali coitu violandum cognoscitis, qui integri corpore, incorrupto pudore, alieni etiam ab ipso consortio coniugali, sacri ministerii gratiam recepistis. Quod eo non praeterii, quia in plerisque abditioribus locis cum ministerium gererent, vel etiam sacerdotium, filios susceperunt; et id tanquam usu veteri defendunt, quando per intervalla dierum sacrificium deferebatur; et tamen castificabatur etiam populus per biduum aut triduum, ut ad sacrificium purus accederet, ut in veteri Testamento legimus.* Hic igitur sanctus Doctor, traditionis testis, dum commemorat, quibusdam in locis obscurioribus, nonnullos sacerdotes filios ex suis uxoribus suscepisse, receptae coelibatus traditioni fidem facit, reprobato paucorum abusu, qui hac super re veteris Testamenti auctoritate abutebantur.

Sed placet prae ceteris audire S. Leonem Magnum, qui testis est praxeos in Romana Ecclesia vigentis, cum ait [2]: *Lex continentiae eadem est ministris altaris, quae episcopis atque presbyteris; qui cum essent laici, sive lectores, licite et uxores ducere, et filios procreare potuerunt. Sed cum ad praedictos pervenerint gradus, coepit eis non licere, quod licuit: unde ut de carnali fiat spirituale coniugium, oportet eos nec dimittere uxores, et quasi non habeant sic habere: quo et salva sit caritas coniugiorum, et cessent opera nuptiarum.*

Ubi notari licet, S. Leonem minime praecipere ut qui ex ministris sacris uxores habuissent, eas relinquerent; sed ut eas retinerent servata continentia, permisit [3].

5. — Olim non vetabantur maiores ministri cum uxoribus ante ordinationem ductis, continenter vivere. — Ad lucidiorem eorum quae dicta sunt declarationem, et ut omnis

[1] Lib. I de officiis ministr., cap. L, n. 249, t. IV, col. 97. — [2] Epistola 2, alias 92 ad Rusticum Narbonensem, episc., c. III, p. 163. — [3] Cf. eiusd. epist. ad Anastasium Thessalonic., *Quanta fraternitati tuae*, cap. I, p. 153.

tollatur ex quibusdam historicis factis suborta ambiguitas, iuvat hic advertere, priorem disciplinam non id habuisse ut coniugatus qui ad sacros ordines assumebatur, ab uxore separaretur: sed contubernalis retineri, tanquam soror ac domus gubernatrix, solebat, ut scilicet salva esset caritas coniugiorum, licet cessare tunc deberet ab opera nuptiarum, ut ex S. Leone accipimus [1].

Et quidem hac lege S. Paulinus, Nolanus episcopus, teste S. Augustino [2], uxorem quam habuit, nomine Therasiam, a se minime segregandam duxit, sed secum habuit vitae sociam, imo itinerum comitem, sibi spiritualibus castisque nexibus copulatam. Unde nil mirum si eam his verbis alloquitur [3]:

Tu modo fida comes, mecum isti accingere pugnae,
Quam Deus infirmo praebuit auxilium:
Sollicita elatum cohibe, solare dolentem,
Exemplum vitae simus uterque piae.

Eodem criterio intelligenda sunt facta plura, de quibus in historia ecclesiastica legitur, puta, S. Cypriani, episcopi Carthaginensis, quem uxorem habuisse narrat Pontius diaconus in eius vita; S. Hilarii, Pictaviensis episcopi, quem refert Fortunatus in eius vita uxorem habuisse ac liberos; Sidonii Apollinaris, Arvernorum episcopi, qui, teste S. Gregorio Turonensi, uxoratus fuit [4]: hi nimirum cum coniugibus suis, ante sacerdotium ductis, caste et pie viventes, quae Dei sunt unice prosequebantur ad vitae sanctimoniam mutuo se exemplo excitantes, eo modo quo sanctissimi sponsi Maria et Ioseph, in Nazarethana domo, veri et sanctissimi connubio coniuncti, in ardentissimo Dei et rerum caelestium amore proficiebant.

Attamen sciendum est, priscam illam disciplinam paulatim fuisse immutatam: ita ut primo quidem vetarentur sacrorum ministri in eodem conclavi aut etiam in eadem domo manere; postea iuberetur uxor vel a viro separata, in

[1] Loco cit., n. praec. — [2] Epist. XXVII, al. XXXII ad Paulin., t. II, col. 244. — [3] In Carm. ad uxor. Append., I. p. 24. — [4] L. II Hist. Franc., cc. 21, 22.

saeculo manens, totam se tradere pietatis operibus, vel in monasterio velum accipere et perpetuam profiteri continentiam [1].

§ III.

De coelibatu ecclesiastico penes Graecos.

Considerata ratione coelibatus ecclesiastici qualis apud Latinos viguit, pronum modo est ut Graecorum praxim, quae non parum ab illorum more dissidet, consideremus.

1. — Ratio differentiae coelibatus ecclesiastici inter Latinos et Graecos. — Differentiam, ex hoc capite, latinos inter et graecos, egregie, more suo, S. Thomas commentatur [2]: *Ordo sacer de sui ratione habet ex quadam congruentia quod matrimonium impedire debeat, quia in sacris ordinibus constituti sacra vasa et sacramenta tractant, et ideo decens est ut munditiam corporalem per continentiam servent. Sed quod impediat matrimonium, ex constitutione Ecclesiae habet; tamen aliter apud Latinos quam apud Graecos : quia apud Graecos impedit matrimonium contrahendum, solum ex vi ordinis ; sed apud Latinos impedit, ex vi ordinis, et ulterius ex voto continentiae, quod est ordinibus sacris annexum ; quod etiamsi verbotenus non emittat, ex hoc ipso tamen quod ordinem suscipit secundum ritum occidentalis Ecclesiae, intelligitur emisisse. Et ideo apud Graecos et alios Orientales, sacer ordo impedit matrimonium contrahendum, non tamen matrimonii prius contracti usum ; possunt enim matrimonio prius contracto uti, quamvis non possint matrimonium denuo contrahere : sed apud occidentalem Ecclesiam impedit matrimonium et matrimonii usum, nisi forte ignorante aut contradicente uxore vir ordinem sacrum susceperit ; quia ex hoc non potest aliquod ei praeiudicium generari.*

2. — Natura coelibatus penes Graecos. — Quae cum ita sint, apparet non esse verum id quod a multis interdum asseritur, scilicet coelibatnm penes Graecos nullatenus exi-

[1] Cf. Can. 987, 2°; 1119. — [2] Supplem., Quaest. LIII, art. 3.

stere: existit sane, licet diversimode ac apud Latinos; imo gravius quodammodo forsan apud eos evadit, cum post susceptos sacros ordines, uxorem ducere prohibeantur, et sic in viduitate manere cogantur: quis autem nesciat maioris esse difficultatis, post expertas matrimonii voluptates, ab eisdem abstinere, quam eas numquam cognovisse?

Igitur, haec est apud Graecos lex, diaconum vel presbyterum posse quidem matrimonio ante ordinem sacrum suscepto uti, a novo autem in posterum contrahendo debere se omnino abstinere: nullus autem ad episcopatus honorem assumitur, nisi qui ab uxore solutus existat. — At iuvat hic disciplinae evolutionem qualis penes Graecos, temporis decursu obtinuit, per ordinem exponere.

3. — Synodi Ancyrana et Trullana. — Ut autem huius disciplinae ratio probe dignoscatur, iuvat primo decreta Synodorum Ancyranae et Trullanae relegere. Et primo quidem, in Synodo Ancyrana (an. 314), refertur [1] diaconis indultum, ut nuptias inirent: sic enim legitur: *Quicumque diaconi constituti in ipsa constitutione testificati sunt et dixerunt oportere se uxores ducere, cum non possint sic manere: ii, si uxorem postea duxerint, sint in ministerio, eo quod hoc sit illis ab episcopo concessum. Si qui autem hoc silentio praeterito, et in ordinatione, ut ita manerent, suscepti sunt, postea autem ad matrimonium venerunt, ii a diaconatu cessent.* Porro, dubitandum non est, quin concessio, de qua in hoc canone, nonnisi per exceptionem, et accepta episcopi venia, factita fuerit [2]: qua de re scribit Arcudius [3], *Patres illius Concilii eo tempore cum nonnullis diaconis dispensasse, quod hoc non sit de iure divino: idque vel propter penuriam ministrorum, vel propter laxiorem indulgentiam* [4].

Porro, licentia haec, diaconis ab Ancyrana Synodo facta, uxorem ducendi post ordinationem, in Synodo Trullana legitur revocata: simulque sancita permissio maioribus cleri-

[1] Can. 9, 10. Mansi, t. II, col. 518. — [2] KIRCH., n. 344. — [3] L. VI Concordiae, c. 37. — [4] Ex dictis antea, patet nos his verbis, *quod hoc non sit de iure divino*, subscribere non posse: ceterum synodus haec infallibilitate minime gaudebat.

cis ante ordinationem uxores accipiendi : legitur enim [1]: *Decernimus, ut deinceps nulli penitus hypodiacono, vel diacono, vel presbytero, post sui ordinationem, contrahere liceat... Si quis autem eorum, qui in clerum accedunt, velit lege matrimonii mulieri coniungi, antequam hypodiaconus, vel presbyter ordinetur, hoc faciat.* Celeber est ille canon quo, usque adhuc, Graecorum disciplina regitur.

Clarius autem mentem suam Synodus inferius manifestat [2]: *Sed neque ordinationis tempore ab eo* (presbytero, diacono vel hypodiacono) *postuletur, ut profiteatur se a legitima cum uxore consuetudine abstenturum.. Si quis ergo fuerit ausus praeter apostolicos canones incitatus aliquem eorum, qui sunt in sacris, presbyterorum, inquimus, vel diaconorum, vel hypodiaconorum, coniunctione cum legitima uxore et consuetudine privare, deponatur. Similiter et si quis presbyter vel diaconus suam uxorem pietatis praetextu eiecerit, segregetur: et si perseveret, deponatur* [3].

4. — Olim sacrorum ministri, apud Graecos ab uxoribus ante ordinationem ductis, sese abstinere consueverunt. — At vero, quod olim eadem, hac in re, penes Latinos et Graecos, extiterit disciplina, evincunt verba sanctorum Hieronymi et S. Epiphanii superius recitata [4], ex quibus compertum manet, ab initio, sacris ministris sanctum fuisse, abstinere se a matrimonio ante ordinationem contracto; quod si, labente tempore, disciplina simplices presbyteros, diaconos necnon interdum subdiaconos respiciens, relaxata legatur, et consuetudo, sancientibus praedictis Synodis, introducta fuerit, illis permittens uxores ante ordinationem susceptas, retinere eisque uti, hoc dicendum est contra antiquiorem praxim, indulgente aut tolerante, gravibus de causis, Sede Apostolica, introductum fuisse.

5. — Testes antiquae praxeos apud Graecos. — Enimvero, ex antiquis monumentis accipimus, sacrorum ministros

[1] Can. 6. Synodus haec, aliter quini-sexta dicta, celebrata est a. Dom. 692. Vide Kirch. 985. Mansi, t. XI. col. 943. — [2] Can. XIII. — [3] Ibid., col. 947. — [4] Supra, n. 6.

qui matrimonii statum iam contraxissent, ab uxoribus generaliter se abstinuisse, etsi id potius libera electione, quam certa quadam lege adstricti, observarent. Quam in rem iuverit sequentia adduxisse testimonia.

Imprimis, sit illud, utique per exaggerationem dictum, quod profert Origenes [1]: *Certum est impediri sacrificium indesinens iis qui coniugabilibus necessitatibus inserviunt: unde videtur mihi illius solius esse offerre sacrificium, qui indesinenti et perpetuae se devoverit castitati.* Rectius, etsi non minus expresse, Eusebius [2]: *Eos qui sacrati sunt, atque in Dei ministerio cultuque occupati, continere deinceps a commercio uxoris decet:* ubi decentiam quidem, non legis necessitatem invocat Eusebius. Non alio sensu loquitur S. Cyrillus hierosolymitanus [3]: *Ex David igitur processit Virgo sancta. Decebat sane purissimum puritatis doctorem ex puris prodire thalamis. Si enim qui apud Iesum bene fungitur sacerdotio, abstinet a muliere, ipse Iesus quomodo ex viro et muliere proditurus esset?* Denique diserta valde sunt quae habet S. Ioannes Chrysostomus [4]: *Idcirco sacerdotium obeuntem ita purum esse decet, ac si in caelis inter potestates illas collocatus esset.*

6. — Solvitur tacita difficultas. — Obiicienti scriptores graecos secundi saeculi, ut Iustinum, Athenagoram, Tatianum, Theophilum Antiochenum, cum respondere deberent calumniis in christianos impactis de turpibus conventibus ab eis noctu haberi solitis, circa clericorum continentiam silentium servare, cum tamen oportunum ipsis fuisset id commemorare, — *respondetur*, primo quidem argumentum huiusmodi esse mere negativum, nec valere ad excludendos textus positivos, qui ad rem illam opportune adducuntur. Deinde, notandum est, extra illorum scriptorum institutum fuisse de sacrorum ministrorum continentia mentionem facere, cum non contra horum vitam specialiter moveretur ethnicorum calumnia, sed contra christianorum mores generatim: ad quod convicium refellendum, adnotare non omiserunt eos ab illicitis voluptatibus tam alienos extitisse, ut etiam secun-

[1] Homil. XXIII, in Num. — [2] L. I Demonstr. Evang., c. 9. — [3] Catech. XII. — [4] L. III de Sacerdotio, n. 4.

das nuptias, ob incontinentiae speciem, quam praeseferre videntur, expresse dissuaderent.

7. — Lex apud Graecos hodie vigens. — Porro, qualiscumque olim fuerit consuetudo vel praxis, continentiam maiorum clericorum apud Graecos respiciens, sciendum est normam apud eos modo observari, ut episcopis quidem licitum non sit uxorem ante ordinationem ductam retinere, cum eis cohabitare aut consuetudinem habere; presbyteros vero, diaconos et subdiaconos legitimas uxores ante ordinationem ductas posse retinere, et cum eis omni iure coniugali uti. Hoc resultat ex canonibus decimo secundo, decimo tertio, et quadragesimo octavo Concilii quini-sexti, seu Trullani, qui canones, Ecclesia non reclamante, apud eos vim legis obtinent. Ab illo igitur tempore [1], nullus Graecorum ad episcopatum assumitur, nisi castitatem perpetuam servet; alii vero ministri nonnisi eo tempore quo sacrificium offerunt aut altari inserviunt, ab uxoribus abstinere debent.

8. Scholion. — Quae cum ita sint, mirandum non est, si in unione Graecos inter ac Latinos, primum in Concilio Lugdunensi sub Gregorio X, postea in Concilio Florentino sub Eugenio IV, sancita, nec illi unquam reprehensi fuerint quod matrimonii ante ordinationem contracti usum suis presbyteris permitterent, nec tanquam pacis conditio ab eis postulatum fuerit ut presbyterorum uxores dimitterentur. — Quod si S. Nicolaus I a Bulgaris interrogatus utrum presbyterum habentem uxorem tolerare et honorare deberent, respondit tolerandos quidem, attamen valde reprehensibiles esse Graecos, hoc non ob retentas ab eorum presbyteris uxores dictum est, sed tum quia continentiae legem ab Ecclesia Romana suis presbyteris impositam libere carperent, tum quia ordinandos illi interrogare prius solerent, utrum uxores haberent, annon: eos vero qui negative respondissent cogerent eas prius assumere, quam sacram reciperent ordinationem.

9. — Quaestio I. — *Cur Graeci maiorem exigunt continentiam ab episcopis quam ab aliis sacris ministris?*

[1] A. 692.

Resp. Haec assignari potest ratio, quod apud eos episcopi fere soli sacra perficiunt, presbyteri autem raro: unde congruum eis visum est episcopos. non autem presbyteros, continentiae lege obstringere, nisi eo tempore quo illi sacris volunt operam dare [1].

10. — Quaestio. — *Cur Graeci presbyteris potius permittunt uxores antea ductas retinere, quam post ordinationem accipere?*

Resp. Id quidem prima facie incohaerens videretur, cum matrimonium presbyteris suis interdicere non possint ob ipsum contrahendi actum, qui sacramentalis est et proinde bonus, sed propter matrimonii usum qui personas Deo sacras decere non videtur. – At dici potest, ideo illos usum matrimonii contracti, potiusquam matrimonii celebrationem suis permittere presbyteris, primo quidem, quia gravitati sacerdotali repugnare videtur, quod quis nuptias ambiat, quod signum est iuvenilis ardoris et impetus. Deinde, difficilius videtur ab usu uxoris iam ductae abstinere, quam mulierem de novo in uxorem ducere. Sed maxime attendendum est, ecclesiarum necessitate et ministrorum paucitate id effici, ut coniugati ad sacerdotium vocentur, qui alias minime paterentur se ab uxoribus seiungi; dum qui coelibes ad sacram ordinationem accessissent, iuri suo cessisse censentur, ideoque ad castitatem, quam profitentur, servandam, merito adiguntur [2].

§ IV.

De rationibus convenientiae, relate ad coelibatum ecclesiasticum.

Iuvat nunc momenta repetere, eaque gravissima, quibus convenientia legis de coelibatu ecclesiastico aperte ostenditur: quae claritatis causa sub distinctis capitibus enumerabimus.

1. — Sanctitas et sublimitas status sacerdotalis. — Imprimis requirit sanctitas et sublimitas status sacerdotalis, ut

[1] Hon. Tournely, de Sacr. Ord., p. 275. — [2] Cf. Ibid., p. 262.

qui ad illum pertinet, congrua polleat *scientia*, iuxta illud [1]: *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius.* Revera nihil est, quod sacerdotem adeo exornet ut scientia, ipsaeque virtutes vilescere videntur, nisi adsit comes et moderatrix scientia. *Talis vita*, ait Angelicus [2], (secundum quam aliquis praedicando et docendo contemplata aliis tradit), *praesupponit abundantiam contemplationis.* At omnibus compertum est, scientiam, praeprimis speculativam, qualis est magna ex parte sacra doctrina, componi haudquaquam posse cum curis et oneribus matrimonii, quae mentem necessario avertunt a tranquilla investigatione et contemplatione altissimarum veritatum. Assertum probat historia tum ecclesiastica tum profana: siquidem praecipui scientiarum cultores fuerunt semper viri ecclesiastici matrimonii curis absoluti; e contra videmus, supinam vigere ignorantiam, maxime de rebus sacris, inter schismaticos Ecclesiae ministros, curis rei familiaris procurandae, nimium, heu! a studio sacrae doctrinae distractos.

2. — Eminentia sacrificii novae Legis. — Praeterea sacerdotis est tremendum *altaris sacrificium offerre*, quod quidem sola offerendi ratione distinguitur a sacrificio Crucis, in quo ipse Dei Filius per manus sacerdotis Deo Patri se offert, victimam expiationis pro peccatis totius mundi. Iam vero, si sacerdotibus veteris Legis inhibitus erat usus, alias licitus, matrimonii, dum actu officio suo fungerentur, et si penes ipsos gentiles sacerdotalis status virginitatis corona condecorabatur, quanto magis decet ut illi, quibus tremenda committuntur mysteria, ab omni nuptiarum corruptela immunes evadant? *Si in figura, tanta observantia*, exclamat merito S. Ambrosius, *quanta in veritate* [3]? Vere condecet ut in his niveus pudicitiae candor effloreat, qui ad sacra mysteria familiari consuetudine appropinquant et in quorum manibus velut Filius Dei factus homo consecratur, quemadmodum olim in utero Virginis incarnatus est. Hinc scribebat S. Ignatius martyr [4]: *Te ipsum castum custodi ut domum*

[1] Mal., II, 7. — [2] 3, Quaest. XL, a. 1, ad 2um. — [3] De Officiis l. I, c. 50, t. IV, col. 97. — [4] Ep. X ad Hor. Diac.

Dei, templum Christi, organum Spiritus Sancti. Demum S. Hieronymus ait [1]: (Castitas sacerdotalis) *non solum ab opere immundo se abstineat, sed etiam a iactu oculi, et cognitionis errore mens Christi corpus confectura sit libera. Sit quoque episcopus et abstinens non tantum (ut quidem putant) a libidine, et ab uxoris amplexu, sed ab omnibus animi perturbationibus.* Quapropter, Eusebius [2] merito non dubitavit asserere, eos qui ministerio et cultui divino dedicantur, ab uxorum contactu debere se abstinere; et S. Ioannes Chrysostomus [3] continentiam vocat *sororem sacerdotii.*

3. — **Officium orandi in sacerdote.** — Insuper, sacerdotis officium est, *orare* pro populo. *Sacerdoti,* ait S. Hieronymus [4], *semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum est:* est enim mediator inter Deum et homines [5]. Sed quomodo posset prolixius orare, ut pro se et pro fidelibus gratias necessarias obtineret, si familiae legaminibus obstrictus, multiformibus saeculi negotiis et anxietatibus detineretur? Quod si S. Paulus coniugatos monebat [6], ut matrimonii usu ad tempus se abstinerent, ad hoc ut vacarent orationibus, quanto magis liberum a matrimonio illum esse oportet, cui ex professo incumbit, Christi instar, preces supplicationesque pro populo iugiter offerre?

4. — **Sacerdos aliis vivendi norma esse debet.** — Praeterea, sacerdotis vita talis esse debet, ut aliis vivendi norma evadat, cum ipse sit velut civitas in monte posita. Porro omnium frequentissima et perardua pugna proculdubio illa est, quae contra carnis stimulos instituitur, ad quam pugnam incitare debet sacerdotem continens vita, quae virginibus quidem cedat exemplo, nuptis autem tacitae admonitioni ad castitatem coniugalem. Revera ibi cernere est mores depravatiores et matrimonii fidem magis relaxatam, ubi cleri coelibatus repudiatus fuerit.

[1] In Ep. ad Tit., c. 1, t. VII, col. 702 et 703. — [2] Demonstr. evangel., l. I, c. 9. — [3] Orat. IV de mundi creat., n. 9, t. II, p. 531. — [4] L. I adv. Iovinian., n. 34, t. II, col. 291. — [5] Cf. 3, Quaest. XXII, art. 1. — [6] 1 Cor., VII, 5.

Quae pauca sufficiant circa convenientiam coelibatus ecclesiastici, inspecta ipsa natura et sanctitate status sacerdotalis, *in quem omnes oculos coniiciunt, ut sumant quod imitentur* [1], cuius sectatores *angelicam potius quam humanam debent conversationem habere* [2]. Immo talis convenientia ipsis paganis persuasa mansit, adeo ut postularet Demosthenes perpetuam castitatem ab eo qui in sanctuarium intrat [3]; quin et accinit Virgilius:

Quique sacerdotes casti, dum vita manebat [4].

Ceterum, non desunt protestantes, qui iacturam coelibatusin sua religione acriter lugent [5].

5. — **Coelibatus sacerdoti necessarius, ut muneribus suis convenienter satisfaciat.** — Quod si ex ipsa status sacerdotalis natura et sanctitate evincitur coelibatus convenientia, eadem adhuc clarius patescit, si considerentur munia sacerdoti, relate ad corpus Christi mysticum, id est fideles, commissa.

α) Primo quidem, sacerdotis est *sacramenta* ovibus suis administrare, ad quod requiritur ut sit a negotiis saecularibus et curis domesticis expeditus. Et sane, quomodo posset prompte ad fontem baptismalem quacumque hora accurrere, deferre moribundis sanctissimum Viaticum, peccatores in poenitentiae tribunali excipere, si cura ei de familia esset gerenda? Et qua fiducia suas poenas, suas animi tribulationes ei panderent fideles, si eum scirent cum uxore individuam vitae consuetudinem gerere?

β) Adde, sacerdotem infirmis *spiritualem adsistentiam*, etiam cum vitae periculo, praestare debere. Atqui quomodo posset contagioso morbo affectis expedite succurrere, ubi non sibi solum, sed etiam propriae familiae timendum esset?

[1] Conc. Trid. — [2] S. Laur. Iustin., de Chr. corp. — [3] C. Timocrat. — [4] Aen., l. IV. — [5] Audiatur ipse SCHOPENHAUER (Die Welt als Wille und Vorstellung): *Der Protestantismus hat, indem er die Aszese und deren Zentralpunkt, den Zölibat, eliminierte, eigentlich schon den innersten Kern des Christentums aufgegeben und ist insofern als ein Abfall von demselben anzusehen... Das mag eine gute Religion für komfortable, verheiratete und aufgeklärte Pastoren sein, aber das ist kein Christentum.*

γ) Ulterius, administrationi sacramenti *poenitentiae* praeiudicio cederet si statum matrimonialem sacerdotes contraherent. Ad hoc quippe sacramentum, quod de sua natura haud levem secumfert pro humana superbia difficultatem, difficilius certe accederent fideles, si in statu sacerdotali nihil praecellens super laicos adverterent; et praecipue si sibi timendum intelligerent ne sigillum sacramentale, ob blandam uxoris curiositatem in periculum venire posset.

δ) Praeterea, sacerdos est *pater spiritualis* fidelium, iuxta illud [1]: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Debet igitur omnes christianos suae curae commissos aequali amore suscipere, amplecti et prosequi, pari sollicitudine omnibus praesto esse. Quod certe impossibile ipsi foret, si maiorem curam intensioremque amorem certae quaedam personae, sanguinis iure, ab eo exigerent, qui tamen bonum omnium pastorem aeque se gerere debet. Diserta sunt; hac super re, S. Hieronymi verba [2]: *Pro officio sacedotii omnes christianos filiorum loco diligimus, et profectus eorum nostra est gloria.* E contra, in statu coelibatus, eo fructuosius evadit sacerdotis ministerium, quo paucioribus ille carnis vinculis obligatur; et eo fidentius ad eum omnes accedunt, quo clarius percipiunt illum omnibus omnia fieri debere. Quod quidem valet praesertim relate ad curam sacerdoti circa parvulos commissam, quos ille singulari caritate sibi adstringere debet, ut tenellis eorum cordibus bonum semen inserat vitae christianae.

ε) At singulari sacerdotis *providentia* indigent etiam pauperes, quos, quantum potest, alat oportet pane vitae corporalis, non minus ac spiritualis. Enimvero, bonorum ecclesiasticorum clerici non sunt veri domini, sed dispensatores seu procuratores, ait S. Thomas [3], et S. Bernardus expresse declarat: *Facultates Ecclesiarum patrimonium sunt pauperum.* Etsi igitur *qui altari deserviunt, cum altari participant* [4], debent tamen, quantum fieri potest, pauperum sustentationi providere, sicut fecit Dominus, qui in usum pau-

[1] Gal., IV, 19. — [2] Epist. ad Salvinam, quae est LXXIX, al. IX, t. I, col. 498. — [3] 2 2ae, Quaest. CLXXXV, art. 7. Cf. Opusc. VI, art. 12. — [4] 1 Cor., IX, 13.

perum loculos habebat [1]. Quis autem non videat, sublato semel sacro coelibatus vinculo, patrimonium pauperum futurum esse patrimonium filiorum sacerdotum, atque transiturum, fors cum ipsa dignitate sacerdotali, ad posteros secundum sanguinem?

2) Tandem sacerdotis magnanima caritas ad illas quoque gentes extendi debet, quae in tenebris et umbra mortis sedent, ut eis quoque Evangelii lumine, spes vitae melioris effulgeat. Cui muneri perficiendo, una cum spiritu sacrificii, confert absque dubio omnimoda libertas ab obligatione erga personas sanguine coniunctas, ut ceterum luculentissime constat ex praeclara catholicarum missionum fecunditate. Quo facit illud S. Pauli [2]: *Labora sicut bonus miles Christi Iesu. Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus, ut ei placeat cui se probavit.*

6. — Scholion. — Ut igitur paucis omnia perstringamus, quae sacerdos vi sublimis muneris sui pro aliis praestare debet, ea reduci possunt ad administrationem sacramentorum, educationem moralem populi fidelis, opera misericordiae, conservationem et propagationem christianae religionis. Quae omnia, stante coelibatu, cum fructu quidem exercentur, quia ex caritate supernaturali et vero spiritu christiano procedunt; reiecto vero coelibatu, partim fiunt impossibilia, partim exercentur lucri gratia et mercimonii ad instar. Hinc sacerdotibus potissime convenit illud S. Pauli [3]: *Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est quae Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est.*

7. — Quantum coelibatus ecclesiasticus laudi cedat Ecclesiae catholicae. — Quae cum ita sint, dicendum est, inter ea quae Ecclesiae catholicae maxime decori cedunt, et in quibus divini illius Institutoris singularis ac perpetua adsistentia quammaxime relucet, non ultimum locum te-

[1] 2 2ae, Quaest. LXXXI, art. 2. — [2] 2 Tim., II, 3, 4. — [3] 1 Cor., VII, 32.

nere mirabilem illam vim, quae virgines indesinenter germinat. Non enim ulla inter omnes, quae se Christi ecclesias vocitant, tale iactare potest privilegium, quod uni verae et fideli Sponsae immaculatae Regis virginum, Virginis Matris Filii, reservatum est.

Non est proinde mirandum, si de tanto privilegio Mater Ecclesia summopere gaudeat, illudque omni qua potest vigilantia foveat atque custodiat, necnon quod indispensabiliter exigat ut sacri ministri, non obstantibus contrariis saeculi clamoribus, spretis carnis illecebris et matrimonii solamine repudiato, totos se propriae et aliorum salutis lucro devoveant. Decet enim ut illi soli qui, ad Christi et Apostolorum exempla coelibes et casti vitam agentes Deo et Ecclesiae unice vivere sibi proponunt, sublimem illum statum amplectantur, quem singularis sanctitatis laus exornare debet, et cui tam insignia munera adnectuntur.

§ V.

Difficultates contra coelibatum ecclesiasticum.

Difficultates quae contra coelibatum ecclesiasticum moveri solent, ordinatim modo solvemus, sive quae ex Sacra Scriptura, sive quae ex ratione procedunt.

1. — **Ex Sacra Scriptura.** — α) S. Paulus scribit [1]: *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem* ἀδελφὴν γυναῖκα, *circumducendi, sicut et ceteri Apostoli?*

Resp. Ex hoc loco Clemens Alexandrinus, suspicatus est S. Paulum, eo tempore quo haec scribebat, habuisse uxorem, quam tamen sororis, non uxoris, loco, habebat [2]: quae quidem sententia neotericis pluribus, ut Laurentio Vallae placuit, unde etiam sic dicti evangelici ministri sibi blandiuntur, dum negant se posse uxoribus carere, ducem se habere Paulum. — At perinsignem hunc Apostolum coelibem fuisse, saltem quo tempore hanc scribebat epistolam, ex ipsius verbis aperte evincitur; ait enim [3]: *Volo omnes vos esse*

[1] 1 Cor., IX, 5. — [2] L. III Stromat. — [3] Ibid., VII, 7, 8.

sicut meipsum... Dico autem non nuptis: bonum est illis si sic permaneant, sicut et ego. At, revera, constans est sacrorum scriptorum consensus, Paulum uxorem nunquam habuisse [1].

Igitur, dicendum cum S. Hieronymo [2], Apostolum *loqui de sanctis* (quibusdam) *mulieribus, quae iuxta morem iudaicum, magistris de sua substantia ministrabant, sicut legimus ipsi quoque Domino factitatum* [3]. Eadem tradit S. Augustinus [4], qui non secus ac S. Hieronymus, ex ipsis Apostoli verbis, et verborum contextu, evincit falsos eos qui graecam vocem γυναῖκα, *uxorem*, interpretari voluerunt, cum significet *mulierem* aetatis adultae, et aliunde affine sit τὸ *mulier soror*, ei quod Iudaeorum more in Actibus a S. Petro, S. Iacobo et ipsomet S. Paulo ad auditores pro latum aliquando legitur: *Viri fratres* [5].

Quapropter S. Pauli sensus est, cum Apostoli, Christi exemplum secuti, divites feminas comites haberent, qui eos de suis facultatibus alerent, unde securius et expeditius Evangelio vacarent, ipsum se hoc privilegio, quia scandalum facere poterat in gentibus, ultro abdicasse [6]. Nec mirandum, hanc praxim, quae communis erat apud Iudaeos, gentibus scandalo esse potuisse, apud quas, moribus laxiores, inopinabile erat mulierem passim circumduci et castam servari; dum severioribus Iudaeorum moribus ostium pravae suspicioni claudebatur; sicut videmus quod tale quid de Christo, ne per calumniam quidem, obiicere potuerunt eius inimici.

3) Obiici quoque illud solet S. Pauli [7]: *Etiam rogo et te, germane compar* (graece σύζυγε γνήσιε, quod verti potest

[1] Cf. Tertull., lib. I, ad uxorem, cap. 3, et lib. de monogamia, cap. 3 et 8; S. Hilar., in Psalm. CXXVII; S. Epiphan., Haeresi. LVIII, quae est Valesiorum; S. Ambros., in Exhort. ad Virgines; S. Hieron., lib. I, contra Iovinianum, et Epist. XXII, quae est ad Eustoch. de custodia virg.; S. Augustin., lib. de gratia et libero arbitr., cap. 4; lib. de bono coniug., cap. 10; lib. I, de adult. coniug. cap. 4, et de opere monach., cap. 4. — [2] L. I, contra Iovin., c. 14. n. 26. col. 77, t. II. — [3] Luc., VIII, 2-3. Cf. Diatess., Sect. LXXXI. Vol. I, p. 472, seq. — [4] L. de opere monach., t. VI, cc. 4 et 5. col. 478, 479. — [5] Cf. Act., II, 37, etc. — [6] S. Hieronym., in Comment. sup. cap. XXVII, Matth. — [7] Phil., IV, 3.

coniunx germane. aut feminino genere, *germana*), *adiuva illas quae mecum laboraverunt*, etc.

Resp. Ex hoc quidem collegerunt nonnulli scriptores, ut Erasmus, Caietanus et Catarinus, sancto Paulo, eo tempore, quo hanc scripsit epistolam, uxorem adhuc viventem fuisse. At, ut observat Estius [1], neutrum vocabulum proprie femininum est; sed alterum, scilicet σύζυγε commune, alterum vero masculinum, neque γνήσιε, quod licet attico more pro feminino possit usurpari, non tamen verisimile est a S. Paulo, utpote imperito sermone nec atticismis utente, id factitum fuisse. Quod si mulierem se alloqui voluisset, ad tollendam sermonis ambiguitatem, potius dixisset γνησία quam γνήσιε. At, diximus veteres diserte atque constanter negasse quod S. Paulus uxorem habuerit.

Itaque metaphorica locutione hic utitur Apostolus; qui sicut suos in Evangelio adiutores translatitiis vocibus varie nominat, unum alterumve interdum vocans *cooperarium* συνεργόν, *commilitonem*, συστρατιώτην [2], etc., ita hic quemdam insignem suum adiutorem vocat σύζυγον γνήσιον, id est germanum ac sincerum coniugalem, sumpta metaphora a bobus, in aratro trahendo coniunctis; quae metaphora bene congruit ei quod dixerat [3]: *Dei agricultura estis.*

γ) Obiiciuntur quoque sequentia eiusdem S. Pauli verba [4]: *Oportet episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum*; et inferius [5]: *Diaconi sint unius uxoris viri.*

Resp. Nonnulli quidem episcopi, Vigilantii consortes, de quibus S. Hieronymus disserit [6], videntur olim censuisse his verbis contineri praeceptum ut omnis episcopus, et similiter presbyter aut diaconus uxorem habeat, sed unam dumtaxat; illi videlicet coelibes, quorum pudicitiae non credebant, ordinare renuebant. At cum nec S. Paulus nec Timotheus uxorem habuerint, Apostoli vero qui uxores habuerunt eas propter Christum dimiserint, plurimi quoque extiterint sancti episcopi primitivae Ecclesiae quorum nullus uxorem duxit, ideo haec interpretatio vel ab ipsis protestantibus merito fuit derelicta. — Cuius loco hanc alii obtruserunt, scilicet

[1] Comment. in h. l. S. Pauli. — [2] Phil., II, 25. — [3] 1 Cor., III, 9. — [4] 1 Tim., III, 2. — [5] Vers. 12. — [6] L. adversus Vigilantium.

Apostolum vetare ne episcopus plures simul habeat uxores; at cum liquido constet nulli unquam christiano licitum fuisse plures simul uxores habere, hinc nulla fuisset ratio cur id peculiari praecepto episcopis vetaretur [1].

Igitur sensus est episcopum, si quidem uxorem habuerit aut habeat, non tamen alteram post hanc habere posse; quapropter Ecclesia digamos, eos scilicet qui, priori coniuge mortua, alteram duxissent, a sacris ordinibus et maxime ab episcopatu, tanquam indignos semper repulit, sive quia digamia argumento est incontinentiae, sive potius ex significatione coniugii: significat enim matrimonium coniunctionem Christi cum Ecclesia, cuius rei significatio in eo, qui plures sibi copulavit uxores, non subsistit [2], sicut etiam vidua quae plures habuisset maritos, idonea non censebatur ad repraesentandum fidelibus honorem castitatis vidualis [3].

Notandus hic est canon decimus septimus inter Constitutiones Apostolicas [4]: *Qui post baptismum duobus matrimoniis fuit coniunctus, aut concubinam habuit, non potest esse episcopus aut presbyter aut diaconus, aut omnino e catalogo ordinis ecclesiastici* [5].

2. — Solvuntur difficultates ex ratione. — I. Non debet Ecclesia onus intolerabile homini imponere. Atqui coelibatus est onus intolerabile. Ergo non debet ab Ecclesia imponi.

Resp. *Transeat mai. Dist. min.:* secluso divinae gratiae auxilio, *conc.*; accedente adiutorio caelesti, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Imprimis advertendum est, neminem ab Ecclesia cogi ad ordines sacros suspiciendos, quibus huiusmodi onus adnectitur; sed coelibatum ab initio Ecclesia tamquam conditionem ad praedictos ordines suscipiendos posuit, qui a candidatis ad sacrum ministerium liberrime suscipiuntur. Sed nec censendum est, onus huiusmodi sacris ordinibus

[1] Cf. S. Thom., Commentar. in Epist. ad Titum, c. I. — [2] Cf. S. Ambrosius, l. I offic., c. 50; Epist. 82 ad Eccles. Vercell.; S. Augustin., L. de bono Coniugii, c. 18; Innocent. I, Epist. 2 et 22; S. Leo I, Epist. 87 ad Episc. Africae, etc. — [3] 1 Tim., V, 9. — [4] Circa an. 400 collect. — [5] Kirch, n. 627.

adnexum, esse revera intolerabile: siquidem Dominus noster, ex cuius inspiratione Ecclesia hanc status perfectionem induxit, ministris suis non deest, illos adiuvans et confortans. *Virginitatem concupisti?* quaerit S. Ioannes Chrysostomus [1], *serva mandata et ipsam tibi Dominus ministrabit.*

Sed nec coelibatus reputandus est conditio nimis dura pro ordinibus suscipiendis; eventus enim clare demonstrat contrarium, cum Ecclesiae nunquam desint ministri, qui huic conditioni libentissime se subiiciunt. Praeterea, quot sunt, in ipso matrimonali statu degentes, qui coelibatum servare coguntur, quibus tamen non tam amplae gratiae suppetunt, quales in promptu sunt sacris ministris? Re quidem vera, nonne continere se debent coniuges, quorum alter aut in gravem morbum incidit, aut a cohabitationis onere solvatur? Sed nec verum est quod nonnulli obtrudunt, scilicet coelibatum obstare sanitati corporis; quin potius, quod abstinentia venereorum corpori quoque prosit, vires roborando, testatur ipse Virgilius, his versibus:

Sed non ulla magis vires industria firmat,
Quam venerem et caeci stimulos avertere amoris;

quinimmo non defuit, inter philosophos, cui visum fuerit non expedire sapienti nubere [2].

II. Illa lex sanciri non debet, quae privat societatem debito individuorum incremento. Atqui lex coelibatus privat societatem debito individuorum incremento. Ergo inconvenienter ab Ecclesia sancitur.

Resp. *Dist. mai.:* si non adsit debita compensatio *transeat;* si illa incrementi privatio bonis superioris ordinis cumuletur, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Nulli dubium esse potest, quin societatis perfectio non tam in numero, quam in qualitate individuorum sita sit. Porro haec in qualitate perfectio uberius et securius comparari nequit, sine aliqua iactura in ipsa propagatione generis humani, in quantum scilicet aliqui, sapientiae et virtutis causa, a nuptiis sese

[1] Ad Pop. Antiochen., Homil. XXII. — [2] S. Hieronym. L. I contra Iovin.

abstinent: unde huiusmodi iactura abunde compensatur accessione bonorum spiritualium et supernaturalium, quibus societas per caelibatum ditescit. — At, quo iure possunt homines caelibatui ecclesiastico succensere, quos videmus leges ferre propagationi societatis directe infensas, et quidem absque illa bonorum spiritualium compensatione, quae ex coelibatu ecclesiastico derivatur? Quo enim tendunt leges illae, quibus iuvenes, fere omnes, multis in regionibus, ad militiam compelluntur, nisi ut sanae societatis evolutioni et propagationi validum ponant obstaculum, quin profectus inde superioris ordinis societati succrescat? Imo, nonne ad hoc devenit hodierna iniquitas, ut, quibusdam in locis, leges rogentur ad obviandum matrimoniis nimis prolificis, praesertim inter pauperes? Sane, non virginitas, sed peccatum genus hominum minuit [1].

III. Illud non est consulendum aut iubendum, quod hominibus scandalo cedit. Atqui coelibatus ecclesiasticus hominibus scandalo cedit. Ergo non est consulendus aut iubendus.

Resp. *Dist. mai.:* quod hominibus scandalo cedit, per se, *conc.:* per accidens, *subd.:* non est consulendum vel iubendum, sine sufficienti motivo, *conc.;* cum motivo sufficienti, *nego. Dist. min.:* coelibatus ecclesiasticus scandalo cedit, per se, *nego;* per accidens, *subdist.:* et hoc est interdum scandalum pharisaicum, quod contemni debet, *conc.;* semper est scandalum pusillorum, quod est vitandum, nisi bonum saepius exigat ut toleretur, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Imprimis, quod aliqui sacerdotes in peccatum incontinentiae, contra vota sua, proruant, non sequitur per se ex lege coelibatus ecclesiastici, sed per accidens, scilicet ob eorum infidelitatem, ex infirmitate aut malitia ortam. Porro omnino inconvenit ut bonum praecellens praetermittatur, propterea quod nonnullis esse possit occasio mali. Si enim omnes transgressionum occasiones vitandae essent, iam nulli legi, sive humanae, sive divinae locus remaneret, imo ipse decalogus esset e medio tollendus. — Deinde notandum, lapsus huiusmodi

[1] S. Hieron. de hac re testimonium, cf. supra, p. 342. Vide quae scripsimus in tr. DE MATRIMONIO, App. III.

ex intentione ab adversariis magnopere exaggerari: si enim nonnulli carnis tentationibus aurem praebentes, suis se sanctissimis votis produnt infideles, plurimi ex adverso sunt qui, gratiae obsequentes, seipsis fortiores, totam vitam immaculato pede decurrunt, qui proinde decori cedunt sanctae Matri Ecclesiae illiusque castissimo Sponso Christo. — Denique, non est cur, ob paucorum infidelitatem, deseri debeat res tam utilis et honesta, qualis est coelibatus ecclesiasticus, etiamsi nonnulli, ex illorum pravitate, scandali occasionem percipiant, eo vel magis quod huiusmodi scandalo occurri potest per opportunas admonitiones [1].

IV. Abolita lege coelibatus ecclesiastici, plures e protestantismo ministri Ecclesiam catholicam ingredi non diffiterentur.

Resp. Imprimis, non plane videtur quo pacto, abolita coelibatus lege, ministri de quibus hic sermo, liberius et frequentius ingrederentur, nisi supponatur eisdem ius quoddam esse ad clericorum statum transeundi: quod minime sustinetur, cum nemo ad sacerdotium ascendere permittatur, nisi qui a Deo vocetur: at certe nemo unquam catholicorum contendet, praeviam clericatus, in protestantismo, professionem, divinae vocationis loco haberi posse, maxime cum ad sacerdotium assumi non debeant, nisi quos spes adsit in bonum aut utilitatem ecclesiarum cessuros esse. Utut res ista se habeat, cum observantia coelibatus ad Dei honorem et bonum Christifidelium ordinetur, pronum est, illum ob quorumdam individuorum utilitatem praeteriri non debere, quandoquidem *bonum gentis divinius et eminentius est, quam bonum unius*, ut ait Aristoteles [2].

V. Ex quo sacrorum ministri matrimonium contrahere vetantur, ideoque prole carere coguntur, sequitur eos non ita in patriam amoris nexibus affici, quemadmodum laicos, quorum filii variis reipublicae officiis occupati, aut ad eiusdem defensionem destinati, illud, quo tenentur, erga patriam studium, in propriis parentibus exstimulant: ideoque coelibatus vel in reipublicae detrimentum cedit.

Resp. Imprimis ratio haec si quid ponderis habeat, hoc

[1] C. 2 2ae, Quaest. XLIII, art. 7. — [2] L. I Ethic., c. 2.

est non contra maiores clericos tantum, sed maxime contra innumeros laicos, vel a matrimonio, et quidem saepe immoralibus ex causis, abhorrentes, vel matrimonio, contra id quod naturae lege sancitum est, abutentes, quos tamen tolerat status, imo quodammodo confovet, cum nulla lege impudica eorum commercia coerceat. Et in hisce quidem personis nequit verus patriae amor ardere, aut accendi studium reipublicae bonum promovendi, cum turpis avaritiae vitio laborent. At cum ecclesiastici viri virtutis amore ad coelibatum colendum ferantur, scilicet tum studio Deo placendi, tum desiderio animarum saluti efficacius laborandi, hinc quod in eis ex prolis carentia deficit, aliunde ubertim suppletur, cum in civium mentibus veros erga patriam pietatis sensus excitent, necnon moralitatis leges praedicent, quibus rite observatis, non solum populi multitudini, sed etiam sanitati et robori consulitur: sed et non raro, teste, vel recentibus temporibus, actorum longissima serie, bellis furentibus, inventi sunt clerici maximo evasisse adiumento pro incolumitate patriae, cum eidem verborum eloquentia, exemplorum splendore, facultatum erogatione, imo ipsius vitae profusione, longe efficacius quam civium plerique, subservierint.

§ VI.

De ratione qua clerici maiores castitatem observare debeant.

Venientes modo ad ultimam quaestionem, quanam videlicet ratione clerici maiores castitatem debeant observare, quaestio est utrum id ex voto, an solum ex lege ecclesiastica sit ipsis praestandum.

1. — Sententiae. — Diversi hac super re diversas protulerunt sententias: scilicet Scotus [1], Valentia [2] aliique obligationem huiusmodi ex mera constitutione Ecclesiae continentiam praecipientis repetunt. Ex adverso autem Caietanus [3] et

[1] 4, Dist. XXXVII, Quaest. unic., § *Dico igitur*. — [2] De coelib., c. II, paulo post init. — [3] Opusc., t. I, tract. XXVII, quaest. un. Ven., 1796, p. 119.

B. Bellarminus [1], aliique tenent hanc obligationem oriri ex voto quod ab Ecclesia sacris ordinibus adiunctum est.

2. — Clerici maiores castitatem ex voto observare debent. — Porro, quod haec secunda sententia longe sit probabilior eruitur ex disertis verbis Angelici Doctoris: *Apud occidentalem ecclesiam, in susceptione sacri ordinis, emittitur continentiae votum, quod est unum eorum quae ad perfectionem pertinent* [2]: quod, ex eiusdem Angelici doctrina intelligendum est, non quasi votum huiusmodi ex sacerdotis ordine aut officio requiratur, cum sacerdotium, ut sic, non constituat hominem in statu perfectionis, sed ex ordinatione Ecclesiae.

His cohaerenter, Innocentius III huius voti consuetudinem in Ecclesia occidentali manifeste supponit, dum scribit [3]: *Nos igitur attendentes quod Orientalis Ecclesia votum continentiae non admisit, quoniam Orientales in minoribus ordinibus contrahunt, et in superioribus utuntur matrimonio contracto*, etc. Sed et Bonifacius VIII [4] declarat votum, quantum ad effectum dirimendi matrimonium contrahendum, solemnizari per susceptionem ordinis sacri, vel per professionem expressam aut tacitam in una ex religionibus approbatis.

3. — Confirmatur ex eo quod, si quidem obligatio coelibatus servandi ex solo praecepto legis ecclesiasticae oriretur, iam clericus actibus internis castitati contrariis peccans, religionis virtutem minime violaret, cum Ecclesia actus mere internos nec praecipiat, nec vetet.

4. — Solvitur tacita obiectio. — Obiicienti, votum solemne castitatis in religione approbata emissum ex iure solvere matrimonium iam contractum scilicet ratum et non consummatum, quod tamen non facit susceptio ordinis sacri, licet id utique facere deberet, si revera adnexum haberet tale votum solemne, — *respondetur*, id ex Ecclesiae voluntate oriri, ob hanc, ut videtur, causam, quia, ut dictum est, status perfectionis religiosam professionem secumfert, minime vero susceptionem ordinis sacri consequitur [5].

[1] Controv., l. I de Matrim., C. XXI, paulo post init., § *Impedimenta*. — [2] 2 2ae, Quaest. CLXXXIV, art. 6. — [3] Cap. *Cum olim*, Decret. l. III, t. 3, c. 6. — [4] Cap. un. de Voto 6to Decr. l. III, t. 15. — [5] Cf. Can. 1119.

EPILOGUS.

Pii sacerdotis oratio.

Domine Deus meus, Deus cordis mei et pars mea Deus in aeternum. gratias tibi ago quod mihi, a prima infantia, amore saeculi a corde meo sublato, ardens inspirasti desiderium tibi in sacris altaris ministeriis serviendi, quo tibi propior corde et corpore fierem, atque tuo servitio liberius vacare possem. Gratias quoque tibi ago quod me, ab infima vitae conditione, tot superatis obstaculis, ad tantam dignitatem evexisti, ut sacra unctione delibutum inter populi tui primores sedere iuberes, inaffabilis simul Crucis sacrificii mysteria atque animarum Filii tui Sanguine redemptarum salutem manibus meis committens. Concede mihi, o amantissime Pater, per merita eiusdem dilecti Filii tui et dolores Matris tuae dulcissimae, ut sacrum hoc depositum integrum et inviolatum iugiter conservem, nec potestate ac dignitate mihi collata alio fine utar, nisi ut maiorem tuam gloriam atque meam aliorumque salutem impensius procurem: ne unquam anima mea peccati mortalis labe foedetur; ne lingua mea in vanas aut profanas erumpat voces; ne doctrinae sacrae puritate deserta, falsis saeculi novitatibus indulgeam; ne torpori indulgens, opus tuum negligenter perficiam. Et quando tibi placuerit, me ex hoc saeculo nequam, quod oro citius facias, eripere, concede mihi corpus Unigeniti Filii tui, quod toties in vita consecravi, sincera devotione percipere, ut tanto recreatus sacramento, admitti possim ad te facie ad faciem conspiciendum, qui es Deus benedictus in saecula. Amen.

TRACTATUS

DE

SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS

(S., XXIX-XXXIII).

INDEX QUAESTIONUM ET ARTICULORUM

PAG.

PRAEFATIO 1

PROOEMIUM 5

QUAESTIO I.

(S., XXIX, 1-3).

DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS SECUNDUM SE.

Prologus.

Art. I. Utrum extrema unctio sit Ecclesiae Sacramentum . . 9

— II. Utrum extrema unctio sit unum Sacramentum . . 22

— III. Utrum hoc Sacramentum fuerit a Christo institutum . 26

QUAESTIO II.

(S., XXIX, 4-9).

DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTI EXTREMAE UNCTIONIS.

Prologus.

Art. I. Utrum oleum olivae sit conveniens materia sacramenti extremae unctionis 31

— II. Utrum hoc sacramentum habeat determinatam formam 41

QUAESTIO III.
(S., XXX).

DE EFFECTIBUS SACRAMENTI EXTREMAE UNCTIONIS.

Prologus.

Art. I. Utrum confortatio moribundi sit effectus sacramenti extremae unctionis 49
— II. Utrum sanitas corporalis sit effectus huius sacramenti . 53
— III. Utrum restitutio sanitatis corporalis, per sacramentum extremae unctionis, habeat rationem miraculi . . . 57
— IV. Utrum extrema unctio valeat ad remissionem peccatorum 66
— V. Utrum extrema unctio producat effectum ex opere operato 71

QUAESTIO IV.
(S., XXXII-XXXIII).

DE SUBIECTO EXTREMAE UNCTIONIS.

Prologus.

Art. I. Utrum mortaliter peccet negligens suscipere sacramentum extremae unctionis 77
— II. Utrum in suscipiente extremam unctionem requiratur motus contritionis 80
— III. Utrum parvulis usum rationis nondum adeptis conferendum sit sacramentum extremae unctionis . . . 83
— IV. Utrum hoc sacramentum sit solis infirmis administrandum 87
— V. Utrum convenienter determinentur partes corporis ungendae 95
— VI. Utrum hoc sacramentum debeat iterari 99

QUAESTIO V.
(S., XXXI).

DE MINISTRO EXTREMAE UNCTIONIS.

Prologus.

Art. I. Utrum ad presbyterum pertineat administrare sacramentum extremae unctionis 103
— II. Utrum hoc sacramentum a pluribus presbyteris debeat ministrari 110

EPILOGUS 112

TRACTATUS

DE

SACRAMENTO ORDINIS

(S., XXXIV-XL).

INDEX QUAESTIONUM ET ARTICULORUM

PAG.

PRAEFATIO 119

PROOEMIUM 123

QUAESTIO I.

(S., XXXIV, 1, 3; XXXVII; XI, 4-6).

DN SACRAMENTO ORDINIS SECUNDUM SE.

Prologus.

Art. I. Utrum ordo sit novae legis sacramentum . . . 129

— II. Utrum debeant plures ordines distingui 141

— III. Utrum septem ordines convenienter distinguantur . . 144

— IV. Utrum singuli ordines participent rationem sacramenti . 153

— V. Utrum episcopi iure divino presbyteris superiores sint . 165

— VI. Utrum episcopatus sit ordo a specialiter a sacerdotio distinctus 184

— VII. Utrum supra episcopos debeat esse aliquis superior in Ecclesia 194

APPENDIX.

UTRUM SUAM IURISDICTIONEM EPISCOPI IMMEDIATE A ROMANO PONTIFICE VEL A CHRISTO REPETANT . 203

QUAESTIO II.

(S., XXXIV, 4, 5).

DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTI ORDINIS.

Prologus.

Art. I. Utrum sacramentum Ordinis habeat determinatam materiam 217
— II. Utrum sacramentum Ordinis habeat determinatam formam 234

APPENDIX.

MATERIA ET FORMA DIACONATUS, PRESBYTERATUS ET EPISCOPATUS IN GRAECORUM LITURGIA . 241

QUAESTIO III.

DE MINISTRO SACRAMENTI ORDINIS.

Prologus.

Art. I. Utrum episcopus sit ordinarius minister Sacramenti Ordinis 247
— II. Utrum simplex sacerdos possit esse minister extraordinarius Sacramenti Ordinis 251

APPENDIX I.

UTRUM DIACONORUM ORDINATIO A SIMPLICI PRESBYTERO POSSIT PERFICI 255

APPENDIX II.

UTRUM ORDO PRESBYTERATUS A SIMPLICI SACERDOTE DE MANDATO SUMMI PONTIFICIS EXTRAORDINARIE POSSIT CONFERRI. 259

Art. III. Utrum haeretici aliique ab Ecclesiae unitate praecisi possint ordines conferre 263

APPENDIX.

DE ORDINATIONIBUS ANGLICANIS . . . 270

QUAESTIO IV.

(S., XXXVI; XXXIX).

DE SUSCIPIENTIBUS SACRAMENTUM ORDINIS.

Prologus.

PAG.

Art. I. Utrum sexus femineus impediat sumptionem Sacramenti Ordinis 281
— II. Utrum pueri et carentes usu rationis ordines possint suscipere 288
— III. Utrum possit homo ordinari invitus 292
— IV. Utrum ad sumptionem sacramenti ordinis requirantur speciales animi dotes 296
— V. Utrum illicita sit ordinatio per saltum 303
— VI. Utrum sine divina vocatione possit quis ad ordines ascendere 307
— VII. Utrum ad electionem Ecclesiae ministrorum, requiratur suffragium cleri, populique aut magistratuum . . . 319

QUAESTIO V.

(S., XXXV).

DE EFFECTIBUS ORDINIS.

Prologus.

Art. 1. Utrum Sacramentum Ordinis conferat gratiam sanctificantem 325
— Utrum sacramentum Ordinis imprimat characterem . . 329

APPENDIX.

De coelibatu.

CAPUT I.

DE COELIBATU CHRISTIANO IN COMMUNI.

CAPUT II.

DE COELIBATU ECCLESIASTICO.

Prologus.

§ I. — De obligatione pro clericis maioribus coelibatum servandi 345

PAG.

§ II. — De obligatione coelibatus ecclesiastici apud Latinos . 358
§ III. — De obligatione coelibatus ecclesiastici penes Graecos . 363
§ IV. — De rationibus convenientiae, relate ad coelibatum ecclesiasticum 368
§ V. — Difficultates contra coelibatum ecclesiasticum . . . 374
Epilogus 382

12494 230
L26
Lepicier, Alexius Henricus
124 AUTHOR
De Sacramento Extremae Unctionis
TITLE et de Sacramento Ordinis